XIV
E
41
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIV
E
41
NAPOLI

Digitized by Google

DE

LITERIS ENCYCLICIS

AB APOSTOLICO AEVO AD CONCILIUM NICAENUM GENERALE I.

DISSERTATIO II.

FRANCISCI DOMINICI BENCINI

ABBATIS S. PONTII

AD REGIAM CELSITUDINEM

CAROLI EMMANUELIS

SUBALPINORUM PRINCIPIS.

NAPOLI

AUGUSTAE TAURINORUM MDCCXXX.

Ex Typographia JOHANNIS FRANCISCI MAIRESSE.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO EMMANUELI

SUBALPINORUM PRINCIPI

FRANCISCUS DOMINICUS BENCINI F.

T*Heophraſtum Ereſium*, REGIE PRINCEPS, *Virum plane dignum, qui eo ſeculo naſceretur, quod viderat Socratem, Platonem tulerat, & Ariſtotelem humano generi dederat, centeſimum licet aetatis annum exceſſiſſet, Naturam tamen accuſaſſe ferunt, quod Cervis & Cornicibus, quorum nihil intererat,*

Digitized by Google

vitam diuturnam; Hominibus verò quorum maximè interfuiſſet, perquam exiguam & mox perituram indulgeret. Nam quum Sapientibus Viris ita comparatum ſit, ut prae ceteris & vitam optent immortalem, & quam adipiſcuntur, eam communi generis & ſocietatis bono impendant, cauſſae profecto erat, cur vicem dolerent ſuam, qui conſtituendae Humanae Sapientiae excitati divinitus videbantur. Sed vicit Naturae Leges ſolertia hominum eruditione praeſtantium, & praeclariſſimo Literarum invento effectum eſt, ut antiquiſſimi veritatis & ſapientiae Antiſtites Majores noſtri utrumque ex voto conſequerentur, dum nos celebritatem nominis atque alteram quaſi vitam illis rependimus, qui eorum doctrina Literarum monumentis conſignata perfruimur.

Et gloriae quidem amor ab affectu diuturnioris vitae proficiſcens, quorum Hominum ingenia ſemel pervaſit, eò adigere conſuevit, ut lucubrationibus quiſque ſuis ad totius rei Literariae principatum contendentes, obtinerent aliqui, ceteri verò non ſine maxima induſtriae laude ſuum in omnem Poſteritatem nomen commendarent. Quid enimverò Socrati Ariſtophanem, Platoni Xenophontem,

Digitized by Google

tem, Demoſtheni Aeſchinem, Herodoto Plutarchum, Ciceroni Saluſtium, Livio & Caeſari Pollionem Aſinium alioſque ſexcentos praeſtantiſſimos Viros infenſos aliis fecit, niſi regni in Literis exercendi cupido, & quae inde oriebantur non improbandae hac in re ſimultates? Quid niſi inclareſcendi ſtudium effecit, ut Muſaeum Heſiodus, Corinnum Homerus, Timaeum & Ariſtolaum Plato, Ariſtoteles verò reliquos penè omnes qui anteceſſerant, Philoſophos exſcriberent, ſuis Commentariis inferrent, & quam ceteris ademerunt doctrinae celebritatem ipſi adipiſcerentur?

Scilicet quicumque conſtituerant, vitam ſilentio haudquaquam tranſigendam, veluti pecora, quae prona & ventri obedientia Natura finxit, uſque adeò Coeleſtem ingenitamque nobis Vim animi excolendam duxere, ut ſive novis acceſſionibus Veterum ſcita & cogitata illuſtranda, ſive ignota hactenus atque aliis impervia producenda in lucem forent, limites ingeniis hominum conſtitutos propius quam fieri poſſit attingerent. Hinc Demoſthenem ſummum dicendi Magiſtrum tandiu in Orationibus expoliendis incubuiſſe novimus, ut eas lucernam plus aequo olere Pytheas diceret.

Digitized by Google

ret: Iſocratem pariter alterum Oratorum Principem in una Panegyri concinnanda, teſtimonio Plutarchi, tres integras Olympiades conſumſiſſe. Hinc Herodotus & Thucydides in Hiſtoricis, Pindarus in Lyricis, in Tragicis Aeſchylus, Euclides in Mathematicis, atque alii in aliis artibus & facultatibus eò proceſſerunt doctrinae copia, ingenii acumine, & indagandi felicitate, quo ſane nec alii hactenus plurimorum ſeculorum decurſu pertigère, nec aliud Poſteris praeter aemulandi & audendi facultatem, relictum eſt.

Quod ſi, PRINCEPS SAPIENTISSIME, *ad ea tempora quae noſtris propiora ſunt, mentem referamus, atque unum aut alterum humani ingenii ſpecimen liceat commemorare, nemo eſt quem lateat, quantum bonae frugis ad univerſam rem Chronologicam attulerit Vir incomparabilis Joſephus Scaliger, Periodo excogitata vulgò Juliana, quae Veterum Chaldaeorum Aegyptiorumque, & Calippi & Metonis, & ſiqui uſpiam fuerunt, Aſtronomorum praeſtantiſſimorum calculos rationeſque temporum ita emendavit illuſtravitque, ut nihil ſupra. Guillielmo Harvejo immortales deberi gratias ob detectum ſanguinis per arterias*

Digitized by Google

terias itum , & per venas reditum , quae Circulatio dicitur , norunt quotquot totius rei Medicae & Anatomicae pretium aeſtimare didicerunt . Quotidie in lucem prodeunt Literaria monumenta hominum clariſſimorum , ex quibus ſunt qui magna eruditione , & quod rariſſimum eſt , judicio pari gaudeant ; ſunt qui ad reſtituendam Priſcorum Autorum ſententiam quodam nati peculiari genio , & à Charitibus educati videantur ; ſunt denique qui & recondita ſcientiarum artiumque penetralia ſcrutentur , & auſu non poenitendo ea in publicum bonum proferant , quae nulli retro Mortalium aut lecta fuerant , aut cogitata . Habet , non diffiteor , Literaria Reſpublica Mangones ſuos & incommodos Circulatores . Hic quodcumque ſeſe menti objicit , nullo ordine , nullo ſenſu Chartis illinit ; ille amore laboris ad ſolerter exſcribendum affectus , crudam & indigeſtam librorum molem obtrudit : nec plane deſunt , qui argumentis Operum velut peregrinis ignotiſque exultent , quae tamen Majorum noſtrorum ingenia millies exercuerint . Sed cum novum eſt & iniquum , omnia ad exempla malorum componere velle , tum invidus profecto ſit & faſtidioſus qui ſcripta etiamnum prodire

dire

dire inficietur, quae aetatem ferre, & varios ac multiplices fructus parere valeant.

Haec quum ita ſe habeant, CLEMENTISSIME PRINCEPS, *diu multumque haeſitavi, cujus ordinis, quoque loco hanc lucubrationem meam de Eccleſiaſticis priſci aevi Literis habituri ſint Eruditi. Simul ac verò publici juris facere libuit, eandemque ſub auſpiciis Magni* VICTORII AMEDEI *Regum & Glorioſiſſimi & Sapientiſſimi Parentis Tui in vulgus editam, novi benigniora hominum judicia expertam eſſe, audendum illud ſupererat, ut aliquam obſequii erga Te mei ſignificationem editurus, alteram hanc laboris ejuſdem partem in fidem Tuam firmiſſimamque tutelam committerem. In Te quum multi publicis teſtimoniis jure optimo commendarint miram Ingenii ſolertiam ac celeritatem, incredibilem Animi celſitudinem & infractum robur, prudentiam plane ſingularem tum Paterna conſuetudine & inſtitutione, tum aſſiduo maximarum rerum uſu comparatam: ego & mecum ſaepius reputare, & admirari vehementer ſoleo effuſum Regiae Celſitudinis Tuae in Literas amorem, quo primum quidem ad Hiſtoriae & Phyſiologiae & Mathematicae doctrinae praeceptiones*

nes

Digitized by Google

nes vim illam acutiſſimae Mentis & celeriter omnia perſpicientis admoviſti; tum verò in Literarum Cultores pari ſtudio & clementia cum Auguſtiſſimo Parente Tuo decertare videris. Accipe igitur hilari, quo ſoles, vultu tenue hoc Literarium munuſculum, non Regia quidem Tua Amplitudine dignum, magnae tamen venerationis argumentum. Nihil enim fortunis meis & ad ſtudiorum meorum commendationem praeclarius accidere mihi poſſe arbitror, quam ut quum ea Magno Literarum Reſtauratori non improbata ſint, eadem futuro olim Statori & Vindici minimè diſplicuerint. Dabam Taurini I. Kalend. Junii Anni MDCCXXX.

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Joannes Albertus Alferius Magiſt. Vicarius Generalis Sancti Officij Taurini.

V. Bertolinus P. & M.

Permittitur. Comes Caſelettarum de Graveris pro Excellentiſs. D. Comite, & P.P. Ricardi, Magnae Cancellariae Cuſtode.

Digitized by Google

PROOEMIUM OPERIS.

TAmetſi quum Primae quam edidimus, Diſſertationi de Literis Encyclicis praefaremur, quid illae reipſa ſint, quae illarum diverſa genera, quae dignitas, quodve in rem Theologicam commodum inferant, ſat prolixè docuerimus, quin & eò delapſi ſimus, ut quam tractandae Diſciplinae hujus rationem in Encyclicis ipſis ad Seculum uſque IX. recenſendis eſſemus inituri deinceps, pro eo ac res ferebat, dixerimus: id nihiloſeciùs contigit, ut quod in Operibus novi quidpiam praeſeferentibus aſſolet, multa multi cenſuerint, atque à nobis ſolicitè rogarint, quid ſibi vellent Encyclicae, quis demum laboris adeò pertinacis ſcopus, & cui bono tam prolixae diſputationes, & in ipſa rerum ſerie tam crebrae animadverſiones? Verbo rem hîc abſolvimus, ſi id nobis conſtitutum eſſe profiteamur, ut Epiſtolarem Eccleſiaſticam Hiſtoriam ordine temporum digeſtam tradamus, quam ſane dolendum erat, hactenus ab eruditiſſimis Viris eſſe neglectam, cum ceteroquin Dogmaticis ſtudiis & tractandae Religionis diſciplinae nihil fortè utilius ſit atque accommodatius.

Equidem in multiplici Chartarum Eccleſiaſticarum genere, earumque certa fide & autoritate, totius Eccleſiaſticae eruditionis & diſciplinae ſumma verſatur: quarum cenſus mea quidem ſententia ad VI. omninò claſſes revocari commodè poteſt. Primo nimirum ſunt loco decreta Generalium Conciliorum. II. Scita Pontificum. III. Acta Martyrum Primitivae Eccleſiae. IV. Encyclicae. V. Decreta, quae Eccleſiaſticae juriſdi-

ctionis limites certos conſtituunt. VI. Tandem Eccleſiarum particularium privilegia, donationes, & quae ſunt id genus alia quamplura. Ex quibus ſimul compactis ingens corpus Diplomaticum Eccleſiaſticum efformari poſſet. Et nos equidem quandiu Dogmaticis ſtudiis operam dedimus, in id quammaximè incubuimus, ut Hiſtoriam Dogmaticam ad Conciliorum Oecumenicorum decreta texeremus, ac non ſemel dogmatum omnium Controverſias Libris XII. comprehenſas extulimus. Quod autem pertinet ad Scita Pontificum, ad Martyrum Primitivae Eccleſiae acta ſincera, ad Eccleſiarum particularium donationes, privilegia, inſtrumenta, ceteraque rei Diplomaticae monumenta & ſubſidia, nemo eſt quem lateat, viros eruditione & doctrina praeſtantiſſimos immortali cum laude in hiſce argumentis & olim & noſtra aetate ſeſe exercuiſſe. Una eaque praeclariſſima Encyclicarum Provincia neglecta hactenus fuit, quam hiſce Diſſertationibus veluti poſtliminio revocare conamur, per quam ſcilicet publica totius Chriſtiani Orbis monumenta, & Catholicae Societatis jura à ſuis initiis ad ſequiora uſque tempora ſervata ſunt, & ex qua demum unicè dignoſci poteſt, quemadmodum fidei & dogmatum conſpirans & ubique & ſemper profeſſio conſtiterit, & à Novatorum frequenti oppugnatione victrix fuerit cuſtodita. Sed id non incurioſis noſtrae hujus tractationis Lectoribus indulgendum, ut qua ratione diſciplina Encyclicarum conſtet, paucis hoc loco aperiamus.

Eſt autem haec Epiſtolaris Eccleſiaſtica Hiſtoria quoddam velut Corpus Diplomaticum totius Societatis Chriſtianae, in quo ſcilicet docentibus per Literas Epiſcopis & quae illi docerent ſumma perſuaſione fidelibus amplectentibus, emerſerunt Leges, decreta, & publicae Chartae quae jura Societatis ejuſdem complectuntur. Fecit verò ipſa Operis moles, copia rerum, argumentique dignitas, quae ut vires noſtras, quod ingenuè fatemur, longè ſuperat, ſic ſuo quodam jure poſtulare videbatur induſtriam multò accuratiorem, vividius ingenium, & eruditionem noſtra quantulacumque majorem; fecit, inquam,

Digitized by Google

quam, ut ſimplici nudoque titulo Diſſertationum de Literis Encyclicis contenti, nobiſmet temperaremus à ſplendida illa Hiſtoriae Epiſtolaris appellatione. Praeſertim cum dubitandum non ſit, quin ſi haec noſtra veteris diſciplinae ſpecimina Eruditorum palato arrideant, futurus aliquando ſit qui argumentum idem retexat, atque amplam monumentorum congeriem ſolertiùs & accuratiùs in ordinem redigat.

Neque velim temerè dictum arbitreris, Literas Encyclicas paſſim editas, earumque collectionem loco eſſe cujuſdam Codicis Diplomatici Societatis Chriſtianae jura atque Leges condentis, ſive originem ſive autores earumdem inſpiciamus, atque animo diligenter repetamus ſummam totius Corporis in illas conſenſionem. Eae ſcilicet ipſo Apoſtolico aevo ita in Eccleſiam invectae ſunt, ut perinde atque ab univerſo ſociato Corpore prodeuntes opera Paſtorum Doctorumque, qui ex Divina ordinatione in eadem Societate futuri ſunt uſque ad ſeculi conſummationem, & quibus à Legiſlatore Chriſto promiſſus eſt in docendo Spiritus Sanctus, publica jura Religionis complecterentur. Adinſtar etiam Diplomatum edi vulgarique conſueverunt. Namque Diploma, ſi vim Graeci nominis inſpicias, eſt rei ejuſdem duplex authentica ſcriptio. Hinc διπλᾶ κάππα, Duplex Cappa, tritum erat adagium, quo duplex malum innuerent. Unde vulgatum illud: *Tria Cappa peſſima: Cappadocia, Creta, & Cilicia.* Duplicia autem erant Imperialia Edicta ab Imperatore ipſo firmata, quorum alterum in Imperiali Scrinio aſſervabatur, alterum ejuſdem formae & authenticiae, quod ad Praeſides mittebatur, qui & illud ſe recepiſſe ſubſcriptione teſtabantur, & proprio inſcripto nomine integrum ſubjacentibus Urbibus intimabant. Quod quidem vel in uno Licinii Edicto perſpicere eſt, apud Lactantium de Mortib. Perſecutor. cap. 48. *Ut autem*, Edicti verba ſunt prope finem, *hujus ſanctionis Benevolentiae noſtrae forma ad omnium poſſit pervenire notitiam, prolata programmate tuo haec ſcripta & ubique proponere, & ad omnium ſcientiam te perferre conveniet, ut hujus Benevolentiae noſtrae ſanctio latere non poſſit.*

Atque haec penè fuit forma Chartarum Eccleſiaſticarum, quarum duplex authenticum exemplar fieri conſuevit, in totidem Archivis aſſervandum, tum ſcilicet apud eum qui ſcriberet, tum verò apud illos qui ſuſciperent, quibuſve inſcriberentur. Cujus rei exempla innumera ſuppeditant vel ipſae quas in hac Diſſertatione recenſemus Encyclicae. Sic quas edidit Encyclicas numero XIII. Carthaginenſium Praeſul Cyprianus peraeque omnes ad Lapſorum cauſſam, & ad totius Orbis Eccleſiarum commoda facientes, authenticas in Archivo ſuo Primatiali repoſuit, ſimilcſque Occidentalibus intimandas ad Romanum Clerum direxit: imò & Saturum ejus rei gratia Lectorem Notarium ſuae Eccleſiae cooptavit, ut exſcribere eas volentibus tum copiam faceret, tum deſcripta exemplaria ſua ſubſcriptione muniret. Quae ſanè conſuetudo fuit apud celeberrimam Africanam Eccleſiam oppidò ſollennis & cuſtodita, quum ex ejus diſciplina ſanctiones omnes Conciliares in duplici authentico exemplari ſervarentur in Primatiali Eccleſia, & in altera quae Protothroni dignitatem obtinebat. Id quod in Cod. Canonum Eccleſiae ejuſdem Lege cautum comperimus Can. 86. Chartae verò authenticae in unum Codicem redactae, *Volumen Chartarum* dicebantur, velut Patres illos in altera Carthaginenſi Synodo, Tom. VI. Spicilegii pag. 5., locutos legimus. Hinc locum ipſum cuſtodiae hujus *Chartarium* vocat S. Hieronymus: & quoties de Encyclicae alicujus veritate excitari dubitatio contingeret, ad primum illud exemplar erat confugiendum, ceu docuit exemplo ſuo idem Hieronymus in lib. 2. adverſ. Rufinum. Sed de hiſce Eccleſiarum Archivis ſeu Chartariis plura in hujuſmet Diſſertationis decurſu animadvertimus.

Hinc Carolus M. quum Diploma conceſſit Donationis Spoletani Ducatus Pontifici Hadriano, quod Etherius illius Notarius ſcripſit, autographa duo exemplaria fecit. *Prius ſuper altare B. Petri & poſtmodum intus in ejus confeſſione poſuit: deinde apparem ipſius donationis per eundem Etherium adſcribi faciens, intus ſuper corpus B. Petri poſuit, aliaque ejus donationis exempla ſecum deporta-*

Digitized by Google

deportavit. Quod ſcribit Anaſtaſius in vita Hadriani. Neque verò id moris uſpiam praetermiſit Apoſtolica Sedes, aſſueta olim duplicia authenticarum Literarum exemplaria conſcribere, unum quod in Archivo ſuo propè altare Sancti Petri reconderet, alterum quod ad Eccleſias dirigebat, ut diſſertè memorat Nicolaus I. in Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem.

Ab eo more profecta ſunt vocabula, Identurae, & Pariclarum, ſeu Paricularum. Primò denotabantur parallela ſcripta, quia ab originali ſeu autographo ne minimis quidem apicibus diſtabant, adeout ab eo deciſa jungerentur adinſtar dentium, eſſentque quamſimillima, & nullius eſſet negotii, veritatem Scriptorum invicem metiri. Quamobrem ſi de rebus in iiſdem comprehenſis emergeret contentio, eaedem Identurae ſimul aptabantur, ſimulque collatae ex tabularum connexione, ſimilitudine Characterum, Chartae, ſignique veritatem, corruptionemve teſtabantur. Paricla, & Paricula dicebantur Chartae, quae invicem, velut perſpicilla, nectebantur. Et haſce Chartas publicas, Epiſtolas praeſertim hac cautione emiſſas fuiſſe, abundè docet illa quae ex Formulis antiquis Cap. 4. legitur. *Unde duas Epiſtolas Pariculas uno tenore conſcriptas manu eorum vel bonorum hominum firmatas inter ſe fieri ac firmare rogaverunt*.

Quantò igitur fuiſſe conſultius eorum qui rerum geſtarum ſeriem Literis conſignandam ſuſceperunt, propoſitum arbitrabimur, ſi ex publicis ejuſcemodi Chartis ſive quae Civilem, ſive quae Eccleſiaſticam Hiſtoriam ſpectant, documenta ſumſiſſent? Noſtri non eſt inſtituti nec ingenii Literarios graviſſimorum hominum labores in utraque Hiſtoria condenda carpere, aut methodum rationemque ſcribendi ab iiſdem adhibitam inſimulare: nec tanti ſumus, ut id audeamus. Imò quantò amplioribus tractationibus conniſi ſunt utramque Hiſtoriam & antiquitatem illuſtrare, tantò perenniorem nominis commendationem ſunt promeriti. Sed cum Hiſtoriarum ferè omnium ea ſit conditio & fatum, praeſertim remotiſſimi aevi, ut res eaedem à diverſis diverſarum, imò & earumdem ſaepe Gen-

Digitized by Google

tium Scriptoribus aliter tradantur: & in Hiſtoriis incerta proinde ea ſint & dubitationibus obnoxia, nec an ita ut ab aliquo eorum traduntur, an ſecus contigerit, fas ſit dijudicare; quum vel ipſe plurium alicubi conſenſus Scriptorum neque ſatis habeatur, ut quid certò ſentiendum ſit, cenſeamus: an non ſummi erat momenti, ſi aut omnes, aut plurimi ex illis documenta publica nobis exhibuiſſent? Inſuper cum Hiſtorici laboris pretium illud potiſſimum ſtatui ſoleat, ut vera diſcriminentur à probabilibus, theorica à practicis, nihil eſt quod magis quam ſtudium hocce, ſcribentium ac legentium curam induſtriamque fatiget. Praetereo innumera praejudicia quae rem Hiſtoricam obſident ac denigrant, animoſitates, aſſentationes, ſimileſque animi affectiones, & veritatis offendicula. Quod ſi in tam ancipiti ſalo fluctuat recentium rerum fides, quis eat inficias, nullibi majorem ſedulitatem, prudentiam, ſolertiamque adhibendam eſſe, quàm in antiquitatis ſacrae arcanis patefaciendis? Et tamen ſunt è Scriptoribus oppidò plurimi, qui quod de rebus antiquiſſimis narrant, non tam probant, quàm aſſeverant, & quovis etiam pignore, ſi Diis placet, temerè contendunt vera eſſe & uſque adeò certa, ut nihil ſupra; cum interim nullis autoritatis idoneae fundamentis ſint ſubnixa. Scilicet pars major horum plagiaria eſt, qui non ad examen revocant quae ſcribunt, nec ad ſincera quae ſuperſunt Hiſtoriae & antiquitatis documenta exigunt: ſed ut ſummum ſi aliqualem diligentiam iſthic praeſtant, variorum exquirunt ſententias, eamque ex illis quae ſibi minimè prae aliis laborare videtur difficultate, ſecuri arripiunt, ſuiſque ſcriptis infarciunt, ea conditione ut ſi primi quos deſcribunt autores erraverint, aliis atque aliis in eundem lapidem impingentibus, de veritate actum ſit. Ego quidem ſic arbitror, nihil eſſe inditae nobis à Deo rationi propudioſiùs, quàm ſiquid de rebus humanis affirmemus, quod ita ſe habere non quidem ſciamus, ſed credamus: atque fungis ac ſtipitibus non abſimiles opinor eſſe homines illos, qui cum ſuopte ingenio ad veritatis aſſecutionem eniti poſſunt, per contortas ac tenebricoſas ejuſdem indagandae

dae

Digitized by Google

dae ſemitas vagari, implicari, atque abripi malint. Quod cum in ceteris ſtudiis locum habeat, in Hiſtoricis quoque obtinere debet etiamſi res vel antiquitate ſua obſcurae ſint, vel conſultò involutae & implexae, in quibus eo maximè laborandum eſt, ut nexus quidam idoneus, ſerieſque continua & probabilior reperiatur.

Hiſtorica igitur methodus enunciativa eſt una, Diplomatica altera: illa Imperiorum origines, bellorum viciſſitudines, Regnorum, Populorum, atque Urbium geſta deſcribit; haec verò in Actis publicis, Legibus, Edictis, foederibus, & quae ſunt alia id genus, tota verſatur. Prior non raro vel ſtudio, vel ira corrumpitur, ſaepiuſque ita Scriptorum conflictatione aut conſpiratione foedatur, ut jurgia illi & maledicta ferenda ſint, qui paullò curioſius, & ut hominem ratione praeditum decet, penitiorem veritatis indagationem ſibi praeſtituat. At verò Diplomatica cum in publicis documentis tota verſetur, certior ferè eſt, & vitiis ejuſmodi minus obnoxia. Sunt enim inſtrumenta & Diplomata locupletiſſima quaedam & incorrupta teſtimonia, imò vel ipſius enunciativae Hiſtoriae fundamenta. Laboret enim Hiſtoriae fides neceſſe eſt, niſi Chartae inſpiciantur & Diplomata, quum Scriptores quod attinet, ſexcentis modis labantur ipſi, alioſque ferè ſecum trahant.

Quum igitur autoritatis plurimum ex Re Diplomatica in univerſam Hiſtoriam dimanet, nemo fere eſt poſt Literarum inſtaurationem paullò doctior, qui non Gentium Diplomaticos Codices, & foederum aliarumque publicarum Chartarum collectiones non magni fecerit, non depraedicarit. Olim Spartanis haec erat ſaluberrima inſtitutio Juventutis, ut in publico foro paſſim verſaretur, ut pro Libris & documentis eſſent ſtatuae Heröum cum adſcriptis titulis, quos parentes ipſi ſuis filiis inſpectantibus enarrabant, eoſque ad praeclare geſtorum imitationem adhortabantur. Ex his ſumta ſunt certiora Laconicae Hiſtoriae argumenta, & quae erat temporum felicitas, hinc ſublimes animos naviter inſtituta juventus capeſſebat. Athenienſes quoque tabulis lapideis Leges ſuas ac plebiſcita

incidebant, quas revellere, capitale erat, ut aït Plutarchus in Pericle, & quae mathemata aliis exempla eſſent, ſaxis in publico foro conſtitutis incidebant. Quocirca Cornelius Nepos in Alcibiade ex Populi indignatione & invidia damnato, ſcribit. *Eumolpidas Sacerdotes à Populo coactos ut ſe devoverent, ejuſque devotionis quo teſtatior eſſet memoria, exemplum in pila lapidea inciſum eſſe poſitum in publico*. Edicta Societatum & foederum aeri aut marmori inſculpta ad non interituram rei memoriam fuiſſe, ut cetera mittamus, illuſtri monumento adſtruitur in Aula Capitolina ad vicinia Jovis Capitolini exſtructa, quae publica ferè erat, certa & indubia quaedam Romanae Hiſtoriae univerſalis Bibliotheca, ubi in aereis tabulis Societates contractae, foedera ſancita, Ludorum ac Populi cenſus. Faſtive legebantur: tantae porrò aeſtimationis, ut ab Aedilibus praecipua quadam ſolicitudine curarentur. Celeberrimum hoc reconditioris Hiſtoriae monumentum flammis unà cum Templo magnam partem abſumtum, reſtitui juſſit Veſpaſianus tabulis itidem aereis aut veteribus aut novis cumulatum, ut in illius vita prodit cap. 8. Svetonius. *Ipſe reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quaedam extulit: aerearum tabularum tria millia quae ſimul conflagraverant, reſtituenda ſuſcepit, undique inveſtigatis exemplaribus. Inſtrumentum imperii pulcherrimum, quo continebantur penè ab exordio Urbis Senatuſconſulta, Plebiſcita de ſocietate & foedere ac privilegio cuicumque conceſſo*. Duo hic facilè animadvertas. I. Veſpaſianum haec omnia ope exemplarium reſtaurari curaſſe: quippè duplicia erant, alterum quod in Aula Capitolina ſervabatur, quod eis datum erat quibuſcum aut ſocietas aut foedus ſanciebantur, alterum: II. Collectionem illam aerearum tabularum, ut Svetonius loquitur, fuiſſe inſtrumentum Imperii pulcherrimum ac vetuſtiſſimum, quia in iis videlicet integra Romanae Reipublicae facies conditioque proſtabat. Et ad hanc quidem inſtaurationem Romani mentem intenderunt, quum initia imperii Veſpaſiani titulo *Anni Sacri* appellantes, Epocham natalis velut Urbis duxere: quemadmodum in Collectione Epocharum

charum ordine Alphabetico digeſtarum, quam non exiguis duobus voluminibus comprehendimus edituri in lucem, ſi aetas ac res noſtrae ferant, ad Epocham Anni Sacri accuratiùs annotavimus.

Aegyptus Scientiarum imprimis mater hanc methodum ceteris praeïvit Gentibus. Quippè apud Aegyptios praeter ſtupendas Pyramidum moles, in quibus Regum geſta fuerunt inſcripta, multò pridem uſuvenit, ut publica ſcita, Leges, rerum origines & quae ſunt alia ſanctioris antiquitatis monumenta in ſtelis, pilis, columnis, tabuliſque inciſa traderent Sacerdotibus cuſtodienda, eaque in adytis aut penetralibus templorum religioſè aſſervarentur. Pilas inter & Columnas inſcriptas hoc intererat, quod Pilae ex caeſis lapidibus compactae eſſent, Columnae ex ſolido ſaxo: Stelae verò diſſecti magni lapides erant. In Inſula Maris rubri aula erat, in qua *Stelae lapideae literis ignotis* aſſervatae memorantur Plinio lib. 6. Hiſt. cap. 34. Ignotis, inquit, literis, quia Lagidae ſacros characteres, quibus Sacerdotes in hiſce rebus exprimendis utebantur, oblitera-ri curarunt, ne poſteritas prima incrementa ſcientiarum apud Aegyptios noſceret, quarum gloriam Graeci ſibi vendicabant. Agit de ejuſcemodi Stelis Marcianus Capella lib. 2. pag. 35. *Stelae eminentia ſaxa, quibus Librorum notae adſcriptae, quaeque intra ſpecum per Aegyptiorum adyta collocata, Stelae appellantur.* Babylonii etiam ingentes moles lateribus exſtruentes aſtronomicas obſervationes ceteraque in Scientiis placita illis incidebant: atque inter ea rudera totis XXX. annis ſedulò verſatus Democritus ad tantam literarum famam, quantam norunt omnes, pervenit. Etruſcorum antiquitates collegit magnam partem ex hujuſmodi monumentis in ſuo de Antiquit. Opere M. Varro. Gentium fere ceterarum hiſtoriam & praeclarè publicèque geſta hinc haurienda eſſe graviter monuit Pauſanias, qui lucubrationes ſuas identidem hac merce locupletavit. Ipſae Amphyctionum, Jonum, Achaeorum, ceterarumque Rerumpublicarum Societates, ut in Epochis & Chronologica Populorum illorum origine diſſeremus, epiſtolas & monumenta pu-

publica

blica ſaxis inſculpere conſueverunt, cujuſmodi ſunt marmora Arundeliana magno penitioris eruditionis bono ad nos uſque ſervata.

Cum igitur Chriſtiana Religio inter ceteras quibus emicat, perfectiſſimas inſtitutiones & dotes, Societas etiam ſit unumque corpus, publica ſcripta [quod eſt potiſſimum Societatis hujus vinculum] ad Fidem & Religionem ſpectantia ſervavit, unde puritas Dogmatum, eorum una profeſſio, unaque Eccleſiarum communio, atque adeò Eccleſiae unius veritas nunquam non aſſerta eſt. Et vel ex ipſa Salvatoris inſtitutione adinſtar Societatis cujuſdam Religionem Chriſtianam coäluiſſe dubitari nequit. Quippè cum in ultima Coena ſublimem ſermonem illum dixiſſet, quo Apoſtolis ſecretiora patefacta ſunt dogmata, Patrem imprimis rogat, ut huic inſtitutioni firmitatem ipſe impertiat. *Ego*, inquit Johan. 17. v. 14., *dedi eis ſermonem tuum*. En vinculum Societatis, divina ſcilicet revelatio, quae norma eſt credendorum & regula. Sed ut id ſartum tectumque ſit, inſtantius rogat, *ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat Mundus, quia tu me miſiſti*. Character ſcilicet potiſſimus inſtitutae Societatis erat una eademque confeſſio dogmatum, unum os & cor unum. Quò mentem intendens Lucas, quum incipientem Chriſtianam Religionem deſcribit, Act. cap. 4. v. 32. aït. *Multitudini autem credentium erat cor unum & Anima una*. Et id fere eſt quod huic Religioni conſtare, exoptat Gentium Apoſtolus ad Rom. 15. v. 5. *Deus det vobis idipſum ſapere* ... ... *ut unanimes uno ore honorificetis Deum*. Hoc unitatis munimento & firmitatem fidei conſtitutam, & ejus adverſarios deinceps quotquot erunt, refellendos adjungit in Epiſt. ad Philippenſ. cap. 1. v. 17. *Quia*, inquit, *ſtatis in uno ſpiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelio, & in nullo terreamini ab adverſariis, quae illis eſt cauſſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo*. Vides quantopere in hac Societatis Chriſtianae unanimitate, quam quoddam velut praeclariſſimum donum à Patre obtinuit pro Eccleſia ſua Salvator, inſiſtat Apoſtolus Paulus.

ſus. Quod & Apoſtolorum Principi nequaquam excidit graviter commonenti in ea quae prior dicitur Epiſtola, quamque morti proximus exaravit, ſcribens cap. 2. v. 2. *Impl ete gaudium meum, ut idem ſapiatis eandem caritatem habentes unanimes idipſum ſentientes*.

Peculiare illud fuit omnium pene civilium Societatum, ut Urbes ceteroqu in liberae in eaſdem coäleſcentes, praeter ſuas peculiares leges quibus ſingulae regebantur, pacta quaedam fundamentalia Societatis ſervarent, habito etiam ſupremi Magiſtratus delectu, qui ſummo cum imperio jura diceret, & quoties id è re foret politici Corporis, foedifragos & pactorum communium temeratores depelleret. Haud aliter in Chriſtiana primitiva Eccleſia pro quodam publico Societatis jure habita eſt divina Revelatio, ſuam interdum peculiarem diſciplinam obſervantibus diverſarum Provinciarum Eccleſiis, & hac potiſſimum Provincia Epiſcopis data, ut ſi quos divinorum Oraculorum corruptores vel contemtores deprehenderent, diris eos devoverent, & abſtruſiorum myſteriorum germanas explicationes velut totidem Leges Societati proponerent cuſtodiendas. Hoc potiſſimùm fuiſſe Chriſtianae Reipublicae regimen, vel ex Edicto Maximiniani colligi poſſe arbitramur. Is Deo vindice peſtilenti graviſſimoque morbo conflictatus in eam tandem ſententiam conceſſit, ut Edicta, quibus ſaeviſſimè in Chriſtianos debacchatus fuerat, revocaret contrario Edicto, in quo illorum deſcribens inſtituta, apud Lactantium de Mortib. Perſecut. cap. 34. pag. 228. inter cetera aït. *Pro arbitrio ſuo, atque ut hiſdem erat libitum, ita ſibimet Leges facerent, quas obſervarent, & per diverſa varios populos congregarent* Non ignoro doctiſſimos Commentatores ex conjectura ſupplere *per diverſa loca*. Sed pace illorum, id non admodum cautè: nec ratio ſubeſt, cur pro arbitrio à lectione MSS. Codicum diſcedere debeamus. Mentem ille intendiſſe videtur ad diſciplinam Encyclicarum, & ad Chriſtianam Societatem ſua placita proponentem, retinentemque: adeout ſenſus ſit, quaſi Epiſcopi Societatis Chriſtianae *pro arbitrio ſuo atque ut hiſdem erat libitum, ita ſibimet Leges facerent, & per diverſa loca* oeconomica regiminis

media

media Sociatis intimarent medio Encyclicarum totum Orbem decurrentium, qua ratione *varios populos congregarent*, quum in Synodis paſſim Encyclicae lectitari ſolerent. Hanc conjectationem non obſcurè firmat privilegium Licinii quod toti Chriſtianae Societati indulſit, referente Lactantio ibid. cap. 48. pag. 292. ubi aedes particulares & loca in quibus Societas ipſa Chriſtianorum colligi conſueverat, ſecernit à reliquis. *Quae omnia*, inquit, *Corpori Chriſtianorum protinus per interceſſionem tuam ac ſine mora tradi oportebit. Et quoniam iidem Chriſtiani non in ea loca tantum ad quae convenire conſueverunt, ſed & alia etiam habuiſſe noſcuntur ad jus Corporis eorum, ideſt Eccleſiarum, non hominum ſingulorum, pertinentia, ea omnia Lege qua ſuperius comprehendimus, citra ullam prorſus ambiguitatem vel controverſiam hiſdem Chriſtianis, ideſt, Corpori & Conventiculis eorum reddi jubebis, ſupradicta ſcilicet ratione ſervata.* Duo loca apertè diſterminat, ea ſcilicet quae peculiaria erant plebis hujus Chriſtianae ab illis, quae Corporis & Societatis erant Chriſtianorum. Haec eſſe aït comparata ad ipſam Chriſtianam Societatem repraeſentandam, in qua coetus quidam eſt non uno aut altero ex populo coäleſcens, ſed univerſali quadam compage totius nominis. Cujus rei veſtigium eſt in eo veteri more, quo in unaquaque Urbe Metropoli una erat Baſilica & Eccleſia, idcirco Metropolitana nuncupata, & velut ceterarum quae inibi forent Eccleſiarum mater, in qua ſanctiones ad Societatem integram pertinentes vulgabantur; inque iis autographa ſcripta ad illud quoddam Eccleſiarum Corpus pertinentia aſſervari conſueviſſe, ex Codice Canonum Africanae Eccleſiae annotavimus. Atque hinc Tertullianus in celebri opere de Praeſcriptionibus, ubi dubia emergunt, ad Eccleſias Matrices & Originales remittit: quippe in iis demum velut propria Societatis Chriſtianae archiva ſervabantur accuratiore religione. Quò referas illud Auguſtini in Epiſt. 56. ſcribentis. *Ille fidei clementiſſimus Imperator, & per conventus celeberrimos Populorum atque Gentium, ſedeſque ipſis Apoſtolorum arce autoritatis munivit Eccleſiam, ac per pauciores piè doctos & verè ſpirituales viros copioſiſſimis apparatibus etiam invictiſſimae rationis armavit.*

Hanc

Hanc Societatis Chriſtianae in dogmatis conſenſionem, & velut animam unam unumque cor, quam unanimitatem S. Doctor Societatis perſuaſionem appellavit, Julianus Apoſtata eſſe illam opus hominum, non divinae potentiae arbitratus, diſſolvere allaboravit. Nam quum Donatiſtae quos ab hac Societate & communione extorres fecerant Imperatorum Conſtantini & Conſtantis Edicta, Julianum rogaſſent, ut ſe priſtinae libertati reſtitueret, id ille ſceleſti conſilio indulſit, quatenus partes quae ſibi invicem magnoperè infenſae erant, in unum corpus coäleſcentes mutuum ſibi inferrent exitium, totique Societati diſſolutionem. Quod annotatum eſt Auguſtino in epiſt. 166., ubi poſt laudata ſuperiorum Principum in Donatiſtas Edicta, ad hunc modum proſequitur. *Quibus ſuccedens Julianus deſertor Chriſti & inimicus, ſupplicantibus veſtris Rogatiano & Pontio libertatem perditioni partis Donati permiſit. Denique tunc reddidit Baſilicas Haereticis, quando templa Daemoniis, eo modo putans Chriſtianorum nomen poſſe perire de terris, ſi unitati Eccleſiae de qua lapſus fuerat, invideret, ut ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret.* Hinc Theodoſius antonomaſticè Sociatos appellavit Orthodoxos lib.6. de fid. Cathol. Cod. Theodoſ., ubi quum ſacras Aedes ab Haereticis eouſque occupatas, ſua lege poſt initam Eccleſiarum concordiam ſuſtuliſſet, tradi eas Sociatis jubet, quos paullo antea orthodoxos nuncupaverat.

Hujuſce ergo Societatis, Leges ſanctionesque condentis publica diplomatica ſcripta, ſeu ut contractius loquamur, Epiſtolarem Encyclicarum Hiſtoriam pertexere hoc Opere conſtituimus. In quo quidem graviſſimi nobis autores praeïverunt Origines, Euſebius, ceterique deinceps veterum Hiſtoricorum accuratiſſimi. Origenes enim cum declinandae perſecutionis gratia à Maximino in Chriſtianos excitatae Caeſaream ſeceſſiſſet, domicilium apud Julianam fixit opibus quidem affluentem, ſed inſtructiſſima Bibliotheca ditiorem, quam jure haereditario à Symmaco obtinuerat. Seceſſus hujus decurſu praecipua collegit Adamantius argumenta, quae ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam illuſtrandam facerent, publicis Literis, quas ultra centum memorat Euſebius

ſebius, quarumque fragmenta ſuae paſſim Hiſtoriae interſerit, conſtantiam Martyrum fidemque & pietatem promovit. Schedas haſce ab Origine collectas una cum Bibliotheca legavit Juliana Pamphilo Martyri, & is demum Euſebio, qui ſubſidiis illis inſtructus ad Hiſtoriae ſcriptionem animum appulit, quae proinde magnam partem confecta eſt ex editis pridem Encyclicis; unde nos ipſi ſeriem Encyclicarum primitivae Eccleſiae depromſimus. Enim verò quanti eſſent illae apud Euſebium, vel inde exiſtimare pronum eſt, quod Tomos paſſim Encyclicos commemoret, argumenta etiam proponat, ingenuèque fateatur, ſe potiſſima Hiſtoriae capita ex Epiſtolari Encyclico Codice, qui in Hieroſolymitana Eccleſia ſervabatur, ſumma fide & accuratione ſumſiſſe.

Ejus & proximi aevi Scriptores nihil agunt frequentius, quam ut geſta Eccleſiarum ex his ſcriptis Encyclicis pertexant, atque interdum exemplaria eorum integra deſcribant. Hinc cum Parmenianus Encyclicam edidiſſet, quo Donatianum Schiſma magnoperè confirmatum eſt, eam ut oppugnaret, Libros VII. vulgavit Optatus, in quibus fere totus in eo verſatur, ut ex Encyclicis Catholici Orbis, publiciſque Eccleſiarum geſtis, vel ut ex indubiae fidei monumentis ſchiſmaticum Carthaginenſem Primatem refellat. Quin etiam haec ipſa ad operis calcem attexere voluit documenta, quae tamen ſive incuria amanuenſium, ſive quodam Scriptorum veterum fato interciderunt. Hinc certè ſumta ſunt in celeberrima Orthodoxorum & Donatiſtarum Collatione Carthaginenſi argumenta potiſſima, quibus ii oppugnati ſunt, eorumque ſchiſma toto Catholico Orbe deteſtatum.

Arius quoque vix ſuas adverſus divinam Verbi naturam exerere blaſphemias coepit, cum per Encyclicas Alexandri Alexandriae Praeſulis, cui ceterarum ſedium Antiſtites adjuncti ſunt, velut priſcae fidei temerator & Haereſiarcha habitus eſt, editis paſſim atque invicem ſubſcriptis Encyclicis, quae quidem numero LXX. in Tomum Encyclicum redactae fuerunt. Quis autem eſt ex ſacris aut illius aut ſequioris temporis Tractatoribus, qui non earum autoritate diſputarit? An non Athanaſius, Epiphanius,

nius, Socrates, Sozomenus, ceterique poſtea diſſertè teſtati ſunt ſummam illarum apud Eccleſias Orbis vim & autoritatem.

Ipſi nimirum hoſtes avitae fidei quo Sectatores novitiae doctrinae ſuae firmitatem docerent, abs Eccleſiis rebellibus ſibique conſortibus Literas ſubſcribi aut confici adlaborarunt. Auxentius ex Codice Epiſtolarum illarum, quas Ariminenſes Patres ſive dolo capti, ſive intentatis ſuppliciis perterriti ſcripſerant ad Conciliabuli ejuſdem impietatem facientes, geſta quaedam exaravit, quibus Valentiniano Ortodoxo ceteroquin Principi nequiter impoſuit, quemadmodum ex Hilario Pictavienſi in opere adverſ. Auxentium diſcimus. Hinc Catholici Aſſertores Trinitatis calumniam, ut depellerent, ac Valentinianum dedocerent, geſta eadem & Hiſtoricam rerum ſeriem ex veris germaniſque Eccleſiarum Encyclicis ſuſceperunt pertexendam incredibili & Religionis & ſanioris Theologiae commodo; quippe cum (quod in altera Diſſertatione ad Chalcedonenſium Patrum adlocutionem demonſtrabimus) ex illis potiſſimum lucubrationibus currente Epocha aſſertorum conſubſtantialis Trinitatis, orthodoxa fides luculentiſſimè enituerit.

Sabinus quoque Macedonianae factionis Epiſcopus Heracleenſis in Thracia nihil eſſe cenſuit ad Haereſim ſuam ſtabiliendam commodius, quam haereticalium ſuae partis Encyclicarum perinde ac Conciliorum digerere Collectionem, quam ad annum uſque CCCCXXV. produxit. Tametſi enim Encyclicas illas ſilentio preſſerit, quae aut homouſii vocabulum, aut primaevam Eccleſiarum de Deo fidem & perſuaſionem teſtabantur, ut Socrati lib. 2. Hiſt. cap. 17. proditum eſt; hoc ipſo tamen aeſtimare juvat, quantopere non tam à Catholicis haberentur in pretio Encyclicae illae, quantum vim illarum, pondus, & autoritatem Haeretici vererentur. Id certè vel invitus commodum intulit Sabinus Eccleſiae Catholicae, ut non ſpernenda fragmenta Encyclicarum, quae Socrates & Sozomenus ex illius collectione Hiſtoriis ſuis inſeruerunt, hodieque habeamus Catholicae traditionis Teſtes & monumenta.

Neque

Digitized by Google

Neque id praetermiſit Irenaeus ille, qui pridem apud Theodoſium Imp. Comitis officio functus, & ad Synodum Generalem Epheſinam dimiſſus, in partes Neſtorianorum deinde conceſſit, electus Tyri Epiſcopus. Namque ut Cyrilli Alexandrini Encyclicam XII. anathematiſmos adversùs Neſtorii haereſim complectentem labefactaret, eam in ſua quam adornavit, Neſtorianiſmi Hiſtoria, quamque Tragoediam inſcripſit, ipſo ferè operis initio deſcripſit, ſimulque adjunxit ceteras Epiſtolas omnes, quae aut pro illa defendenda & probanda, aut ad illam oppugnandam refellendamque fuerant ab Epiſcopis exaratae, & in Orbem vulgatae. Cujus collectionis partem maximam reſervavit Synodicon Caſſinenſe, quod vir Cl. Chriſtianus Lupus publici juris fecit, & ex quo in Diſſertationibus III. & IV. uberrima nobis ſeges dabitur Epiſtolaris hujus Hiſtoriae el ucidandae.

Equidem quid haec Encyclicarum diſciplina, quid expreſſa in illis Catholici Orbis conſenſio poſſet ad rectam fidem ſive conſtituendam ſive vindicandam, praeclarè oſtendit Dalmatius Sanctiſſimus Archimandrita, qui Theodoſium Imp. Chryſoretis Neſtorio adhaerentis fraudibus & impotentia circumventum hoc potiſſimum argumento ad meliora conſilia capeſſenda pro Epheſini Generalis Concilii indemnitate perduxit. Parum aberat quin Princeps ille publicis decretis Acta Epheſinorum Patrum reſcinderet, ſuaque autoritate victricem Neſtorii blaſphemiam apud populos faceret. Quamobrem Catholici Epiſcopi nihil pene reliquum eſſe animadvertentes, quam Imperatori palam & conſtanter obſiſtere, zelum Dalmatii excitarunt, qui aulam ingreſſus, depulſis Neſtorianorum offuciis, rei veritatem aperiret. Novimus autem ex relatione facta in Eccleſia CPna Actorum Dalmatii cum Theodoſio, non aliis cum argumentis pulſaſſe ad Cyrilli & fidei conſtantiam probandam, quam expreſſa per Encyclicas Epiſcoporum Orbis conſenſione. Verba ſunt ipſius Dalmatii: *Ceterum pro altera parte, hoc eſt pro parte Cyrilliana, coram omnibus dixi, ſex milliane Epiſcoporum audire malit, an unum tantum hominem eumque impium. Sex millia autem*

Digitized by Google

tem eos ajebam, qui ſub Metropolitanorum Sanctiſſimorum Epiſcoporum poteſtate degunt. Et optimo quidem jure. Nam ante ipſam Epheſinam Synodum Encyclicam ſuam vulgaverat Cyrillus, quae innumeris Literis & ſubſcriptionibus Epiſcoporum utriuſque Orbis, Orientis & Occidentis fuerat confirmata. Quin etiam earumdem Literarum collectionem praeſto fuiſſe & in promtu, ſat indicat ipſa Dalmatii aſſertio apud Theodoſium, & Eccleſiam CPnam, & apud univerſum congregatum populum: ſatis etiam ipſemet rei exitus comprobavit. Hanc certè conſpirantem multitudinem ad Catholicae partis praeſidium non ſemel memoravit deinde Cyrillus nomine judicii Orbis; & Adlocutio Chalcedonenſium PP. eandem Encyclicam tot millium Epiſcoporum Literis & ſubſcriptionibus communitam inter ceteras commendavit.

Ipſe Carolus M. non equidem inſcius, quantopere ad dubia Eccleſiaſtica eliminanda Epiſtolarum ejuſmodi collectiones ducant, & quantum momenti habeant ad univerſam rem Eccleſiaſticam illuſtrandam, Encyclicas edi voluit de Proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio, quas è forulis Bibliothecarum erutas publicique juris factas debemus diligentiae Cl. Mabillonii, apud quem leguntur Analect. Tom. 1. pag. 21. de Baptiſmo ejuſque ritibus. Alteram verò Leoni III. Pontif., alteram Odilberto Archiepiſc. Mediolanen. direxit. Collectio autem Epiſtolarum ab eodem propoſita eſt in Codice Carolino, in quem redactae ſunt Literae Pontificum, aliorumque Praeſulum ad Carolum Martellum, Pipinum, ipſumque Carolum M. ſcriptae. Hic porro Codex anno 791. Carolo ipſo jubente ex Epiſtolis 99. confectus legitur integer in Tom. III. Scriptorum Francicorum Ducheſnii.

Id igitur in nos recepimus, ut publica haec diplomatica ſcripta Societatis Chriſtianae, & unius fidei ac communis perſuaſionis monumenta tanti apud veteres Scriptores habita, non praetermiſſa temporum ſerie, poſtliminio reſtituamus. Nam cum nihil fere eſt ad rem Dogmaticam reſtituendam accommodatius, tum non aliunde elucidari poteſt Chriſtianae divi-

nitus inſtitutae Societatis firmitudo, conſenſio, perennitas. Quippe Paſtores & Eccleſiae Doctores hoc potiſſimum medio ſecum invicem primum conſpiraverunt, tum verò ſecuras & magna velut luce circumfuſas totius habitabilis Orbis Gentes in fidem verae Religionis adſtrinxerunt. Quam quidem planè admirabilem & praeſentiſſimo divino Numine conſtitutam ſervatamque inter diſſitos & lingua & ingenio & moribus, atque etiam interdum praejudiciis disjunctos populos, conſtantem firmamque conſenſionem quicumque accuratè pernoſcat, fateatur neceſſe eſt cum Auguſtino Tract. 2. de Symbolo cap. 13., inter cetera divinae Potentiae opera nihil eſſe admirabilius, nihil ad incomprehenſibilem ejuſdem vim & energiam aſſequendam comparatius, quam ipſa haec perpetua & temporum & hominum de placitis iiſdem conſenſio fuerit. Quare aïebat laudatus Doctor: *Agite cauſſas Matris veſtrae: exerite ejus ampliſſimam dignitatem.*

Verumtamen ampliſſima haec Chriſtianae Societatis dignitas, quae non aliter atque in hac ipſa, qua de agimus, conſenſione elucet, una fere ducit ad ſolidiorem ſacrorum Dogmatum explanationem defenſionemque. Non ignoro [quod commune Scientiarum fere omnium fatum eſt) multos paſſim reperiri, qui & Theologiam excolere, & Religionem ſe vendicare glorientur. Sed quam pauci ſunt, qui veram Facultatis hujus Sapientiam ſequantur? Omnes ſcilicet quanta poſſunt voce clamant & aſſiduè clamant, miroque verborum ambitu adhortantur, ſaniorem hanc Theologicarum rerum ſemitam eſſe tenendam, ſaepe etiam quam ingenuè tam ineptè profeſſi, Theologum eſſe neminem, qui hac inſtitutione imbutus non fuerit. Imo Scriptorum farrago ingens argumenti Dogmatici exercet in dies proela; librarias tabernas explet, atque ultro & non petenti ſeſe offerunt magna mole ingentibuſque promiſſis id genus lucubrationes. Sed ſi quorumdam eruditorum hominum labores exceperis, facile non in ſapientes & veri nominis Theologos, ſed in Polyſtores & rerum hujuſmodi compilatores incurres. Duo enim peccant hauddubiè argumenti

menti hujus Scriptores: alterum quod tumultuariè atque ordine nullo argumenta ſua conſarcinent, alterum, quod nimium & ad nauſeam uſque ſophiſticentur.

In primam Claſſem redigendi ſunt non pauci, qui Scientiae hujus fontibus praetermiſſis, rivulos ſtudioſè ſectantur, compendiaque rerum ſcriptitantes, hinc & inde ſuas compaginant ſarcinas, ſpecioſiſque ad rei novitatem titulis circumveſtiunt, fortunaque ſua ita utuntur, ut quibus vendicent, quibus imponant, non difficulter reperiant, ſuiſque ejuſmodi naeniis corraſiſque plagiis, quibus mirum eſt quantopere ſibi placeant, apud indoctos ſcioloſque è trivio homines magni nominis & doctrinae famam aucupantur. Fateor, gravis & ſapientis hominis non eſt ad haſce vociferationes, tituloſque ſuperextructos mentem intendere, nec quantum peccent qui aliorum lucubrationes corradunt exſpilantque, accuratius edocere. Studioſi tamen & probè inſtituti in hiſce ſtudiis Candidati eſt, ſcripta id genus non ex titulo, non ex autorum magiſtrorumque jactantia dijudicare, aut rei dogmaticae ſummam in iis Encyclopaediis ſitam arbitrari. Quicumque enim aliorum magiſteria coăcervare & labores ſolent, ii credunt potius, & pro vero admittunt quod quandam veri ſpeciem habeat, ſed quod ipſi vel certo ſtatuere, vel citra dubietatem refellere nequeunt. Ita nimirum ſunt comparati, ut operoſam veri aut in omnem partem probabilis demonſtrationem aſpernentur declinentque, diutinae lectionis in unam rem impendendae toedio abſterriti: cum tamen nulla res per ſemet obſcura atque adeo contentionibus obnoxia in lucem pertrahi, & in eam qualem capit certi ſpeciem redigi queat, niſi accurata tandem inveſtigatione & tractatione, quibus & tenebrae diſpellantur, & dilui difficultates poſſint. Tumultuarii & ineptiſſimi ſtudii hujus una fere cauſſa eſt, laboris exantlandi periculum, & evadendae contentionis difficultas. Quod vel indicio eſſe poteſt horum hominum domeſtica literaria ſupellex, in qua nonnulla quidem argumenti hujus compendia, nonnullas mulierculis comparatas ſcriptiunculas facilè deprehendas, praetereaque nihil. Hoc nimirum

eſt Catholicae Theologiae propudium, hoc inexpiabile dedecus, ut non jam ſanctioris Antiquitatis ſemitas ineat, non iis mediis Eccleſiae & Religionis aeternum duraturae, Deo illam adversùs haereſes protegente, majeſtas & veritas defendatur, quibus tot Seculorum decurſu à Viris ſanctitate & doctrina praeſtantiſſimis propugnata fuit atque aſſerta. Sed placent hoc ſeculo gerrae, placent circulatores, placent mangones.

Alteram verò Claſſem recentium Scriptorum ſanè auctiorem, ſed fortè minus gravem & moleſtam, ii faciunt qui Theologicas lucubrationes ſuas philoſophicis vulgaribus diſputationibus, & totis Sophiſtarum plauſtris onerant & conſarciunt. Mirum eſt, quantopere id genus homines ſibi plaudant diſtinctiunculis ſuis, & neſcio quo barbaro rudique nec planè, non dicam aliis, ſed ne ipſis quidem ſaepe intellecto dicendi genere turgeant, & non aliter atque Aſtrorum ſpeculatores, arcanorumque fatidici vulgo imponant: quos non ineptè appelles cum Ariſtophane in nubibus μετεωρολέσχας, qui ſcilicet illius aevo in Coelum garriebant. Hanc certè Scholarum Chriſtianarum recentem labem, in quibus de divinis & ſublimioribus Fidei Capitibus agendum ſit, Prudentius in praefatione ad Apotheòſim proprium fuiſſe ſuo aevo Haereticorum characterem longè à Catholicis amandandum his verſibus teſtatus eſt.

Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Ut quiſquis lingua eſt nequior.
Solvunt ligantque quaeſtionum vincula
Per ſyllogiſmos plectiles.
Vae Captioſis Sycophantarum ſtrophis:
Vae Verſipelli Aſtutiae.
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infeſta diſſertantibus.
Idcirco Mundi delegit Deus
Ut concidant Sophiſtica.

Atque iccircò, ſive Hieronymus ſive Auguſtinus carpit ſer-

nione

Digitized by Google

mone 87. de tempore eorum labores, qui per Cyniphes Aegyptum in tertia plaga vexantes, deſignati ſunt. *Philoſophiae artis aſtutiam vel Haereticorum calliditatem quae minutis & ſubtilibus verborum ſtimulis animas terrebat, & tanta calliditate circumveniat, ut deceptus quiſque nec videat neque intelligat unde decipiatur.*

Non eſt equidem noſtri inſtituti methodum tractandarum Theologicarum rerum hoc loco tradere. Sat erit, ſi monuetimus, quid hac in re tutius, quid commodius cenſuerint exercitatiſſimi Veteres Tractatores, & Eccleſiae Patres, ac Magiſtri. Inter hos cum Hilarius non ultimum locum teneat, imò ad ejus veſtigia enitendum conſulant Theologorum doctiſſimi, non eſt cur ſemitam illam non teneamus, quam teneri ipſe praecepit. Agit id potiſſimum in lib. 12. de Trinit. ut ſolidae veraeque Theologiae ſectatores informet, regulaſque ac certos Canones edoceat, ad quos tota ferè diſputandi de dogmatis ratio ſit redigenda. Praeclara ſunt quae ſcribit num. 11. pag. 1118. *Natura humanae conſuetudinis non ſinit ſed nec Dominicae doctrinae ſententia patitur, Magiſtro Diſcipulum praeeſſe, vel Servos imperare Domino, quod alterum alteri per ignorantiam ſubjaceat ut ignarus ſciendi; & per conditionem infirmum ſit Dominatui ſerviens.* Haec cum graviter monuiſſet, jam num. 19. pag. 1121. ad rem ſubjungit. *Oportuerat homines Religioſam divinarum rerum ſcientiam praeferentes ubi Evangelicae atque Apoſtolicae praedicationis veritas praecellebat, callidae Philoſophiae tortuoſas quaeſtiones abjicere, & ſectari potiùs fidem quae in Deo eſt: quia ſenſum infirmum facile fidei ſuae praeſidio ſophiſma ſyllogiſticae interrogationis erueret, cum captioſa propoſitio reſponſionem ſimplicem ſibique ſecundum interrogationem rerum obſecundantem, ad ultimum jam ſenſus ſui interrogatione ſpoliaret, ut quod profeſſione amiſiſſet, id jam conſcientia non teneret.* Id verò ut probè aſſequantur Theologi, fideique cauſſam non deſultoriè peragant, hanc aït eſſe inſtituendi ſtudii ſervandam rationem. *Oportet eos qui Chriſtum praedicant Mundo, irreligioſis Mundi imperfectiſque doctrinis per ſcientiam Sapientis Omnipotentiae contraire, ſecundum*

illud B. Apoſtoli dictum: Noſtra enim arma non ſunt carnalia, ſed potentia Dei ad deſtructionem munitionum rationes deſtruentia, & omnem altitudinem elevatam adversùs cognitionem Dei. Fidem non nudam Apoſtolus atque inopem rationis reliquit: quae quamvis potiſſima ad ſalutem ſit, tamen niſi per doctrinam inſtituatur, habebit quidem inter adverſa tutum refugiendi receſſum, non etiam retinebit conſtantem obnitendi ſecuritatem: eritque ut infirmibus ſunt poſt fugam caſtra, non etiam ut caſtra habentibus adeſt interrita fortitudo. Contundendae ſunt ergò inſolentes adversùs Deum diſputationes, & deſtruenda rationum fallacium munimenta, & elevata ad impietatem ingenia conterenda, nec carnalibus armis ſed ſpiritualibus; nec terrena doctrina, ſed coeleſti ſapientia: ut quanta rerum divinarum humanarumque diſcretio eſt, tanta ultra terrena ſtudia ratio coeleſtis excedat.

Haec igitur ex Hilarii ſententia tractandae Theologiae methodus eſt, ut Dei vox, & coeleſtis doctrinae explanatio primum ſit & potiſſimum fundamentum. *A Deo enim*, ut dixerat ille lib. 4., *diſcendum eſt quod de Deo intelligendum eſt: quia nonniſi ſe autore cognoſcitur*. Hinc ratio ipſa divinae vocis intelligendae ab ipſo debet Coeleſti Numine derivari; *Et ipſi Deo de ſe eredendum eſt & iis quae cognitioni noſtrae tribuit, obſequendum*; ut ſtatuit lib. 5. Id quod Plato ipſe inter Philoſophos perſpicuè agnovit, ſcribens in Timaeo. *Veritatem eorum uno dumtaxat addiſci modo poſſe, ſi eam vel ab ipſo Deo, vel ab iis qui à Deo ſunt orti, doceamur*. Quocirca ſaepius à Prophetis audiendos eos eſſe inſtruimur, qui ſunt *à Deo docti*. Porrò Eccleſia ab ipſo Divino Spiritu erudita & animata, atque à Salvatore & Deo noſtro columna ac firmamentum veritatis conſtituta, fons ille eſt & Catholicae doctrinae de Deo magiſtra, ex cujus ſollennibus ponderoſiſſimis declarationibus ſumendum eſt quidquid ad rem Theologicam facere poteſt, non mediocri diſcentium profectu tradendam. Praeterquamquod enim ex auguſtiſſimo illius Magiſterio in Encyclicis frequenter expreſſo id bonae frugis aſſequimur, ut rectum diſputandi modum teneamus, minimè jactamur omni vento doctrinae, &

arrepta

arrepta velut fidei anchora nequaquam fluctuamus. Quod graviter docuerat in ſuo Commonitorio Vincentius Lirinenſis inquiens: *Sequemur autem univerſitatem hoc modo, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota per Orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem verò ita, ſi ab iis nullatenus ſenſibus recedamus, quos Sanctos Majores ac Patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: conſenſionem quoque itidem ſi in ipſa vetuſtate omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter ac Magiſtrorum definitiones ac ſententias ſectemur*. Ita igitur jubet rei Dogmaticae cultorem hiſce in rebus verſari, *ut collatas inter ſe Majorum conſulat interrogetque ſententias: eorum dumtaxat qui diverſis temporibus & locis, in unius tamen Eccleſiae Catholicae communione & fide permanentes Magiſtri probabiles exſtiterunt, & quidquid non unus aut duo tantum, ſed omnes pariter uno eodemque conſenſu apertè, frequenter, perſeveranter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognoverit, id ſibi quoque intelligat abſque ulla dubitatione credendum*.

Firmat Lirinenſis hanc methodum exemplis Encyclicarum, quarum uſum & ante & poſt Nicaenae Synodi tempora noverat à Sacris Tractatoribus fuiſſe plurimi habitum. Nicaena ipſa Synodus non alio praecipuo argumento ſerpentem adhuc Paulicianiſtarum impietatem retudit, quam Antiochenae Encyclicae ſolenni confirmatione. Ipſas Arianorum blaſphemias non equidem commodius radarguit, quam prolato in medium Tomo Encyclico, qui ante ipſam Synodi celebrationem prodierat. Quid enimverò aliud fuit aſſertoribus Catholicae partis praeſidium ad Donatiſtarum proterviam frangendam, ſi non Encyclicae Cypriani fuerunt, quas Sanctiſſimus Martyr in cauſſa Lapſorum ediderat? An non unâ Athanaſii ad Epictetum Encyclicâ conſopitum eſt atrox illud ſchiſma & diſſidium inter Orientales Neſtorii Patronos, & Sanctae Oecumenicae Epheſinae Synodi Patres? Equidem ceterae penè omnes controverſiae praeſidio Encyclicarum compreſſae ſunt, ceu in hoc Epiſtolaris Hiſtoriae ſpecimine manifeſtò conſtabit.

Sequitur ut quae ſint tractationis hujus emolumenta, breviter expediamus. Imprimis verò id conſequitur ut praeter

certitudinem dogmaticarum explanationum utpotè ab ipſo Divino Spiritu profluentium, indubitanter pernoſcamus, quid inter diſputandum adversùs Haereſes ſequendum ſit, quidve cavendum, cum pleraeque Encyclicae ad explanationis evidentiam acta praeſeferant inſtitutae diſputationis, ſolertiam deinde admirabimur Priſcorum Eccleſiae Praeſulum in ſubſcriptionibus, votis, mutuiſque Literis ad publicam Eccleſiarum fideliumque eruditionem in vulgus editis: Conſpirantem etiam omnium in eadem profeſſione fidem, unanime omnium obſequium, concordem in rebelles & à Catholica communione abſtentos ſeveritatem. In iis accuratè perpendendis totius Chriſtianae Societatis de fide ac diſciplina exegeſibus, uno velut intuitu in promtu erit dijudicare quae fuerint Sanctiora Religionis Dogmata, pernoſcere etiam quis eorum germanus ſenſus, qui hoſtes & impii divinarum vocum contemtores, & de his quid Eccleſia ſemper & ubique cenſuerit. Res ſanè eſt quae & utilitatis plurimum & jucunditatis habeat, diligenter pernoſcere, quemadmodum Eccleſiae per diſſitas ampliſſimaſque totius Orbis Provincias Sociatae perſtiterint, non in unius fidei tantummodò confeſſione, ſed in eodem ſenſu & concordia animorum.

Idcircò ſanctiſſimi Viri Athanaſius, Baſilius, Gregorius uterque Nazianzenus & Nyſſenus, necnon Euſebius Samoſatenus luctuoſiſſimam Orientalis Eccleſiae conditionem exagerant, dum quae ſibi atque Eccleſiis ſuis immineret jactura, commonſtrant, quod Antiſtites Orientis ab Ariomanitis circumventi communionis mutua commercia cum ceteris Orbis Epiſcopis intercepiſſent: unde tot monſtra haereſeon coäluerunt, quas impigro labore ac zelo ut comprimerent, integro decennio in id potiſſimum incubuerunt, quo priorem inter Eccleſias conſenſionem ſarcirent. Quanti verò id eſſet momenti ad fidei puritatem cuſtodiendam, ſat declarant Baſilii Epiſtolae ad Epiſcopos Occidentales conſcriptae; ſat etiam teſtantur reddita viciſſim conſilia, quatenus diſciplina haec tanta cum Eccleſiarum jactura praetermiſſa reſtitueretur. Atque id eſt, quod fusè deſcribit ille

in

Digitized by Google

in Epiſtola 77. quam ad hunc modum concludit. *Nos quidem noſtram ipſorum imbecillitatem agnoſcimus, & veſtram avide concordiam requirimus*. Scite profecto. Noverant enim acerrimi illi veritatis propugnatores, Eccleſiae naviculam nunquam ſine certo periculo pietatis tempeſtatibus jactari, aut ab hoſtibus percelli, aut inteſtinis rectorum diſſidiis laborare: nihilque propterea eſſe ad ejus incolumitatem opportunius, quam quod in ſanctiora coëat jura Societatis. Hinc in alia ad eoſdem Occidentales Epiſtola, quae eſt num. 74. nomine Orientalium audacter ſcribit. *Horum curam à vobis requirimus: eam adhibebitis, ſi univerſis Orientis Eccleſiis ſcribere dignabimini, ut eos qui veritatis doctrinam ad hunc modum adulteraverunt, tum demum ad communionem admittant, ſi errata correxerint*. Et hac tandem ratione inſtituta unio eſt autoritate potiſſimum Tomi Encyclici Occidentalium, de quo in parte III. Commentarior. in Adlocutionem Chalcedonenſem fuſius diſputabimus.

Ad publicas ejuſcemodi Literas Eccleſiae Majeſtatem, Magiſteriumque complectentes mentem intendit Auguſtinus, dum lib. 2. de Bono Perſever. cap. 20., ubi Literas commemorat adversùs Pelagianos & Coeleſtianos emiſſas diſſertè ſcribit. *Didicimus enim ſingulas quaſque Haereſes intuliſſe Eccleſiae proprias quaeſtiones, contra quas diligentius defenderetur ſcriptura divina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret*. Quod etiam repetit lib. 16. de Civit. Dei cap. 2. ſcribens. *Multa quidem ad Fidem Catholicam pertinentia, dum Haereticorum callida inquietudine agitantur, ut adverſ. eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & inſtantiùs praedicantur; & ab adverſario mota quaeſtio diſcendi exſtitit occaſio*. Atque haec dicta ſunto tum ut quae ſit rectiſſima tractandae Religionis diſciplinae methodus & ratio liquido certoque conſtet, tum ut inſtitutae à nobis ſat prolixae & laborioſae diſquiſitionis cauſſas apud eos, quorum intereſſe viſum eſt, candidè profiteremur. Tu interim his fruere, & vale.

CAPITA

Digitized by Google

CAPITA DISSERTATIONIS II.

CAPUT I.

De uſu Encyclicarum Apoſtolico Aevo.

§. I.
De Politia Eccleſiaſtica per Aevum Apoſtolicum obtinente. pag. 2.
§. II.
De Epiſtola primitivae Chriſtianae Eccleſiae edita in Concilio Hieroſolymitano. pag. 14.
§. III.
De Epiſtolis Encyclicis Sancti Pauli. pag. 19.
§. IV.
De Epiſtolis Sancti Pauli ad Ephesios, & ad Coloſſenſes. pag. 24.
§. V.
De Encyclica S. Johannis ad omnes Eccleſias conſcripta. pag. 41.

CAPUT II.

De Encyclicis Patrum Apoſtolicorum.

§. I.
De Epiſtolis Sancti Ignatii Epiſcopi Antiocheni. Et S. Polycarpi Smyrnenſis. pag. 46.
§. II.
De aliis Epiſtolis Apoſtolici Aevi. pag. 54.
§. III.
De Encyclicis adversùs Cajanitas, & Marcionitas editis, necnon de origine Diſputationum Eccleſiaſticarum. pag. 63.

CAPUT III.

De celebri Encyclica Smyrnenſis Eccleſiae.

§. I.

§. I.
De Eccleſiae ſtudio erga Martyres. pag. 71.
§. II.
De Encyclica Smyrnenſis Eccleſiae, qua univerſis Fidelibus Martyrium S. Polycarpi denunciatum eſt. pag. 76.

§. III.
De Formula Epiſtolari Regnante in ſecula Chriſto, *à Smyrnenſi, atque ab aliis adhibita.* pag. 86.
§. IV.
De Martyrio vero, & Evangelico in Encyclicis propoſito. pag. 105.

CAPUT IV.

De Encyclicis evulgatis in Cauſſa Montaniſtarum.

§. I.
De Montaniſtarum origine, & erroribus. pag. 117.
§. II.
De Montani Aſſeclis: & an Alexander idem ſit atque Alexander Lucianeus. pag. 124.
§. III.
De Apologiſtis Chriſtianae Religionis, qui eodem tempore floruerunt. pag. 132.
§. IV.
De Primis Periodis Sectae Montaniſticae ſub Sotere, deque ejuſdem opere Encyclico. pag. 142.
§. V.
De Encyclica Eccleſiarum Viennenſis, & Lugdunenſis ad Aſiae Phrygiaeque Epiſcopos data adversùs Montaniſtas. pag. 150.

§. VI.
De Epiſtolis Martyrum, atque earum apud Eccleſias omnes aeſtimatione. pag. 167.
§. VII.
De Martyrum Presbyteris, eorumque in perſecutionibus munere. pag. 179.
§. VIII.
De judicio Eccleſiarum Orbis, Encyclicis adversùs Montaniſtas ſubſcribentium. pag. 198.

§. IX.
De Epiſcopis, & Presbyteris editi per Encyclicas judicii executoribus. pag. 208.

CAPUT V.

De controverſia diei Paſchalis, atque editis pro illa Encyclicis.

§. I.
De primis controverſiae Paſchalis Autoribus, & Promototibus. pag. 215.

§. II.
De Actis Eleutheri, & Victoris Pontificum, necnon Synodorum, & Encyclicarum in controverſia de Paſchate. pag. 224.

§. III.
De Antencyclica Polycratis Ephesini, & contentionibus eandem conſecutis. pag. 236.

§. IV.
De uſu, & antiquitate Literarum Encyclicarum Paſchalium. pag. 246.

CAPUT VI.

De controverſia Lapſorum Aevo Cypriani, deque Encyclicis in ea editis.

§. I.
Proponitur Occaſio excitatae controverſiae de Lapſis. pag. 261.

§. II.
De varia Martyrum, & Lapſorum conditione aevo Cypriani ab Eccleſiis expenſa. 269.

§. III.
De contentione circa uſum ſummi, & remiſſi Canonum Juris in gravioribus peccatis remittendis. pag. 278.

§. IV.
De Proviſorio ſeu Fiduciario Decreto ab Eccleſiis Romana, & Africana per Encyclicas edito in Cauſſa Lapſorum. pag. 289.

§. V.
De exitu Decianae perſecutionis, deque Schiſmatibus Romae, & Carthagine excitatis. pag. 303.

Digitized by Google

§. VI.

De Peremtorio Decreto à Patribus Carthaginenſibus in Cauſſa Lapſorum edito, & per Encyclicas promulgato. pag. 312.

§. VII.

De executione Encyclicae Carthaginenſis, & comprehenſo in ea Decreto Peremtorio. pag. 320.

CAPUT VII.

De Literis Encyclicis in Cauſſa Novatiani Schiſmatis, & Catharorum emanatis.

§. I.

De Fortunato, & Novatiano, ac de Schiſmate utriuſque. pag. 333.

§. II.

De Antencyclica Novatiani adversùs Decretum Peremtorium in cauſſa Lapſorum, & contra S. Cornelium. pag. 344.

§. III.

De Synodo Romana ſub Cornelio, deque Literis Encyclicis adversùs Novatianos evulgatis. pag. 352.

§. IV.

De Autoritate Magiſterii à Cornelio in Encyclica propoſiti, deque controverſiis ejuſdem pondere terminatis. pag. 362.

§. V.

De Tomo Encyclico, Literas omnes complectente, quae ad patefaciendum Orbis juditium in cauſſa Novatiani ſunt evulgatae. pag. 371.

CAPUT VIII.

De Encyclicis in Cauſſa Sabellianiſmi emanatis.

§. I.

De Haereſi Patropaſſianorum, quam Sabellius inſtauravit. pag. 381.

§. II.

De Encyclica Dionyſii Alexandrini adversùs Sabellianos. pag. 388.

§. III.

De Actione in Dionyſium Alexandrinum à Presbyteris ſuſcepta: deque

que more, ut dubia contra Encyclicam excitata, ab illius Autore diluerentur. pag. 396.

§. IV.

De Encyclica Novatiani adversùs Sabellium. pag. 406.

§. V.

De opuſculis ad illuſtrandum Encyclicarum argumentum elucubratis. pag. 412.

CAPUT IX.

De Encyclicis editis contra Paulum Samoſatenſem.

§. I.

De Haereſi Pauli Samoſatenſis. pag. 419.

§. II.

De Prioribus Actis Concilii Antiocheni adversùs Paulum Samoſat. pag. 428.

§. III.

De Perjuriis Pauli Samoſateni, imperante in ſolidum Zenobia, deque nova Collatione Synodi Antiochenae. pag. 435.

§. IV.

De ultima Collatione Antiochena, in qua Encyclica conſcribitur, & Haereſiarcha damnatur. pag. 441.

§. V.

De Encyclica Concilii Antiocheni. pag. 450.

CAPUT X.

De Schiſmate Donatiſtarum, & Encyclicis ejus de cauſſa vulgatis.

§. I.

De Traditoribus Sacrorum Librorum deque lata in eoſdem ſententia. pag. 463.

§. II.

De Actis Concilii Cirtenſis, in quo jacta Donatiani Schiſmatis fundamenta, deque electione Caeciliani Carthaginenſis. pag. 474.

§. III.

De Antencyclica Majorini Pſeudo-Primatis Carthagin., & Concilii Epiſcoporum Donatiſtarum, qua Schiſma declaratum eſt. pag. 481.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De Encyclica Caeciliani, deque Communicatoriis adversùs Schiſmaticos illi redditis. pag. 490.

§. V.

De interpoſita a Donatiſtis appellatione, deque Catholicae Eccleſiae nomine, & judicio. pag. 500.

§. VI.

De Encyclica Concilii Arelatenſis, quae praecedentia Acta confirmavit. pag. 513.

§. VII.

De Concilii Arelatenſis Decreto circa Rebaptizationem, quod Orbis judicium, & ſubſcriptio firmavit. pag. 525.

§. VIII.

De Antencyclica Parmeniani Tertii Carthaginenſis Donatiſtarum Epiſcopi. pag. 537.

CAPUT ULTIMUM.

De Encyclicis, atque Antencyclicis in Cauſſa Ariomanitarum emanatis.

§. I.

De Schiſmate, atque Haereſi Arii. pag. 549.

§. II.

De Encyclica Alexandri Alexandrini ad Orbis Eccleſias tranſmiſſa. pag. 555.

§. III.

De Encyclica Tractatoria, quam Alexander inſcripſit Alexandro CPno, & ceteris Majorum Sedium Epiſcopis. pag. 568.

§. IV.

De Officio Lectorum in Chartis Eccleſiaſticis deſcribendis. pag. 576.

§. V.

De Archidiaconi miniſterio in Encyclicis aliiſque Chartis Eccleſiaſticis conficiundis. pag. 594.

§. VI.

De Antencyclica Ariomanitarum Autore Euſebio Nicomedienſi vulgata. pag. 608.

§. VII.

De Tomis Encyclicarum atque Antencyclicarum ab utraque parte confectis, & aſſervatis. pag. 618.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

De Synodo II. Alexandrina Praeſide Oſio Cordubenſi celebrata. pag. 625.

§. IX.

De Synodo Nicaena, deque Encyclicis occaſione ejuſdem vulgatis. pag. 630.

§. X.

De Encyclica Conſtantini Magni, & de Subſcriptionibus Epiſcoporum, qui Concilio abfuerunt. pag. 638.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE

LITERIS ENCYCLICIS

IN PARTICULARI.

CUm multa ſint in univerſa Eccleſiaſtica hiſtoria, & in veterum Scriptorum monumentis ad priſcam Encyclicarum Literarum diſciplinam illuſtrandam praeclara; tum pauci eadem leviſſimè attigerint, atque univerſim, certoque ordine tractaverit hactenus nemo, id nobis faciendum ſuſcipimus, ut ſi quae obſoleta, ſi quae obſcura, atque implicata haerent ob antiquitatem, diligenter expendamus. Namque & fidem hac de re noſtram in Diſſertatione I. obſtrinximus, ubi inſtituta generatim tractatio in ſingularum Encyclicarum enarrationem excurrere minimè debuit; & accuratum, ac ſollers earundem examen ſibi jure optimo vendicat, quae in illis eſt ſuprema actio univerſae per Orbem Eccleſiae, in unum quidpiam ſubſcriptione, & fide conſentientis. Praecipuas itaque ſeligemus controverſias, uſu Encyclicarum diremtas prioribus Seculis, quibus mirabilis inter Eccleſias unio incolumis ſervata eſt, dum uno indiviſoque fidei, & charitatis nexu, ſumma etiam in Apoſtolicis veſtigiis premendis aemulatione excitati Praeſules, inter Gentium ludibria & inſectationes, inter Chriſtianae doctrinae corruptelas, atque improborum hominum aberrationes, traditam divinitùs fidem Encyclicis Literis illibatam

Digitized by Google

cuſtodivere. Quoniam verò in unaquaque diſputatione multa ex omni parte circumſpicienda ſunt, & attentiùs excutienda, rem nonnullis Capitibus expediemus, ad quae quid in qualibet particulari Encyclica antecedens, quid conſequens ſit, aut cohaerens, perſpicuè, accuratèque diſputabitur.

CAPUT I.

DE USU ENCYCLICARUM APOSTOLICO AEVO.

Apoſtolos conſcribendarum Encyclicarum primitivae Eccleſiae exemplum praeiviſſe, non iis difficile perſuaſu eſt, qui ſacroſancta novi Foederis monumenta aliquatenus pervolutarint. Sed quemadmodum eaedem Literae in Orbem miſſae ſint, qua ratione Paſtoribus, & Doctoribus innotuerint, quantive ſint ab iiſdem habitae, id demum remanet accuratius inveſtigandum. Quod, niſi Eccleſiaſtica Politia ab Apoſtolis inducta, in comperto ſit atque explorata, vix ac ne vix quidem percipi poſſe videtur.

§. I.

De Politia Eccleſiaſtica per Aevum Apoſtolicum obtinente.

Synopsis.

I. *Partitio Romani Orbis, quae fuerit ſub Auguſto.* II. *Primus Sylla Regnum Aſiae in Provincias diviſit.* III. *Contentiones inter Epheſinos, & Smyrnenſes de jure Metropoleos.* IV. *Publica ſcripta Societatum, aut Edicta ad Metropoles dirigi conſueverunt, in iiſque aſſervari.* V. *Politia Romani Orbis tum ante Imperium Auguſti, tum ſub ipſo Auguſto expenditur teſtimonio Strabonis.* VI. *Apoſtoli in regimine Eccleſiaſtico ſtabiliendo ſecuti ſunt eandem partitionem Imperii, Provinciarum, & Urbium.* VII. *Eccleſia Hieroſolymitana habita eſt velut ceterarum matrix.* VIII. *Apoſtoli Sedes Metropoliticas in civilibus Metropolibus conſtituerunt.* IX. *Hujus Politiae rationes expenduntur.*

I. Augu-

I. AUguſtus Imperator paullò ante natalem annum Redemtoris diviſerat Romanum Imperium, ſecutus Moecenatis conſilia, qui diſerta, & gravi oratione Principi author fuerat, ut Regna omnia, & Provincias, quibus Romana Majeſtas longè, latèque imperitabat, eo donaret ordine, quo Romanae leges, & privata jura ſimul una conſiſterent, & utrorumque robur ſi qui frangerent, facile compeſcerentur. Pleraque igitur Regna jure beneficiario regunda iis Principibus conceſſit, qui ſpontè Romanis Imperatoribus dederant nomen: Populos autem, & Regiones pervicaciores in Provinciae formam redegit. Quae enim in cenſum Provinciarum Populi Romani veniebant, eae legibus ſuis, & electione ſ[illegible]orum Magiſtratuum jus-dicentium ſpoliabantur. Vicibus autem patriorum Magiſtratuum in iis fungebatur Praeſes à Romanis delectus, qui & Principis Vicarius erat, & jure Romano Provinciam moderabatur, ſcribente Ulpiano l. 4. ff. de officio Praeſidis: *Praeſes Provinciae majus Imperium in ea Provincia omnibus poſt Principem*. Incoepit Provinciarum & nomen, & dominatio haec, qua ſcilicet patria libertas, & domeſticae leges adimebantur, ac Romanorum Praetori, & legibus obtemperabatur, quum Sicilia bello à Romanis ſubacta eſt. Quod obſervatum à Cicerone Verrin. 2. 1. *Sicilia omnium nationum exterarum Princeps, ſe ad amicitiam, fidemque Populi Romani applicuit: prima omnium, id, quod ornamentum Imperii eſt, Provincia eſt appellata. Prima docuit Majores noſtros, quàm praeclarum eſt, exteris gentibus imperare*. Regna quoque in Provinciam ſubinde redacta legimus. Quod praeſtat Vellei Paterculi verbis enarrare, qui & Regnorum elenchum cenſet; & tempora, quibus unumquodque devictum eſt, ac Provinciae formam accepit, factumque eſt ſtipendiarium, ita deſcribit lib. 2. cap. 38. *Haud abſurdum videtur propoſiti operis regulae, paucis percurrere, quae cujuſque ductu gens, ac natio redacta in formulam Provinciae, ſtipendia pacta ſit: Notavimus facilius, ut quae partibus ſimul univerſa conſpici poſſint. Primus in Siciliam transjecit exercitum Conſul Claudius, & Provinciam eam poſt annos fer-*

Digitized by Google

me quinquaginta duos, captis Syracuſis, fecit Marcellus Claudius. Primus Africam Regulus.... Sed poſt..... P. Scipio Aemilianus, eruta Carthagine abhinc annos centum octuaginta duos Africam in formulam redegit Provinciae. Sardinia. inter primum, & ſecundum bellum Punicum, ductu Titi Manlii Conſulis certum recepit jugum..... In Hiſpanias primi omnium duxere exercitus Cnaeus, & Publius Scipiones initio ſecundi belli Punici..... univerſa ductu Auguſti facta ſtipendiaria eſt. Macedoniam Paulus, Mumius Achaiam, Fulvius Nobilior ſubegit Aetoliam: Aſiam Lucius Scipio, Africani frater, eripuit Antiocho: Sed beneficio Senatus, Populique Romani, mox ab Attalis poſſeſſam Regibus, Marcus Perpenna, capto Aſtronico, fecit tributariam. Cypro devicta.... facta Provincia eſt. Creta Metelli ductu longiſſimae libertatis fine multata. At Syria, Pontuſque Cnaei Pompei virtutis monumenta ſunt. Eadem ſubjungit Paterculus de Gallia, Numidia, Cilicia, Illyrico, Dalmatia, Rhaetia, Pannonia, & Cappadocia, quae Regna potius, quam Provinciae erant.

II. Primus, qui ſubactam Aſiam in Provincias partitus eſt, C. Cornelius Sylla fuit, qui cum Mithridati Victori legem dediſſet, atque ex Aſia minori ejeciſſet, eandem in XLIV. regiones diviſit, diviſaſque liberas alias dixit, alias ſtipendiarias fecit. Scilicet quae Romanis praeſto fuerant (fuerunt autem Principes Aſiae Urbes) liberas eas dixit, & jure patriarum legum, ac Magiſtratuum donavit: quae verò adverſus Romanos Mithridati adjunctae ſunt, ſervitute multatae: Quippe illarum ope Romani uſque ad 80. millia crudeli laniena una die mactati fuerant. Hac de re Appianus de bel. civil. lib. 1. Syllae facta commemorans, ſcribit: *Idem Aſiae Provincias conſtituens, Ilienſes, Chios, Rhodios, Lycios, Magneſios, alioſque quoſdam Populos, vel in auxiliorum praemium, vel in ſolatium malorum, quae propter ſtudium erga Populum Romanum pertulerant, libertate donatos, adſcripſit inter Populi Romani ſocios. Dimiſſiſque circa reliqua omnia oppida militibus, per Praeconem dixit, ut quotquot mancipia libertatem à Mithridate acceperant, confeſtim in herilem poteſtatem redirent.* Addit rationem hiſtoricus, qua

Ephe-

Digitized by Google

Epheſum evocatis per curſores, in omnem Aſiam dimiſſos, ſelectis Oppidorum, atque Urbium viris, diviſio à Sylla inſtituta eſt: *Poſt haec Praecones per Provinciam dimiſſi ſunt, qui Optimates Civitatum Aſiae juberent ad certam diem coram Sylla comparere Epheſi* (erat Urbium Aſiaticarum Princeps Epheſus, & prima Metropolis inter ceteras, quae jure Metropoleos gaudebant) *qui poſtquam convenere orationem ad eos pro Tribunali habuit, in qua & Romanorum in Aſianos meritis, & eorum in Romanos injuriis prius commemoratis, hanc demum mulctam illis irrogandam pronunciavit. Mulcto vos quinquennali tributo: quod jam nunc repraeſentari jubeo: & inſuper pecuniam inſumtam in hoc bellum, & ſiquam praetereà conſtitutio Provinciae poſtulat, eam collationem Ego in ſingulas Civitates dividam, & tempus conferendi praefiniam: Et quos ſecus facere deprehendero, habebo pro hoſtibus. Haec locutus, mulctam in legatos diſtribuit, ſimulque miſit, qui eam exigerent.* Forma itaque conſtituendarum Provinciarum haec fuit. I. Ut in Provincia una quaedam Metropolis eſſet, in qua Principum edicta promulgarentur. II. Ut Provinciae totius incolae certum tributum praefinito tempore exſolverent. III. Ut in Metropoli Quaeſtor ad exigendum degeret, atque inde in reliquas Civitates eidem adſcriptas legatos pariter ad exigendum dimitteret. Hanc porrò Aſiae Provinciam in Regiones XLIV. Sylla diſtribuit, Coſs. L. Cinna IV., & Cn. Papirio II., referente Caſſiodoro in Chronico, atque annotante, in eas partes diviſam regionem omnem à Sylla fuiſſe, ſervata proportione, ut univerſa commeatus ratio facilius iniri poſſet. Quod Cicero quoque epiſt. 1. ad Quintum Fratrem, & in Orat. pro Flacco, animadverterat. *Sylla omnes Aſiae Civitates proportione in Provincias deſcripſit.* Quamobrem Sylla primus author cenſetur diſtributionis Regnorum in partes plures, quas Provincias dicimus.

III. Semel autem ea partitione Provinciarum in Aſiam minorem invecta, quoniam variae ibi erant Metropoles, ut exſtantes Aſianorum nummi edocent, quaelibet ex illis jus primae vendicare coepit. Prima autem inter ceteras Metropo-

les, dignitate, atque honore praecellebat. Inde paſſim nomina Πρωτεῖα, & Μητροπόλεων apud Graecos Scriptores. In Aſia Proconſulari erant Urbes Epheſus, Pergamus, Smyrne, omnes perinde Metropoles: Quae autem eſſet prima dicenda, acerrimè diſceptatum. Eas ad conſenſionem revocare conatus eſt Ariſtides eloquenti, & gravi oratione de concordia, quam paſſim Scriptores laudant. Aliam contexuit, à Polemone Sophiſta laudatam apud Philoſtratum lib. 1. de Vitis Sophiſtar. pag. 539., quam recitare minimè potuit, morte praeventus. Haec tamen ab Imperatore audita eſt, qui Smyrnae ut eſſet Πρῶτα, conceſſit, ſubdente ibidem Philoſtrato: *Abjeruntque Smyrnaei primas referentes*. Hoc de titulo exſtat numiſma apud Spanhemium, de Praeſtant. Numiſmat. pag. 639. à Smyrnaeis cuſum, in cujus parte altera legimus, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ. Id verò honoris ei, quae prima ejuſdem regionis eſſet Metropolis, tributum eſt inter cetera, ut publica edicta ad univerſam regionem ſpectantia, in ea primum evulgarentur, ab eadem in alias Metropoles dirigenda. Cujus rei inſigne documentum exhibet Joſephus Antiquit. l. 14. c. 17., ubi de privilegiis Hircano Regi Judaeorum conceſſis, ſcribit: *Poſt mortem autem Caeſaris Marcus Antonius, & Publius Dolabella Coſs. advocato Senatu, & introductis Hircani legatis, retulerunt de eorum poſtulatis, & amicitiam cum eis renovaverunt, & quidquid petierunt, SenatusConſulto eis decretum eſt*. Epheſus tunc equidem Πρῶτα erat Aſianarum Metropoleon: Iccirco ceteris omnibus Aſiae Urbibus per hanc primam Imperatorum placita erant intimanda. Quod in Edicto, cujus ſequens eſt tenor, ita apud Joſephum ibidem exprimitur. *Dolabella Imperator Epheſiorum Magiſtratibus S. P. Q. ſalutem. Alexander Filius Theodori legatus Hyrcani Pontificis, ac Ethnarchae Judaeorum, mihi retulit de Civibus ſuis, quod militare non poſſint, eo quod neque arma geſtare, neque iter facere eis fas ſit diebus Sabbatis, neque victum more patrio poſſint ſibi quaerere. Quamobrem Ego quoque, quemadmodum alii ante me Imperatores, immunes eos volo à militia, permittoque, ut patriis utantur*

tur moribus, convenientes ſacrorum cauſſa, ſicut leges eorum poſtulant, & conferentes in offerenda Templo Sacrificia: voloque, ut haec ipſa ſcribatis per Urbes Provinciae ſingulas. Colligas hinc facile, primigenia Imperialia authographa ad primam Metropolim tranſmiſſa, ad fidem deinceps faciendam ſervari ibidem conſueviſſe, atque à Magiſtratu per alias ſubinde Urbes illorum exemplaria fuiſſe evulgata.

IV. Ipſa equidem Societatum, aliarumque id genus rerum edicta aereis inſculpta tabulis, ſervata in Capitolio ſunt, eorumque exemplaria ad Quaeſtores, Urbiumque praecipuarum Magiſtratus data, ut hinc ad ceteras Imperii Urbes dimanarent. Utramque conſuetudinem recolit Joſephus, ubi de alio Edicto Judaeis à Caeſare conceſſo loquitur pag. 486., una cum privilegio cautum, advertens: *Dedicari aeream tabulam haec continentem in Capitolio, & apud Tyrum, & Sydonem, Aſcalonem in templis, inſcriptumque Romanis, atque Graecis literis: utque decretum apud omnes omnium Urbium Quaeſtores, & Magiſtratus publicaretur*. Quid ita? niſi ut Edicta eadem apud poſteros fidem facerent indubiam, ſubdente Joſepho: *Quando enim tam manifeſta argumenta exhibuimus noſtrae cum Populo Romano amicitiae, oſtenſis aereis columnis, & tabulis in Capitolio nunc uſque durantibus, daturiſque in poſterum*. Eadem verò ante Syllana tempora vigebat conſuetudo, ut, ſiquae nova ſocietas à Populo Romano cum exteris iniretur, Senatus ad reliquas Romanorum gentes, Urbes, ac Reges, Encyclicam conſcriberet, atque una cum reſcripto Conſulis, exemplar initae Societatis, conſcriptique placiti dirigeret. Hinc, quum Judaei id obſtricta fide dediſſent Simoni Machabaeo, ut Romanorum Societatem poſtularet, Lucius Conſul Edictum pro confirmanda Societate vulgavit, cujus erat argumentum, I. Machab. 15. *Placuit itaque nobis ſcribere Regibus, & Regionibus, ut non inferant illis mala, neque impugnent eos, & Civitates eorum, & Regiones eorum, ut non ferant auxilium pugnantibus adverſus eos*. Quae partes praecipuae, ac fundamentales erant ejuſmodi Societatum. Integrum autem Edictum Ptolemaeo Aegyp-

Digitized by Google

tio Regi, & Socio Populi Romani miſſum eſt, idemque exemplar Regibus aliis, atque Urbibus Sociis intimatur. Quod quemadmodum peractum ſit, enarrat ibidem Sacer Hiſtoricus: *Venit autem Numenius, & qui cum eo fuerant, ab Urbe Roma, habentes epiſtolas, Regibus, & Regionibus ſcriptas, in quibus continebantur haec*. E veſtigio Romani Populi decretum ſequitur, foedus pangentis, & ſubinde: *Haec eadem ſcripta ſunt Demetrio Regi, & Attalo, & Ariarathi, & Arſaci, & in omnes Regiones: & in Lampſaco, & Spartiatis, & in Delum, & in Myndum, & in Sycionem, & in Cariam, & in Samum, & in Pamphyliam, & in Lyciam, & in Halicarnaſſum, & in Coo, & in Siden, & in Aradon, & in Rhodum, & in Phaſelidem, & in Gortinam, & Gnidum, & Cyprum, & Cyrenen. Exemplum autem eorum ſcripſerunt Simoni Principi Sacerdotum, & Populo Judaeorum*. Ex quibus nemo eſt, qui non intelligat vigentem eo aevo conſuetudinem, qua Encyclica decreta tum in ſubjectas Provincias, tum ad omnes ubique Romanorum Socios emittebantur. Perſeveravit verò eadem in civili Politia ſolicitudo ſervandarum id genus epiſtolarum, quòd regimen non tantum reſpicerent, ſed penè conſtituerent. Docet id Flavius Vopiſcus in vita Taciti Imperatoris, ubi quum enarraſſet, Praetorianos milites inter, & Senatum de jure imperialis electionis diù eſſe diſceptatum; rationem etiam addidiſſet, qua Senatus per ſuffragia, quae recenſet, Imperatorem Tacitum dixiſſet, in hunc modum ſcribit: *Nec tacendum eſt, & frequenter imitandum, tantam Senatus laetitiam fuiſſe, quod eligendi Principis cura ad Ordinem ampliſſimum revertiſſet, ut & ſupplicationes decernerentur, & Hecatombe promitteretur à ſingulis: Denique Senatores ad ſuos ſcriberent, nec ad ſuos tantum, ſed etiam ad externos: mitterentur praeterea literae ad Provincias, ut ſcirent omnes Socii, omneſque nationes, in antiquum ſtatum rediiſſe Rempub., & Senatum legere, imò ipſum Senatum Principem factum: leges à Senatu petendas: Reges barbaros Senatui ſupplicaturos: pacem, ac bella Senatu authore tractanda. Nequid denique deeſſet cognitioni, pleraſque hujuſmodi epiſtolas in fine libri poſui, ut cum commoditate,*

&

Digitized by Google

& ſine faſtidio, ut exiſtimo, perlegendas. Oſcitantia exſcriptoris operum Vopiſci eas epiſtolas nobis invidit, quae, ſi eſſent ſuperſtites, non dubito, quin magno forent ſubſidio, ad Encyclicarum vim, uſumque aſſequendum.

V. Sed propius ad Chriſti natalem, & Apoſtolica tempora accedentes, lubet invectam Regnorum, Provinciarumque diviſionem ex Strabone, illuſtri, eoque ſat idoneo teſte commonſtrare. Is ſub finem lib. XVII., poſteaquam Romanae dominationis initia, & ſubinde amplitudinem in omnem habitabilis Orbis partem aperuiſſet, civilem univerſam politiam paucis perſtringit, pag. 839. *Eorum, quae Romanis obediunt, partem Reges tenent; aliam ipſi habent Provinciae nomine: & Praefectos, & Quaeſtores in eas mittunt: ſunt & nonnullae Civitates liberae conditionis, aliae ab initio per amicitiam Romanis adjunctae, aliae ab ipſis honoris gratiâ libertate donatae: ſunt & Principes quidam ſub eis, & Reguli, & Sacerdotes: his permiſſum eſt patria ſectari inſtituta. Provinciae aliter, atque aliter diverſis temporibus diverſae fuerunt*. Hactenus ille de Imperii conditione, & conſtitutione uſque ad Auguſti Principatum, ſub quo cujuſmodi diviſio ſtabilita ſit, ibidem deſcribit: *Exponam, ut noſtro tempore Auguſtus Imperator diviſerit. Is, quum Civitas ei totius Imperii adminiſtrationem permiſiſſet, & pacis, & belli poteſtatem ad annos vitae, totam ditionem bifariam diviſit, ita ut partem ſibi vendicaret, partem Populo daret. Sibi quidem quaecumque militum praeſidio eſſent tenenda, quales ſunt regiones barbarae, & gentibus nondum ſubactis finitimae: ſteriles quidem, & velut aegre parentes, quare incolae ceterarum rerum penuria impulſi, & copia munitionum freti jugum detrectarent. Populo autem reliquam conceſſit, quae pacata facile ſine armis ſub Imperio retineretur. Utramque portionem in Provincias numero multas diviſit, quarum aliae Caeſaris, aliae Populi dicuntur. In ſuas Praefecturas Caeſar ipſe Procuratores mittit, alias aliter regiones diſtribuens, & pro eo atque res exigit, ſuas rationes inſtituens. At in ſuas Provincias Populus Praetores, vel Conſules mittit. Sed & hae diverſè ſolent dividi, prout uſus poſtulaverit*. Multa ſubjungit Strabo ad

hanc

Digitized by Google

hanc eandem diviſionem pertinentia. De eadem, ſi tanti videtur, confer ſis Suetonium in Auguſto capp. 47. 48., Graecum Paraphraſtem Inſtitutionum Juris lib. 2. tit. 1., Dionem lib. 53., ubi & partitionem Provinciarum cenſet, & de muneribus, atque officiis eorum, qui mittebantur ſive à Caeſare, ſive à Populo, multa ſtudiosè, dilucidèque congerit, ſine quorum accuratâ cognitione difficulter primae Eccleſiaſticae Politiae conſtitutio percipi poteſt.

VI. Hanc porrò Imperii diviſionem in Provincias, Provinciarum in Urbes, & ipſarummet Urbium, inter quas una quaedam eſſet prima Metropolis, accommodam Eccleſiaſtico regimini conſtituendo Apoſtoli judicarunt. Certe in Provinciis colluſtrandis praedicatione, miniſterio, & regimine, eam, quam deſcripſimus, formam ab iis, antequam in Orbem diſpergerentur, omninò ſervatam, liquet ex Apoſtolicis Actis, & S. Pauli epiſtolis, ex quibus nihil certius, quam Eccleſiarum omnium Caput fuiſſe Hieroſolymis, ubi Apoſtolorum, Seniorumque coetus eos, qui Chriſto ubique nomen darent, fideles moderabatur; & fidelium erga Matricem Eccleſiam officia in magnam regiminis partem veniebant. Quantum verò in conſtituendis, ordinandiſque Provinciis, & Evangelicis in eas Miniſtris dirigundis ratio civili partitioni Imperii conſentanea inita fuerit, in numerato planè erit, ſi ad eam, quae Stephani martyrium conſecuta eſt, perſecutionem paulliſper adtenderimus. Apoſtolis mandaverat Redemtor, ut Judaeorum converſioni primùm intenderent. Saeviit Hieroſolymis atrox perſecutio in Apoſtolos, & Diſcipulos: quid tum? Diſcipuli *omnes diſperſi ſunt per Regiones Samariae, & Judaeae, praeter Apoſtolos.* Actor. 8. v. 1. De illis autem mox additur v. 4. *Igitur qui diſperſi erant, pertranſibant evangelizantes Verbum Dei.* Nimirum Samariae Urbes peragrarunt, quum in duas haſce Provincias Palaeſtina divideretur. Et quum Samaria verbum Domini ſuſcepiſſet, Philippus diſcipulus Domini, quo praedicante, Samaritanorum plures converſi fuerant, nunciatum venit ad Eccleſiam matricem. Sacer autem Apoſtolicus coetus, Eccleſiam

ut

ut ordinaret Samariae, duos illùc Principes Apoſtolos miſit, v. 14. ***Quum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quod recepiſſet Samaria Verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum, & Johannem.*** Ibi autem Sacrum alterum Hierarchicum Coetum ab Apoſtolis conſtitutum fuiſſe, vel ex eo colligere pronum eſt, quod Simon pecuniâ redimere tentarit poteſtatem dandi Spiritus Sancti, quod munus erat illorum peculiare, qui ad Chriſtianam Hierarchiam moderandam, à Johanne, & Petro ordinabantur. Haud aliter, quum Antiochiae gentes turmatim ad Evangelium concurrerent, dicitur ibid. cap. 11. v. 22. ***Pervenit autem ſermo ad aures Eccleſiae, quae erat Hieroſolymis, ſuper iſtis: & miſerunt Barnabam uſque ad Antiochiam.*** Erat ſcilicet Antiochia Urbs libera, totiuſque Syriae Metropolis, atque adeò ibi fidelium ex Gentibus multitudo tanto fervore, ac numero crevit, ut hîc primùm converſi nomen Chriſtianorum (v. 17.) ſint adepti.

VII. Imo, ut Imperii Caput ad publicum regimen ſingulorum ſubjectorum penſum exigebat, ita Hieroſolymitana Eccleſia, quum fames ſub Claudio Imperatore, & annonae caritas pleroſque male haberet, eleemoſynas à Provinciis converſis exegit: qua de re ibidem v. 28. ***Surgens unus ex eis, nomine Agabus, ſignificabat per Spiritum, famem magnam futuram in univerſo Orbe Terrarum, quae facta eſt ſub Claudio. Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Judaea Fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabae, & Sauli.*** Ejus rei meminit Paulus ipſe Actor. 24. v. 17. ***Poſt annos autem plures, eleemoſynas facturus in gentem meam veni.*** Largitio haec perſeveravit ſequentibus etiam temporibus: & quemadmodum haec prior à Syris, & Antiochenis facta eſt, ita deinde ſub Nerone ab Eccleſiis Macedoniae, Achaïae, & Galatiae. De qua loquitur idem Apoſtolus ad Rom. 15. v. 25. ***Nunc igitur proficiſcor in Jeruſalem, miniſtrare Sanctis. Probaverunt enim Macedonia, & Achaia, collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Jeruſalem.*** Et 1. Corinth. cap. 16. v. 1. ***De collectis autem, quae fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiae, ita & vos facite.*** Imperat etiam, ut ali-

Digitized by Google

aliquos deligant, qui eleemoſynam cum epiſtola deferrent. *Quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam in Jeruſalem*.

VIII. Ex his & illud quoque colligimus, Principes Urbes per unamquamque Provinciam ab Apoſtolis delectas, in quibus fundarent Eccleſias, ut ſic minorum Urbium Populos nullo negotio converterent, Eccleſiis aliis donarent, & univerſim vel ad fidem pellicerent, vel fidem profeſſos moderarentur. Diſperſi in Urbes Diſcipuli, de quibus Actor. II., Antiochiae praeſertim evangelium vulgarunt, & Paulus Tharſi docuit: quae quidem Urbes erant in Syria, & Aſia Metropoles ſpectatiſſimae. De Barnaba quoque, & Paulo ordinatis Epiſcopis cap. 13. v. 4. legimus. *Et ipſi quidem miſſi à Spiritu Sancto, abierunt Seleuciam, & inde navigaverunt Cyprum, & cum veniſſent Salaminam, praedicabant Verbum Dei*. Narratur & reliqua Pauli navigatio, & quî Evangelium in Urbibus annunciaverit, quae aut dignitate civili metropolitica cohoneſtabantur, aut celeberrima erant Regum emporia. Ordo hujuſcemodi tum maximè enituit, quum Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano adverſus Judaïzantes, Actor. 15., decretum condidere. Paulus eligitur, qui Synodicum Apoſtolicum decretum in Provincias deferat. Is primùm Antiochiae promulgat; tum per Syriam, Ciliciam, Pamphyliam, Phrygiam, Galatiam, denique ut ceteris Aſiae regionibus decretum idem denunciet, Epheſum venit, inde Theſſalonicam, Apolloniam, ceteraſque Provincias, & Urbes, Metropolitico jure gaudentes, in Imperio peragravit. In quo quidem ſervaſſe Paulum in praedicatione Evangelii, & Epiſtolae Synodicae promulgatione civilem ordinem in Imperio receptum, ſuadent verba Lucae Actor. 18. v. 23., ubi enarrata, quam Epheſi traxit, Pauli mora, ſcribit. *Et facto ibi aliquanto tempore profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam Regionem, & Phrygiam, confirmans omnes Diſcipulos*. Provincias ergo illas Paulus perluſtravit *ex ordine* utique civili, oppidò omnibus explorato, & recepto. Quapropter nihil eſt ambigendum, in his Provinciis Eccleſiaſticum regimen, & ordinem fuiſſe ab Apoſtolis inductum, atque Epiſcopos quidem in majoribus Urbibus poſitos, in reliquis Presbyteros. Namque

Digitized by Google

que Paulus, & Barnabas, quum Aſiae Urbes plurimas, & Provincias peragraſſent, quarum habes catalogum Actor. 14., addente Sacro textu v. 22. *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, qui crediderunt*. Ordinatio hîc cum jejunio in oratione exprimitur, inquit ad eum locum Chryſoſtomus homil. 31. *Vidiſti fervorem Pauli. Cum oraſſent, inquit, cum jejunio, commendaverunt illos Domino. Vide, cum jejuniis fiunt ordinationes*. Verbis autem illis: *commendaverunt Domino*, traditum regimen innuitur. Quoniam deinde Antiochena Eccleſia Principe in Metropoli erat, Paulus, & Barnabas, v. 26. *Cum veniſſent* (Antiochiam) *& congregaſſent Eccleſiam, retulerunt, quanta feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet gentibus oſtium fidei*.

IX. Multa in hanc rem commemorare poſſemus ex Pauli epiſtolis ad Metropoliticas illuſtriores Eccleſias datis, & Petri laboribus in Summis Patriarchalibus Sedibus ibi conſtituendis, ubi ſummi erant Imperii vertices; quae omnia pridem viri doctiſſimi occuparunt in editis hac de re lucubrationibus. Sat nihilominus ex his, quae prolata à nobis ſunt, fit exploratum, Apoſtolos, atque Apoſtolicos viros in Evangelii propagatione, & in Urbium delectu, ubi hierarchicum regimen introducerent, mentem animumque ad civilem provinciarum diſtributionem intendiſſe, atque adeò majores Epiſcopos in unaquaque Metropoli conſtituiſſe, in urbibus aliis Epiſcopos, aut Preſbyteros. Nulla enim in provinciis commodior, aptiorque Civitas eligi poterat, ut primus conſtitutus Epiſcopus ceteris regimen praeïret, niſi ſingularum Provinciarum Metropolis, in qua praeter Civium, aliorumque ad peragenda negotia multitudinem, Magiſtratus etiam aderant, ad diſceptationes finiendas. Aderant & initia viarum militarium, publicique Curſores; quibus mediis ea ceteris intimare, quae ad Eccleſiaſticum regimen ſpectarent; iiſdem qualicumque urgente neceſſitate, aut fidei, aut morum, praeſto eſſe poterant, ſeu per epiſtolas, ſeu per delectos Miniſtros. Ab eo equidem ordine nuſquam receſſit ſequioris aevi Eccleſia. Cujus rei ſpecimen exhibuit Concilium

An-

Digitized by Google

tiochenum ſtatuens Can. IX. *Per ſingulas Regiones Epiſcopos convenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſolicitudinem totius Provinciae gerere, propter quod ad Metropolim undique, qui negotia videntur habere, concurrunt. Unde placuit, eum & honore praecellere, & nihil amplius praeter eum ceteros Epiſcopos agere ſecundum antiquam à Patribus noſtris regulam conſtitutam.*

ſ. II.

De Epiſtola primitivae Chriſtianae Eccleſiae edita in Concilio Hieroſolymitano.

SYNOPSIS.

I. *Exordium haereſis Judaïzantium, & Pauli, ac Barnabae légatio ad Eccleſiam Hieroſolymit. deſcribuntur.* II. *Acta Synodi Hieroſolymitanae in cauſsa Judaïzantium.* III. *Petrus interlocutus eſt jure primae relationis, ſeu primae ſententiae.* IV. *Cur Jacobus, & quo jure poſt Petrum ſententiam dixerit.* V. *Proponitur Encyclica ejus Synodi.* VI. *Judas, & Sila electi Curſores.* VII. *Cur Judas Antiochia regreſſus ſit Hieroſolymam.* VIII. *Pauli itinera pro Encyclicae promulgatione.* IX. *Haec Encyclica fuit norma ceterarum.*

I. JUdicium Antiochenae Eccleſiae, quae Gentium converſionem per omnes minoris Aſiae Provincias ſibi à Paulo, & Barnaba enarratam probaverat, primos habuit hoſtes Judaïzantes. Ii nimirum per Syriae, & Ciliciae Urbes diſcurrentes, edocere fideles coeperunt, Actor. 15. v. 1. *Quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.* Hinc periculoſa invecta haereſis, & Fratrum ſubverſio, primaque Eccleſiarum ſciſſio. Antiochena Eccleſia, quae caput agnoſcebat, omniumque matricem aliarum, Hieroſolymitanam à praecipuis Apoſtolis gubernatam, noluit diſceptationem per ſe definire; ſed Paulum delegit, & Barnabam, proprioque è coetu aliquos

àliquos, qui diſſidium, enatamque haereſim relatum irent. ***Statuerunt, ut aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apoſtolos, & Presbyteros in Jeruſalem.*** Duo quidem Apoſtoli, calumniam à Judaïzantibus paſſi, quod praedicaſſe viderentur, à Moſe diſcedendum eſſe, annunciati Evangelii rationem reddituri, Hieroſolymas profecti ſunt: ***alii*** verò ***ex aliis*** utique Eccleſiis Antiochiae, Syriae, & Ciliciae, in quibus haereſis invaluerat, comites illis dati ſunt; vel, ut earundem Eccleſiarum Dominici curſores, qui diſceptationis ſtatum Apoſtolico coetui aperirent, & decretum ſubinde referrent; vel, ut Doctores, qui ſuam, ſuorumque fidem, conſenſionem, & Orthodoxiam, prolatis etiam documentis, teſtarentur. Una itaque ſimul omnes peragrarunt Syriam primam, cujus caput Antiochia; Syriam ſecundam, ubi Laodicaea, & Apamea; tum Phoeniciam, & regionem Samaritanam, atque Eccleſias identidem inviſentes, narrabant, quae in Gentium converſione contigerant. v. 3. ***Illi ergo deducti ab Eccleſia*** (ſcilicet à praedictarum Eccleſiarum Dominicis curſoribus) ***pertranſibant Phoenicem, & Samariam, narrantes converſionem Gentium, & faciebant gaudium magnum omnibus Fratribus:*** Qui ſuo videlicet calculo probabant, quod duo illi Apoſtoli egerant, & ab Eccleſia Antiochena fuerat confirmatum. Hinc, opinor, conſuetudo manavit, ut Dominici curſores unius Eccleſiae ſenſa deferentes, aliis omnibus, quas in itinere haberent obvias, Eccleſiaſtica reſcripta denunciarent.

II. Ubi Paulus, & Barnabas Hieroſolymam pervenere, Apoſtolis, Senioribus, coetuque fidelium reliquo congregatis, acta Apoſtolatus ſui enarraverunt, & nomine Antiochenae Eccleſiae propoſuerunt motam à Judaïzantibus diſceptationem. Coetus hujus ampliſſimi advertenda breviter ſunt acta, quum & in eo Chriſtiana Eccleſia pro majeſtate ſplenduerit, & forma inſtituendorum Conciliorum ſit praeformata. Imprimis itaque propoſita diſceptatio ***magnâ diſquiſitione*** hinc, atque inde ventilata eſt. Primus deindè Apoſtolici Senatus Petrus loquitur, ejuſque interlocutionem illud eſt conſecutum, quod ibid. dicitur

citur

Digitized by Google

citur v. 12. *Tacuit omnis multitudo*. Namque cum unumquodque Eccleſiaſticum Concilium conſtet hominibus, quos humana ratione, libertate, ac prudentiâ uti decet, ne à veri, atque boni ſemita deſciſcant, ad quam ſeu probè inſtituta humana Societas, ſeu coelitus data Religio ducunt, eorum nihil praetermiſere Apoſtoli, quae ad ſollertem cauſſae inveſtigationem, & dignam tanto coetu ſententiam facerent. Iccircò concertantium rationes audiuntur, momenta utrimque diſcutiuntur, & re comperta, Epiſcopi Judices pro ea, quam jure quodam ſuo ſententiam tulerat Petrus, vota, atque ſuffragia edidere. Hinc Petri voces excepit Jacobus, ceterique deinceps unanimi voto *dogma* definiunt, & *legislationem* ſuſcipiunt, ut loquitur Chryſoſtomus Homil. 32. in Acta.

III. Jus illud quidem, quo Petrus ſententiam dixit, ei planè comparari poſſe videtur, quod apud Civiles Magiſtratus in moribus erat, ut ſcilicet Princeps in Senatu votum ferret, quod à Veteribus Scriptoribus jus primae relationis nuncupatum eſt: Succederet autem in dicendo, qui primae ſententiae jus in Senatu haberet. Qua in re ſi exempla plurima, data operâ, quaerere vellemus, & copiam, ut in rebus notiſſimis nonnulli faciunt, oſtentare, res minimè difficilis eſſet: Sed ſatis ſemper nobis viſum eſt, ſi appoſitis exemplis, & quibus res extra dubitandi aleam collocaretur, quamvis paucis uteremur, niſi alicubi rei novitas copioſiore confirmatione indigere videatur. Ejus autem juris exſtat apud Vopiſcum in Tacito nobile judicialis ordinis monumentum. Agebatur de Imperatore eligendo: Conſul jure primae relationis ſententiam dixit: Conſulem excepit Tacitus ipſe, qui jus primae ſententiae apud Senatum obtinebat. Sed Vopiſcum audiamus: *Intereſt tamen, ut ſciatur, quomodo Tacitus Imperator ſit creatus. Die ſeptimo Kal. Octobr., cum in Curiam Pompilianam Ordo ampliſſimus conſediſſet, Vellejus Cornificius Gordianus Conſul dixit &c.*, & poſtquam votum Conſulis deſcripſit, proſequitur Vopiſcus: *Poſt haec, cum Tacitus, qui erat primae Sententiae Conſularis, ſententiam incertum quam vellet dicere, omnis Senatus acclamavit. Tacite Auguſte,*

ſte, Dii Te ſervent: Te deligimus, Te Principem facimus; Tibi curam Reipub. Orbiſque mandamus: ſuſcipe Imperium ex Senatus auctoritate: Tui Loci, Tuae Vitae, Tuae Mentis eſt, quod mereris.

IV. Mos quoque & ab Imperii Politia, & ab exemplo Jacobi Hieroſolymitani Epiſcopi, poſt Petrum alloquentis, manavit, obſervatuſque eſt ſeculis Eccleſiae ſequentibus, ut in majoribus Synodis unus aliquis, aut ſupremus Hierarcha, aut qui locum ejus teneret, univerſo praeeſſet coetui; ſecundum autem ab eo locum Epiſcopus Urbis teneret, in qua Concilium celebrabatur. In Sardicenſi Synodo Oſius praeſes erat, ſecundus autem in dicendis, ordinandiſque controverſiis ſedit Protogenes, qui Epiſcopus Sardicenſis erat. In Epheſina Cyrillus praefuit, & Memnon Epheſinus Epiſcopus alterum ab eo locum tenuit, ut Acta paſſim memorant. Nec multa in hanc rem congerenda, iis oppidò certam & exploratam, qui Conciliarem hiſtoriam vel leviter edocti ſint. Sed ad Synodi noſtrae Acta revertamur.

V. Ad declarandum dogma factus eſt gradus, ſancitumque, legalia minime eſſe ad ſalutem neceſſaria. Quod in epiſtola Encyclica totius Synodi nomine propoſitum fidelibus eſt ad credendum. Epiſtolae inſcriptio ejuſmodi eſt: *Apoſtoli, & Seniores Fratres, his, qui ſunt Antiochiae, Syriae, & Ciliciae, Fratribus ex Gentibus ſalutem.* Ponunt primo loco Antiochiam: Namque Metropolis tunc illa erat Syriae primae, & ſecundae, atque adeò ejus erat, Conciliaris definitionis exemplaria in ceteras ſubjectas Urbes tranſmittere. Adde, quod ibid. controverſia fuerat excitata: unde ſtatim in ejus Eccleſiae Conventu Encyclica recitata eſt, v. 30. *Illi ergò dimiſſi deſcenderunt Antiochiam, & congregatâ multitudine, tradiderunt Epiſtolam, quam cum legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione.* Ea indidem Eccleſiarum ſolicitudo deinde profluxit, ut in publico coetu Encyclicae recitarentur.

VI. Paulo, & Barnabae iterum in Provincias profecturis, comites dati ſunt, v. 22. *Judas, qui cognominabatur Barſabas, & Sila.* Vocantur autem *primi inter Fratres*, Ac nobis quidem

Digitized by Google

hi Curſorum officium executi videntur: & quoniam res magni momenti agebatur, probati ſunt, ac pietate, & doctrina praeſtantes à Concilio delecti. Haud aliter quum Hieroſolymam mittendi fuere, qui coetum illum Apoſtolicum certiorem facerent ſtatus Eccleſiarum Achaïae, Macedoniae, & Galatiae, & collectas ſimul deferrent, Curſorum delectus cautè habitus eſt. Quare de illis ſcripſit S. Paulus, 1. Corinth. 16. v. 3. *Cum autem praeſens fuero, quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam.*

VII. Ex iis interim, qui miſſi fuerant Dominici Curſores, Judas Barſabas, poſtquam Eccleſiam Antiochenam confirmaſſet, *abiit Jeruſalem*, [v. 34.] quae peracta fuerant, & quis ex Apoſtolica Encyclica fructus eſſet conſecutus, Apoſtolis denunciaturus. *Facto autem ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace à Fratribus ad eos, qui miſerant illos. Viſum eſt autem Silae ibi remanere: Judas autem ſolus abiit Jeruſalem.* Quod in mores quoque deductum eſt, obſervatumque, ut Curſores, legatione adimpleta, ad Eccleſiam, à qua dimiſſi fuerant, remearent.

VIII. Id quoque penſi Curſoribus illis injunctum novimus, ut ad ſingulas Eccleſias iter diverterent, & Apoſtolica mandata deferrent. Quod & Acta ibid. v. 36. docent, ubi Paulus Barnabae dixit. *Revertentes, viſitemus Fratres per univerſas Civitates, in quibus praedicavimus Verbum Domini, quomodo ſe habeant.* Perſeverent nimirùm in traditis dogmatis, nullo Judaïzantium infecti contagio, & ab omni haereſeos labe immunes; an verò graſſetur in illis novitius error. Hinc de Paulo addit Hiſtoricus, v. 41. *Perambulabat autem Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias: praecipiens cuſtodire praecepta Apoſtolorum, & Seniorum.* Ejuſdem in alias Provincias itinera, & labores referuntur cap. 16., & cetera in hunc modum perſtringuntur: *Cum pertranſirent Civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quae erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Jeroſolymis.*

IX. Atque haec, quae ſtrictim complexi ſumus, ſat, reor, oſtendunt, epiſtolam hanc Hieroſolymitani Concilii illuſtre quod-

dam

Digitized by Google

dam exemplar eſſe, non celebrandorum tantummodò Conciliorum, ſed Epiſtolarum etiam Encyclicarum. Siquidem hoc ſaluberrimo medio Apoſtolis viſum eſt, prima lege ſcripta, ut Chryſoſtomus ad eum locum aït, enatam oppugnare haereſim, & ſimul Eccleſiarum Praeſulibus viam monſtrare, qua & errores exſtirparent, & univerſam Chriſtiani nominis compagem incolumem, atque indivulſam ſervarent.

§. III.

De Epiſtolis Encyclicis Sancti Pauli.

SYNOPSIS.

I. *S. Pauli Epiſtolas ad omnes generatim Fideles tranſmiſſas eſſe; Apoſtoli Petri, & SS. Patrum teſtimoniis oſtenditur.* II. *Ejuſdem Epiſtola ad Romanos fuit Encyclica.* III. *Fuerunt & ad Corinthios duae.* IV. *Epiſtola I. ad Theſſalonicenſes ad Eccleſias alias tranſmitti debuit.* V. *Id ex altera ad Theſſalonicenſes luculenter adſtruitur.*

I. Paulus Apoſtolus, Gentium Doctor, ac ſplendentiſſimum Chriſtianae Religionis lumen, plures epiſtolas ſcripſit, in quibus & dogmatum fidem, & morum diſciplinam Fideles edocuit, & quemadmodum à Praeſulibus deinceps moderari utramque oporteret, nitidè luculenterque praeïvit. Nam tametſi ad unam aliquam ſingularem Eccleſiam ſuas pleraſque omnes epiſtolas inſcripſerit, illud nihilominus in numerato eſſe debet, eàm Paulo fuiſſe mentem, ut epiſtolae ſuae in omnium Orbis Eccleſiarum uſum venirent, atque adeò Encyclicarum conſcribendarum morem in illis praeluderet. Id ſanè demonſtrat Apoſtolorum Princeps Petrus in ſua ſecunda Epiſtola ad omnes Fideles, ubi Paulinas Literas ubique vulgatas ſupponit, & quaquaverſum à Paulo ipſo, aut ab Eccleſiis tranſmiſſas,

dum cap. 3. v. 15. Fideles omnes commonet: *Sicut & Cariſſimus Frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis. Sicut & in omnibus epiſtolis loquens eis de his: in quibus ſunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur, Fratres, praeſcientes, cuſtodite, ne inſipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate*. Nemo eſt, qui ſecundam Petri epiſtolam, dubitet, ad Fideles omnes fuiſſe ſcriptam: namque id Apoſtolus initio conceptis verbis aſſeverat. Jam verò quomodo Fideles ubique omnes alloqui verbis illis potuiſſet: *Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis*: niſi reipſa Paulus, etſi ad particulares Eccleſias inſcripſerat, ad omnes tamen ubique tranſmiſiſſet epiſtolas? Id praeclarè animadverterat vir ſanctiſſimus, Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in celeberrima Encyclica fidei adverſus Monothelitas edita, quae lecta eſt, & velut formula fidei, ſuſcepta in Synodo VI. Actione X. *Quia verò* (inquit ibid. pag. 1259.) *quaedam Apoſtolica, atque priſca traditio in Sanctis Dei per totum Orbem Eccleſiis tenuit, ut qui ad Pontificatum ducuntur, iis, qui ante illos Pontificatus regunt, omnia ſinceriter conferant, vel exponant, qualiter ſapiant, & qualiter fidem detineant, quam Paulus eis ſapientiſſimus nimis cautè contradidit, ut non curſus ſuos in vacuum peragant*. Ubi quidem Sophronius apertè innuit, id à Paulo uſurpatum, ut Apoſtolis, omnibuſque Eccleſiarum Praeſulibus, & Paſtoribus fidei doctrinam exponeret, & Evangelium ſuum conferret. Excurrit deinde in Apoſtoli laudes, & ad rem poſteà ait: *Unde & in Hieroſolymis aſcendebat Chriſti coeleſtis Diſcipulus, & divinis, qui praeerant, ſubjiciebatur Diſcipulis: & Evangelicam, quam praedicabat, doctrinam innoteſcebat eis, qui alios putabantur praecedere, & ipſius eos faciebat doctrinae participes, munimen ſibi deſpondens, & eis, qui poſt eum fuerant ejus ſuſcepturi doctrinas; quibus formula ſalutis cunctis probabilis factus eſt, qui ejus ſequi vellent veſtigia*. Idipſum de Pauli ſolicitudine, zeloque ad univerſos Fideles epiſtolis erudiendos, obſervavit Beda in Comment. ad illum locum Petri: *Quia etſi Paulus ad quaſdam ſpecialiter ſcripſit Eccleſias, omnibus*

Digitized by Google

bus tamen generaliter, quae per Orbem ſunt, quaeque unam Catholicam faciunt, ſcripſiſſe probatur Eccleſiis.

II. Et epiſtola quidem ad Romanos Eccleſiam Romae conſiſtentem unicè reſpexiſſe videtur, ſed reipſa ad Eccleſias reliquas delata eſt. Quo nixus fundamento S. Hieronymus epiſt. 105. ad Sixtum Romanum tunc Presbyterum, deinde Pontificem, ſcripſit: *De gratiae commendatione maximè ad Romanos Apoſtolica epiſtola loquitur, ut inde ſe praedicatio ejus velut à capite Orbis toto Orbe diffunderet: ea eſt enim, qua juſtificatur impius.* Sanè inter univerſos Judaeos, quotquot fidem ſuſceperant, evulgatam fuiſſe eam epiſtolam, non obſcurè innuunt Jacobi verba, Actor. 21., qui Paulum de criminibus commonitum voluit in ultimo Hieroſolymitano adventu, quae illi intentaverant Judaei ob doctrinam in epiſtola ad Romanos comprehenſam. *Et ſcient.* [inquit Jacobus] *quia quae de te audierunt, falſa ſunt.* Imo cum ipſe Paulus in eadem ad Rom. epiſtola cap. 16. v. 16. dicat: *Salutate invicem in oſculo ſancto. Salutant vos omnes Eccleſiae Chriſti:* apertè ſupponit, & omnium nomine ſe ſcripſiſſe, & Romanos ad ceteras Chriſtiani Orbis Eccleſias tranſmittentes, eis in Chriſto ſalutem dicturos. Hoc autem Encyclicarum literarum proprium erat, fidei, caritatiſque unitatem ubique confovere.

III. Clariora ſunt in duabus ad Corinthios epiſtolis Encyclicarum ſpecimina. Et ipſo quidem in limine prioris, finem ſcribendi aperit, & conditionem. *Eccleſiae Dei, quae eſt Corinthi ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis Sanctis, cum omnibus, qui invocant Nomen Domini Jeſu Chriſti, in omni loco ipſorum, & noſtro, gratia vobis, & pax.* Corinthus caput erat celeberrimi Achaïci conventus, cujus primaevam celebritatem, qua Principatum in univerſa Graecia retinuit, Polybius in excerptis de Legationibus fuſe deſcribit. Urbs à Caeſare reſtaurata, eò ſplendoris hoc Apoſtolico tempore devenerat, ut ludis Iſthmicis, emporio, commerciiſque ad primam ampliſſimam dignitatem eſſet reſtituta. Paulus itaque ad hanc Metropolim epiſtolas dedit, ab eadem Eccleſia tranſmittendas *Sanctificatis in Chriſto Jeſu, & omnibus,*

 qui

qui invocant Nomen Domini Jeſu Chriſti. Mutuam deinde unitatem ut recolat, eandem pacem exoptat, eundem fidei, & caritatis concentum *in omni loco*, ubi ſunt Fideles. Quod eſt Chryſoſtomo annotatum in commentariis ad eum locum, ubi diſertè aſſeverat, Paulum non Corinthios dumtaxat ſalutare, ſed quotquot ubique erant Fideles, ad quos epiſtola eadem erat tranſmittenda. Chryſoſtomum hac in re Theophilactus, atque Oecumenius exſcripſerunt. Quum autem addit Apoſtolus, *in omni loco, & noſtro:* id innuiſſe videtur, quod tam ipſorum, ad quos ſcribebat, quam is, unde ſcribebat, locus, una atque eadem ſit Eccleſia. Et ſanè Paulum non Corinthios tantum, ſed & univerſam generatim Achaïam reſpexiſſe, ſat demonſtrat in epiſt. 2. c. 1. v. 1., ubi Fideles omnes appellat, *qui ſunt in univerſa Achaïa:* cujus ſcilicet caput erat, & Metropolis Corinthus. Quapropter dilucidius apparet, quod in ſuperioribus animadvertimus, epiſtolas id genus omnes ad Metropolim aliquam dirigi conſueviſſe, ut à primo Provinciae Epiſcopo ad reliquos tranſmitterentur. Mutuas vero ultrò, citròque fuiſſe conſcriptas, ab hac eadem Pauli epiſtola diſcimus. Dixerat Apoſtolus, 1. c. 5. v. 9. *Scripſi vobis in epiſtola*. De literis vero Corinthiacae Eccleſiae c. 7. v. 1. aït: *De quibus autem ſcripſiſti mihi*. Quis eat inficias, hinc colligi, integrae illius Eccleſiae epiſtolam ad Paulum aliquam fuiſſe conſcriptam,ut,qui eſt Encyclicarum character, ſuam in fide conſenſionem atteſtaretur? Equidem & Paulus ipſe epiſtolam ſuam orditur. *Eccleſiae Dei*, *quae eſt Corinthi*. Siquidem non ad particularem, ſed ad omnem Achaïae coetum, in Corinthiaca Metropoli repraeſentatum, epiſtolam exaravit: & ad reliquarum Eccleſiarum concentum exprimendum, addit. c. 16. v. 19. *Salutant vos Eccleſiae Aſiae*. Epiſtolam Epheſi ſcripſit Apoſtolus, quippe in ea meminit Aquilae, & Priſcillae, Epheſi degentium, ut ex capp. 18. & 19. Actor. liquidò conſtat. Epheſus autem caput erat, & Metropolis Aſiae totius, ac propterea ceterarum Aſiae Eccleſiarum: Nec ineptus erit divinator, qui pro more ex ceteris Eccleſiis aliquos Epheſi tunc fuiſſe conjiciat, in quorum omnium publico Conventu epi-

ſtolam

Digitized by Google

ſtolam, quam ſcribebat, legerit Apoſtolus. Unde & Eccleſiarum omnium Aſianarum mentionem injecerit, earumque nomine ſalutem Corinthiacis ſit adprecatus; ut videlicet oſtenderet, doctrinam in epiſtola ipſa comprehenſam, atque à divina revelatione profluentem, jam reliquarum Eccleſiarum ſuffragium, & fidem fuiſſe adeptam. Haud aliter, quum ad Galatas ſcripſit, ſe *univerſis Eccleſiis Galatiae* ſcribere affirmat, eoſque fidelium omnium nomine, quos inter eo tempore degebat, in Chriſto ſalutat.

IV. Porrò id penſi habuiſſe Eccleſias, quibus Encyclicae Pauli epiſtolae inſcribebantur, ut, poſtquam in publico Conventu recitaverant, etiam apud alias finitimas Eccleſias lectionem earundem, & ſollennem evulgationem promoverent, non obſcure colligimus ex 1. ad Theſſalon. c. 5. v. 27., ubi Apoſtolus ſcribit: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epiſtola haec omnibus Sanctis Fratribus*. Non ſolis nimirum Theſſalonicenſibus, aut totius Macedoniae Fidelibus, cujus Provinciae Metropolis erat Theſſalonica, ſed univerſis per Orbem Fratribus, & in omni ubicumque Chriſtiana Eccleſia. Adjuratio quippe praecepto aequivalet, ut ad eum locum obſervat Chryſoſtomus. Quamobrem cum Paulus adjuret, ſeu praecipiat Theſſalonicenſibus, ut in alias Eccleſias epiſtolam tranſmittant, id nobis argumento eſt ad obſervatam ſequioribus Eccleſiae temporibus conſuetudinem illuſtrandam, qua Encyclicae ubique erant lectitandae, & Dominicis curſoribus ea ſolicitudo commiſſa eſt, ut publicam literarum hujuſcemodi lectionem exigerent, & judicia corrogarent.

V. Hinc factum, ut laudata Pauli epiſtola aevo Apoſtolico ſummum eſſet veritatis auctoramentum. Id colligere pronum eſt ex Petri verbis, quae ſupra à nobis commemorata ſunt; & ex ipſomet Paulo, qui cum ſeductores permulti, & falſi Fratres plurima de finali judicio, deque Antichriſto ad libitum confingerent, & primae ad Theſſalonicenſes epiſtolae teſtimonium ad inſomnia ſua confirmanda detorquerent, alteram ad eoſdem Theſſalon. dedit, quos c. 2. v. 2. monet: *Ut non mo-*

veamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tamquam per nos miſſam. Enimverò qua fruge, aut cui bono epiſtolam Pauli Theſſalonicenſibus ut fucum facerent, ſeductores protuliſſent, niſi certum ratumque habitum eſſet, haſce epiſtolas ad auctoritatem faciendam, atque ad fidei regulam conſtabiliendam fuiſſe directas? Hac ſanè de cauſſa caracteriſticae notae inventae ſunt, ut germanae dignoſcerentur à ſpuriis, nec fidei Eccleſiarum impii homines illudere deinceps poſſent. Paulus ipſe id cavit in ead. epiſtola-cap. 3. v. 17., & veritatis dignoſcendae indicium Fidelibus prodit. *Salutatio, mea manu Pauli: quod eſt ſignum in omni epiſtola: ità ſcribo*.

ſ. IV.

De Epiſtolis Sancti Pauli ad Epheſios, & ad Coloſſenſes.

S Y N O P S I S.

I. *Agitur de Epiſtola ad Epheſios, deque ejus Urbis, & Eccleſiae praeſtantia*. II. *Eadem Eccleſia ampliſſimo Hierarchico ordine fulgebat*. III. *Sub Epiſcopatu S. Johannis ceteras Aſiae Eccleſias moderata eſt*. IV. *Argumentum Epiſtolae ad Epheſios expenſum*. V. *Tychicus ad eam deferendam electus Dominicus Curſor*. VI. *Inſcripta eſt ad omnes Fideles, & in aliquibus Codd. ad Laodicenos*. VII. *De Epiſtola ad Coloſſenſes, de Urbe Coloſſis, deque haereſi Simonianorum*. VIII. *Quae fuerit doctrina Simonis de Helena ſua, deque myſterio Redemtionis*. IX. *S. Paulo denunciatur ab Epaphra*. X. *Apoſtoli ad Coloſſenſes Epiſt. fuit dogmatica, & Encyclica*. XI. *Agit de Chriſti divina Mediatione*. XII. *Docet Supremum cultum non Angelis, ſed Chriſto Mediatori tribuendum*. XIII. *Quomodo Pauli, & Timothei nominibus inſcripta fuerit*. XIV. *Epiſt. 2. ad Timotheum ejuſdem eſt argumenti, atque altera ad Epheſios*. XV. *Itidem & altera ad Philemonem*. XVI. *Quibus Curſoribus uſus ſit Paulus*. XVII. *Epiſt. ad Coloſſenſ. in aliis Eccleſiis fuit lectitanda*. XVIII. *Quis Encyclicarum fuerit caracter, diſquiritur*.

I. In-

Digitized by Google

I. INter epiſtolas, quas ad Eccleſiam informandam Gentium Apoſtolus edidit, cum non infimum locum tenent, quae ſunt ad Epheſios, & ad Coloſſenſes ſcriptae, tum illuſtria Encyclicarum ſpecimina prae aliis exhibent, & nihil ferè in prima de Encyclicis Diſſertatione diſputavimus, quod nitidè luculenterque in hiſce Pauli epiſtolis non ſit praeformatum. Atque ut rem ab ea, quae eſt ad Epheſios, aggrediamur, haec à Paulo ſcripta eſt ad primam totius Aſiae Metropolim, cujuſmodi Epheſus erat. Urbis hujus decora, Principatum, ceteraque ornamenta paſſim Scriptores produnt. Ejuſdem Societatem praecipuae Aſiae Urbes expetiêre, ut exſtantia numiſmata Epheſi cuſa in concordiae initae à ceteris Aſiae Urbibus cum Epheſina monumentum, abunde teſtantur. Imò vix alia reperies numiſmata, quae concordiam, Societatemque expreſſam ferant, ut ſanè ferunt Epheſina, quae Harduinus, Spanhemius, aliique magno ſtudio collegerunt. Diutius in Urbe hac commoratus Apoſtolus, ornatiorem, ſanctioremque fecit, non credentium tantum numero, ſed invecto pariter Hierarchico ampliſſimo Ordine, cui diſcipulum ſuum pietate, & ſollertiâ magnoperè commendâtum, Timotheum praefecit, Euſebio ſcribente lib. 3. Hiſt. cap. 4. *Timotheus Eccleſiae Epheſinae Epiſcopatum accepiſſe ſcribitur*. Et cap. 23. agens de Irenaeo, inquit: *In ſecundo adverſus haereſes libro ità ſcribit: & omnes, inquit, Preſbyteri, qui cum Johanne Domini diſcipulo in Aſia familiariter verſati ſunt, ità ſibi à Johanne traditum eſſe teſtantur. Vixit enim apud illos uſque ad tempora Trajani. In tertio quoque ejuſdem operis libro idipſum declarat his verbis: Sed & Epheſina Eccleſia, quae à Paulo quidem fundata eſt, Johannem verò uſque ad Trajani tempora habuit Praeſidentem, teſtis locupletiſſima eſt Apoſtolicae Traditionis*. Spectabiliſſima equidem fuit Catholicorum Epiſcoporum in ea Sede ſucceſſio, de qua in Synodo Chalcedonenſi dictum legimus Act. XI. *A Sancto Timotheo uſque nunc viginti ſeptem Epiſcopi facti, omnes in Epheſo ſunt ordinati*. Hinc poſt Patriarchas Epheſina Eccleſia in ſuo Epiſcopo, quem Exarcham diù appellatum novimus, primum in omnibus Conciliis locum tenuit. Qua de

de re in antiqua collectione Actorum Concilii Nicaeni 1. legimus. *Apud Epheſum verò Beatiſſimus Johannes Apoſtolus, & Evangeliſta multò tempore poſt Domini Reſurrectionem, & Aſcenſionem in Coelos, Divina inſpiratione conſcripſit, atque requievit; & ob hoc Epiſcopus Epheſinus pro tanti Apoſtoli, & Evangeliſtae memoria ceteris Epiſcopis Metropolitanis in Synodis honorabiliorem obtinet locum*.

II. Non eſt dubitandum, quin ex multis Eccleſiis, quae opera Apoſtolorum fundatae ſunt, Epheſina numero in primis Clericorum, Hierarchiam Sacram conſtituentium, longè fuerit ſpectabilior. Iccirco inter Apoſtolica Concilia Aſianum memoratur, Mileti à Paulo coactum ex Epiſcopis, & Presbyteris, annotante Irenaeo lib. 3. c. 14. *In Mileto enim convocatis Epiſcopis, & Presbyteris, qui erant ab Epheſo, & reliquis proximis Civitatibus*. Qui ab Epheſo erant Epiſcopi, illi haud dubiè ab Irenaeo intelliguntur, qui Epheſinam Eccleſiam primam in Eccleſiaſtica Politia agnoſcebant. Atque eam in hunc planè modum fuiſſe à Paulo conſtitutam, Actor. 20. docet ſacer Textus, Concilii hujuſce recenſens acta, inter quae Paulus Synodum refertur interlocutus v. 18. *Vos ſcitis, à prima die, qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim*. Imò Demetrius ſive errore, ſive aeſtu in Paulum obcoecatus, quum reum apud Populum Epheſinum ageret Apoſtolum, dixiſſe perhibetur cap. 19. v. 26. *Et videtis, & auditis, quia non ſolum Epheſi, ſed penè totius Aſiae, Paulus hic ſuadens, avertit multam turbam*. Splendebat itaquè per id temporis Epheſina Eccleſia ſupra reliquas Epiſcopis, Presbyteris, ceteroque Hierarchico Ordine.

III. Johannes etiam ſtatum Eccleſiae hujus deſcribit, & conſtitutos in Metropolicis Aſiae Urbibus Epiſcopos memorat, Apocalypſeos cap. 1. v. 11. *Mitte ſeptem Eccleſiis, quae ſunt in Aſia, Epheſo, & Smyrne, & Pergamo, & Thyatirae, & Sardis, & Philadelphiae, & Laodiciae*. Divino ſubinde juſſu ad ſingulos Epiſcopos, quos & Angelos indigetat, quid boni, malive ab unoquoque geſtum ſit, perſcribit, & quae deinceps ſint cavenda,

aut

Digitized by Google

aut facienda, declarat. Nobiliſſimam hanc Eccleſiam optimè inſtitutam, Johannes ipſe, quoad vixit, ſuſcepit regendam. Unde Hieronymus in Catalogo de S. E. teſtatum de eo reliquit. *Scripſit Evangelium, rogatus ab Aſiae Epiſcopis .... Sub Nerva Principe redit Epheſum, ibique uſque ad Trajanum Principem perſeverans, totas Aſiae fundavit, rexitque Eccleſias.*

IV. Paulus itaque dum Romae captivus detinebatur, ut quam Epheſi fundaverat Eccleſiam, doctrina ſolidaret, hanc Epiſtolam ſcripſit. Argumentum ejus quod attinet, dogmaticum eſt, & ad exortas haereſes compeſcendas comparatiſſimum. Imprimis aggreditur Apoſtolus falſum Simonianorum, & Judaïzantium dogma: adſtruit deinde excellentiam Chriſti, neceſſitatem Redemtionis, ejuſque etiam ſupra Angelos poteſtatem, & gloriam, ac per eum ſolum homines ſalutem adipiſci poſſe. concludit adverſus irreligioſas Simonis, & Judaeorum hypotheſes. Mox deſcendit ad Eccleſiam viſibilem, cujus caput Chriſtum dixerat, à quo membra varia, variiſque membris diſtincta chariſmata, graduſque Hierarchicos inſtitutos docet. Horum graduum miniſteria ſingillatim deſignat, & quemadmodum ab eiſdem fidei veritas, atque unitas contra falſos Doctores defendenda ſit, multis commonſtrat. Erat nimirùm perquam neceſſaria Epheſiis hujuſmodi epiſtola. Namque paullò antea quum Timotheo Epheſino Epiſcopo è Macedonia ſcriberet primam epiſtolam, ſolicitè eum c. 1. v. 15. monuerat: *Scis hoc, quod averſi ſunt à me omnes, qui in Aſia ſunt.* Seducti nimirum variis Simonianorum artibus, & Judaïzantium calumniis. Itaque & jure optimo ad Eccleſiam Epheſinam ſcribens, quam ſupra ceteras Sacrorum Miniſtrorum numero ſplendeſcere, ſupra advertimus, magiſterium, parteſque Eccleſiae commendat, & dogmatis ſimul fidem edocet, commonetque, ut Paſtorum verbis obaudiant, vaniloquia autem Seductorum cautè declinent. Quocircà inter alia ſaluberrima monita, quae ad Timotheum in epiſtola ſecunda dedit, illud c. 2. v. 1. ingerit: *Tu ergò, Fili mi, confortare in gratia, quae eſt in Chriſto Jeſu, & quae audiſti à me per multos Teſtes, haec commenda fidelibus hominibus,*

qui

qui idonei erunt, *& alios docere*. Alibi Depoſitum traditum eidem commendat, & comprehenſa in eo dogmata illibatè cuſtodire, aliiſque Doctoribus, & Paſtoribus tradere jubet, ut cum Principe Epheſina Eccleſia ceterae in unam fidem conſpirarent. Equidem ſi epiſtolae duae ad Timotheum cum altera ad Epheſios conferantur, obvium unicuique erit, quod annotavimus, conſtitui à Paulo Eccleſiam, explicari ejuſdem magiſterium, & dogmata reliqua commendari. Quam ob rem ad Epheſ. 3. v. 10. ſibi facultatem in iiſdem revelandis conceſſam aſſerit, ſed imprimis, *ut innoteſcat .... per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei*.

V. Sed jam in Encyclicae hujus partes diligentius inquiramus. Res, opinor, explorata eſt, Encyclicas omnes per Dominicum curſorem, ab Eccleſia electum, deferri oportere, in quo & fides in agendo, & eruditio ad magiſterium promovendum exigeretur: quod à Concilio Hieroſolymitano in Juda, & Sila Dominicis curſoribus eligendis fuiſſe obſervatum, non ſemel innuimus. Porrò hujus ad Epheſ. Epiſtolae Tychicus fuit Dominicus curſor, de quo c. 6. v. 21. ſcribit Apoſtolus: *Chariſſimus Frater*, *& fidelis Miniſter in Domino*, *quem miſi vobis ad hoc ipſum*, *ut cognoſcatis*, *quae circa nos ſunt*. Theodoritus autem in comment. 2. Epiſt. ad Timoth. ad illa verba c. 4. v. 12. *Tychicum autem miſi Epheſum*; obſervat, Tychicum una cum epiſtola ad Epheſios, eam pariter, quae eſt ſecunda ad Timotheum, detuliſſe. Neque verò negotium faceſſit verbum illud *miſi*; Namque, ut Interpretes nonnulli judicant, exponi debet: quem mitto, ſive mittendum conſtitui. Quae ſi vera ſint, conſtat inde, Tychicum epiſtolas duas Epheſum attuliſſe, Timotheo Epiſcopo alteram, alteram univerſae Epheſinae Eccleſiae. Quod in aliis ſubinde Encyclicis videbimus obſervatum; ſiquidem una Eccleſiis omnibus, Epiſcopis particularibus alia dabatur, praeſertim quum eſſet quidpiam corrigendum, ut contigit in hac ſecunda ad Timotheum emittenda, qua illum de Hymenaeo, & Phileto commonet, qui circa Reſurrectionem perperam aliqua erant interpretati.

VI.

Digitized by Google

VI. Aliud quoque Encyclici ſcripti veſtigium inſcriptio epiſtolae ſuggerit, unde non Epheſiis tantùm, ſed ceteris etiam Fidelibus data colligitur. Sic autem illa habet: *Paulus omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi, & Fidelibus in Chriſto Jeſu*. Quorum quidem verborum priora Epheſios, cetera Fideles omnes, qui nomen hactenus Chriſto dederant, diſtinctè reſpiciunt. Sed ſunt ejuſdem inſcriptionis antiquae admodum lectiones, in quibus particulae illae: *Qui ſunt Epheſi*, omittuntur. Recitat priora illius epiſtolae verba S. Baſilius. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei omnibus Sanctis, & Fidelibus in Chriſto Jeſu*. Conjicimus hinc, verba illa, *qui ſunt Epheſi*, ex Pauli praecepto à Tychico fuiſſe adjuncta, quum exemplaria Eccleſiis relinqueret. Namque & eadem cum hac inſcriptione reperitur apud alios: *Sanctis, qui ſunt Laodiciae*. Epiphanius haereſi 49., quae eſt de Marcionitis, recitat pagg. 318. 319. fragmenta aliquot Scriptorum Marcionis, in quibus Haereſiarcha commemorat Pauli epiſtolam ad Laodicenos, & loca quaedam excerpſit, quae planè ſunt verba epiſtolae ad Epheſios. Id ea de cauſſa contigiſſe opinor, quod Tychicus exemplaria ejuſdem epiſtolae plurima quum feciſſet, in unoquoque ejus Eccleſiae nomen inſcripſerit, apud quam relinquebat epiſtolam: Ut propterea Marcion eo exemplari uſus ſit, quod ad Eccleſiam Laodicenam fuerat datum. Quapropter, ut Tertullianus auctor eſt lib. 5. adverſ. Marcion. c. 17. Haereſiarcha epiſtolam hanc quandoque ad Epheſios, tum etiam aliquando ad Laodicenos miſſam docebat. Quod verò una & eadem eſſet epiſtola argumento, verbis, atque ſententiis, omniſque ad inſcriptionem varietas redigêretur, probat id, quod ibid. habet Tertullianus pag. 588. *Praeterea hic de alia epiſtola, quam nos ad Epheſios praeſcriptam habemus, Haeretici verò ad Laodicenſes. Ait enim, meminiſſe nationes, quod illo tempore cum eſſent ſine Chriſto, alieni ab Iſraële, ſine conſecratione, & teſtamentis, & ſpe promiſſionis, etiam ſine Deo eſſent in Mundo*. Quae equidem verba tantum non iiſdem apicibus habemus in c. 1. epiſt. ad Epheſ. v. 12. *Quia eratis illo tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſraël, & hoſpites Teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, &*

ſine

ſine Deo in hoc Mundo. Teſtimonium alterum à Marcione allatum ex eadem epiſt. c. 1. v. 9. 10. memorat Tertullianus ibid. pag. 607., ac ſub eodem titulo epiſtolae ad Laodicenſes laudatum aït: quamquam, & illud adjungat. *Eccleſiae quidem veritate epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam, non ad Laodicenos; ſed & Marcion & titulum aliquando interpolare geſtiit, quaſi & in iſto diligentiſſimus explorator*. Nullus tamen dubito, quin Marcion in exemplaria authentica diverſimodè inſcripta incidere potuerit, & utrâque inſcriptione pro arbitratu uti, praeſertim cum Tertullianus hac in re minimè repugnet, inquiens ibid. *Nihil tamen de titulis intereſt, cum ad omnes Apoſtolus ſcripſerit, dum ad quoſdam.* Ex quibus lucem foeneratur conjectura noſtra, qua cenſuimus, epiſtolam hanc & ad Epheſios, & ad alias ſubinde Eccleſias fuiſſe delatam à Tychico, atque adeò in Encyclicarum cenſum venire.

VII. Sed pronior eſt conſuetudinis hujus explorandae ratio in epiſtola ad Coloſſenſes. Phrygia in Salutarem dividitur, Pacatianam, & Phrygiam primam, in qua Principes Urbes erant Hierapolis, Laodicea, & Coloſſae ad Lycii Fluminis ripas. De Urbe hac poſtrema ſcribit Herodotus: *Coloſſos magna Phrygiae Civitas*. Sita ea quidem ad confluentem Lycii, ubi in hiatum terrae delabitur flumen, & iterum poſt ſtadia quinque erumpit. De ead. Plinius lib. 5., & Strabo lib. 10. Quemadmodum verò poſt ſuſceptam hanc Pauli epiſtolam, tres illae Urbes ceciderint, ſcribit Theodoritus in Commentariis. *Civitas Phrygiae Coloſſae, quae nunc vocatur, atque illic & ex eo vicina ſit Laodiceae, quae Urbes una cum Hierapoli paullò poſt ſcriptam hanc epiſtolam corruère*. Has Urbes Apoſtolus, quum Aſiam incoleret, Evangelii praedicatione colluſtraverat, Coloſſam imprimis, quae & ob confluentis ſitum, & ob maris propinquitatem magna incolarum, & advenarum frequentia, inter ceteras Phrygiae Urbes, celeberrima erat. Epaphram deindè Sacerdotem, & fortè etiam Epiſcopum ibidem conſtituerat eo ferè tempore, quo Simoniani, & Judaïzantes multis perſuadere coeperant, Chriſtum Mediatorem non eſſe, ſed mediationem omnem eſſe Angelis adſcribendam. Quod quidem enorme dog-

dogma ex Platonis Philoſophia perperam intellecta ſumſerunt, qua ille docuit Rectores hominum Angelos, ſeu Doemonas medium aëris tenère, velut ſequeſtres, & mediatores Deum inter, & eoſdem homines. Qua in re Plato ipſe ſecutus eſt Zoroáſtris, & Magorum placita, ex iiſque multa diſſerit in Epinome. Perſtrinxit ea paucis ex ejuſdem Sympoſio S. Auguſtinus de C. D. lib. 12. cap. 24. inquiens eos, *Doemones, Angeloſque in aëre medios inter aethereum Coelum, terramque conſtituiſſe*. Cauſſam porrò, quae illos viſa eſt impuliſſe ad hujuſcemodi mediationem comminiſcendam, prodiderat lib. 8. cap. 18. *At quoniam nullus Deus miſcetur homini, quod Platonem dixiſſe perhibent, iſti ad Deos perferant preces hominum, & inde ad homines impetrata, quae poſcunt. Indignum enim putaverunt, qui iſta crediderunt, miſceri Homines Diis, & Hominibus: hinc petita quae allegent, inde conceſſa, quae apportent*.

VIII. Simon Scortum acceperat, nomine Helenam, ſeu Silenem, ut ſcribit Philaſtrius de Haereſibus, *quae initio quidem apud Tyrum Urbem Phoenices publicè in Lupanari proſtiterat*. Quod Euſebius quoque ſcripſit H. E. lib. 2. cap. 13. De ea itaque muliere plura commentus Simon, ad haereſim contra Chriſti mediationem progreſſus eſt, de qua adverſus haereſes lib. 1. cap. 10. ſcribit Irenaeus. *Hanc eſſe primam mentis ejus conceptionem, matrem omnium, per quam initio concepit Angelos facere, & Archangelos..... à quibus, & Mundum factum eſſe, dixit*. Et Epiphanius haereſi 21. *Se ſummam eſſe Dei vim, Scortum verò ſuum Spiritum eſſe Sanctum, affirmare auſus eſt*. Addebat, eodem referente: *Qui in eum, & Helenam ſpem hàbeant .... ſecundum ipſius gratiam ſalvari, & non ſecundum operas juſtas ...... nomina quaedam Principatùum, & Poteſtatum commentus eſt, coeleſteſque Globos varios ..... Noſtrum porrò hoc ſeculum ab nequitiae Principatibus, & Poteſtatibus cum defectu conditum*. Imò ſe Meſſiam eſſe autumaverat, eoque titulo Samaritanis illuſit, Actor. 8. v. 9. *Seducens Gentem Samariae, dicens, ſe eſſe aliquem magnum: cui auſculabant omnes à minimo uſque ad maximum, dicentes: Hic eſt virtus Dei, quae vocatur magna*. Hinc, ut mox laudatus Irenaeus obſervat ibid. *Se cum Hominibus converſatum aïebat*,

bat, cum non eſſet homo, & paſſum, cum non eſſet paſſus. Quin etiam eò veſaniae delapſum, refert Tertullianus de Praeſcript. cap. 33., ut eatenus de Coelo ſe veniſſe jactaret, quatenus *Angelos, cum malè moderarentur Mundum, corriperet.*

IX. Epaphra itaque cum Curſoribus Coloſſenſis, & Laodicenae Eccleſiarum ad Paulum, eo tempore vinctum, Romam venit, ut nova haec diſperſa Simonianorum dogmata nunciaret. Hinc Apoſtolus, ſcribens ad Coloſſenſes c. 1. v. 6., illius fidem commendat, & Evangelicam doctrinam. *Sicut didiciſtis*, inquit, *ab Epaphra, cariſſimo conſervo noſtro, qui eſt fidelis pro vobis Miniſter Jeſu Chriſti, qui etiam manifeſtavit nobis dilectionem veſtram in ſpiritu.* Eundem pariter legatione functum Eccleſiarum Laodiciae, & Hierapoli, docent Apoſtoli verba cap. 4. v. 12. *Salutat vos Epaphra, qui ex vobis eſt, Servus Jeſu Chriſti, ſemper ſolicitus pro vobis in orationibus, ut ſitis perfecti, & pleni omni voluntate Dei. Teſtimonium enim illi perhibebo, quod habet multum laboris pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiciae, & qui Hierapoli.*

X. Concredito Evangelii munere ut defungeretur Apoſtolus, celebrem ad Coloſſenſes epiſtolam exaravit: Et quoniam Timotheus jam pridem Epheſinae Metropoleos Epiſcopus conſtitutus fuerat, cui proinde & Phrygia ſuberat, nobiliſſima Aſiae Mediterraneae portio, voluit, ut ſuo, Timotheique ſubinde nomine inſcriberetur. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Timotheus Frater.* Haud aliter Laodiciam Epheſino Metropolitae paruiſſe, claret ex Johannis Apocalypſi, ubi & illam inter ſeptem Principes Aſiae Urbes recenſet. Ut autem Magiſterium in epiſtola proponendum indicet Paulus, de dogmate, atque Evangelio praedicando ſcribit c. 1. v. 23. *Cujus factus ſum Ego Paulus Miniſter*: deque miniſterii forma, vi, & pondere proſequitur v. 28. *Corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu; In quo & laboro, certando ſecundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute.* Ε῎μφασις illa in triplici repetitione correptionis, doctrinae, & perfectionis omnium hominum coeleſti virtute inſtituendorum, non obſcurè demonſtrat, Paulum altiorem intelle-

ctum

Digitized by Google

ctum expoſtulaſſe, quam quem ſimplex epiſtolae ratio per ſe ipſa exigere videretur: publicae nimirum auctoritatis regulam propoſuiſſe, non ſolos Coloſſenſes, ſed ceteros etiam Chriſtianos homines reſpicientem. Qua de auctoritate ſcripſerat ad Philipp. c. 5. v. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*. Atque haec eſt nativa quaedam, & praecipua indoles Encyclicarum Literarum, quae Magiſterium Eccleſiaſticum faciunt. Hinc non gentis cujuſpiam Evangelicum ſe miniſtrum appellat, ſed univerſim totius Eccleſiae. Quod in eodem ad Coloſſ. capite perſpicere eſt, ubi quum de Evangelio dixiſſet: *Cujus factus ſum Ego Paulus Miniſter*: jam de myſtico Chriſti corpore v. 24. aït: *Pro Corpore ejus, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum Ego Miniſter ſecundum diſpenſationem Dei*.

XI. Ceteras ut deinde explicet Encyclicae partes, ad Magiſterii formam progreditur, quae in rectae fidei expoſitione à Populis ſuſcipienda verſatur. Namque cum ſe ſe Evangelii miniſtrum dixerit, & Divini Spiritus virtute operantem, dogmata proponit catholica, eaque Simonianis contraria. Et quoniam in numerato erat, ab homine Deo praeſtandam fuiſſe pro hominibus ſatisfactionem, de perſona Mediatoris diſſerit, qui utique Verbum Divinum fuit, naturam humanam aſſumens, & plenitudine Divinitatis ſibi copulans, atque uniens. Iccircò de illo aït c. 1. v. 15. *Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturae*: & v. 29. *Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Unionem hanc minimè apparentem, ſed veram, & corporalem aït c. 2. v. 9. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*. Alia paſſim non abſimilia profert, quibus refellat deliria Simonis, aïentis, Meſſiam *hominem cum hominibus converſatum, cum non eſſet homo*.

Hinc Chriſti Mediatoris officia explicans, colligit, mediationem non apparenti paſſione, ut ille commentus fuerat, ſed in vero corpore, ac in reali ſanguinis effuſione peractam, c. 1. v. 13. inquiens: *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filii dilectionis ſuae, in quo habemus redemtionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum*. Et v. 20. *Et per eum reconciliare om-*

Digitized by Google

nia in ipſum pacificans per ſanguinem Crucis ejus, ſive quae in terris, ſive quae in Coelis ſunt. Quibus perfectam juxta, atque univerſalem redemtionem exprimit, ejuſque veritatem propius urget v. 21. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos Sanctos, & immaculatos, & irreprehenſibiles coram ipſo*. Ac non ab Angelis, ſed ab ipſo, & per ipſum univerſa eſſe condita, atque in ipſo contineri, diſertè aſſeverat, excogitatamque à Simone Angelorum mediationem, & directionem convellit v. 16. *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Coelis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſeu Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates. Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt; & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant*.

XII. Ad alterum, quod inde conſequebatur, Simonis dogma de ſupremo Angelorum cultu procedit Paulus, ac primum erroris fontem, & impietatis in Platonica Philoſophia detegit, improbatque c. 2. v. 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa Mundi, & non ſecundum Chriſtum*. Tangit in his improbam philoſophandi rationem, qua Simon cultum Angelorum, quaſi eſſent Hominum mediatores, docebat. Ideoque v. 18. ſubjungit: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & Religione Angelorum, quae non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuae*. Chriſtum itaque ſolum eſſe Mediatorem, noſtramque omnem in eo ſpem figendam, commonſtrat, inquiens v. 10. *Qui eſt Caput omnis Principatus, & Poteſtatis ..... Convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod adverſus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci: & exſpolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo*. Ἐμφατικώτερα haec, & ſignificantiora Pauli verba, *triumphans illos*, ſupremam Mediatoris Chriſti vim, & ἐνέργειαν explicant, qua illos in triumphum duxit, pro ſuperexcellenti ſua in Angelos, ceteroſque ordines poteſtate. Quemadmodum II. Corinth. 2. dixit. *Deo gratias, qui ſemper triumphat vos in Chriſto Jeſu*. His ita conſtitutis, cui ſervitium deferendum ſit, indicat

Digitized by Google

cat Coloſſenſibus cap. 3. v. 24. *Scientes, quod à Domino accipietis retributionem haereditatis, Domino Chriſto ſervite*. Servitium hoc quidem illud eſt, quod ſoli Deo, ipſique Chriſto, ut Deo, non Angelis congruit, aut ſublimioribus creaturis, ſi quae forent, aliis. Namque, ut Tertullianus aït, *Simonianae magiae diſciplina, Angelis ſerviens, utique & ipſa inter Idololatrias deputabatur, & à Petro Apoſtolo in ipſo Simone damnabatur*.

XIII. Inſcriptio autem epiſtolae hujus non eſt leviter praetereunda, quae, ut ſupra monuimus, hujuſmodi eſt: *Paulus Apoſtolus J. C. per voluntatem Dei, & Timotheus Frater*. Plerique Interpretum hinc collegerunt, epiſtolam à Paulo in vinculis ſcriptam, praeſente Romae Timotheo. Atqui fatentur iidem, epiſtolas ad Timotheum ſecundam, & ad Epheſios, ſimulque hanc ad Coloſſenſes, & ad Philemonem alteram, eodem tempore, ac per eundem Dominicum curſorem Tychicum fuiſſe miſſas. Inconſultè id quidem, & parum accuratè dictum. Nam ſi Romae Timotheus fuit, quum Paulus epiſtolam ad Coloſſenſes ſcriberet, quî fieri potuit, ut ſimul cum iſta ſecundam ad eundem Timotheum epiſtolam Epheſum dirigeret? Aut quae demum ratio fuit, cur Paulus, cum in Cap. ult. ad Coloſſ. quotquot ſecum eſſent, diſtinctè memoret & Tychicum, & Oneſimum, & Ariſtarchum, & Marcum, & Jeſum Juſtum, & Epaphram, & Lucam Medicum, & Demas; ſolum Timotheum non appellarit, primum utique, ſi tum Romae fuiſſet, appellandum? Roma itaque longè aberat Timotheus; & ad eum nuper memoratae quatuor epiſtolae à Tychico delatae fuerunt. Ei vero, quae ad Coloſſenſes erat, inſcripſit ipſe proprium nomen, quod in altera quoque ad Philemonem fecit, quia ſcilicet erat Epheſinus totius Aſiae Primas, ad quem proinde ſpectabat, Apoſtolica ſcripta ſubjectis Urbibus, & Populis intimare, ſuoque nomine pariter communire, ut Coloſſenſes, Laodiceni, & Hierapolitani intelligerent, ſcriptum hocce in fidei regulam ſuſcipiendum eſſe, quod & Magnus Apoſtolus edidiſſet, & ſuus Epheſinus Metropolita vulgaret. Mos hic poſteriori aevo diligenter obſervatus eſt, cautumque, ut

Metropolitani Epiſcopi Encyclicas, quae fortè adventabant, ad ſuae Dioeceſeos Epiſcopos dirigerent, propria ſubſcriptione munitas. Itaque Timotheus, ut has omnes Pauli epiſtolas ſuſcepit, duabus illis, quae ad Coloſſenſes, & ad Philemonem erant, fortè ex Pauli mandato in Diaconica Tychici expreſſo, nomen addidit ſuum: Haud enim ambigendum, ſuam & Tychico peculiarem inſtructionem ab Apoſtolo traditam, cum de eo 2. ad Timoth. c. 4. v. 12. ſcribat. *Tychicum autem miſi Epheſum*, id eſt, ut in ſuperioribus annotatum, *mitto*, utique ad aliqua oretenus communicanda Timotheo, qui Apoſtolicum, atque Epiſcopale munus in Aſia obibat.

XIV. Equidem ſi ambae Pauli epiſtolae ad Epheſios, & ad Coloſſenſes, cum ſecunda ad Timotheum, atque altera ad Philemonem, accuratè conferantur, vix erit, qui ejuſdem argumenti veſtigia paſſim impreſſa non reperiat. Et ad Timotheum quidem recolit, Aſiae plurimos ab ipſo eſſe averſos, c. 1. v. 15. idque contigiſſe aït operâ priorum ſeductorum, juxta ac novorum, Phigelli, Hermogenis, Hymenaei, & Phileti, ibid. v. 15. Et cap. 2. v. 17. artes eorum, ſtrophas, & indolem aperit, qui ſcilicet profana, & vaniloqua effunderent, ſtultas, & ſine diſciplina quaeſtiones ignari miſcerent, Magorum Jannis, & Mambres ſectarentur praeſtigia. Quae ſanè omnia Simonianos, alioſque id genus ignaros Φιλοπλάτωνος recta petunt. Quorum gratia proponit deinde rectam de Chriſti redemtione fidem, & factioſiſſimis illis temporibus, atque locis duo imprimis monet facienda, alterum, ut dogmata, quae ab ipſo acceperat, firmiter, & illibatè retineat; alterum, ut Epiſcopale munus per impoſitionem manuum, ſeu per conſecrationem acceptum, in Chriſti virtute reſuſcitet, atque excitam à ſeductoribus tempeſtatem componere allaboret.

XV. Scripſit vero ad Philemonem hac, reor, de cauſſa, quod graſſante in Phrygia, & praeſertim Coloſſis Simonianorum lue, in ejus domo fidelium Eccleſia conveniebat, atque ipſe ſimul, & Archippus Preſbyteri ſacra ibi miniſtrabant. Certè eos Paulus, & Timotheus commilitones vocant, & adjutores. *Paulus*

vin-

vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus Frater: Philemoni dilecto, & adjutori noſtro ..... & Archippo Commilitoni noſtro, & Eccleſiae, quae in domo tua eſt. Pervaſerat itaque perſecutio Coloſſenſium Eccleſiam, cujus Epiſcopus Epaphras *Concaptivus meus in Chriſto Jeſu*, à Paulo dicitur v. 23. Quapropter eos monet, & hortatur Apoſtolus, ut in defenſione Fidei, & Fratrum conſolatione perſeverent. *Quia viſcera Sanctorum requieverunt per te:* ideſt, Philemonis zelo immunes ab univerſali Simoniaca lue fideles hactenus perdurant. Atque hinc moris origo deducta, ut Encyclicae epiſtolae etiam ad Eccleſiarum Doctores, & Preſbyteros dirigerentur ab Epiſcopis, ut adjutores haberent ad magiſterii vim ſuadendam Populis, eorum curae commiſſis. Sic Cyprianum feciſſe ad Doctores Carthaginenſes, Baſilium ad Doctores Neôcaeſarienſes, alioſque Epiſcopos, oſtendunt quae adhuc exſtant, illorum epiſtolae .. Et ne longius ab argumento noſtro evagemur, Archippum Evangelii miniſtrum fuiſſe Coloſſis, docent Pauli verba ad Coloſſ. 4. v. 17. *Et dicite Archippo: Vide miniſterium, quod accepiſti in Domino, ut illud impleas*. Promoveat nimirum, quae in Encyclica eſſent propoſita, & declarata dogmata reliquos ſatagat edocere.

XVI. Curſor Dominicus una cum Oneſimo fuit Tychicus; de quo ſcribit c. 4. v. 17. *Quae circa me ſunt, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſſimus Frater, & fidelis miniſter, & conſervus in Domino: quem miſi ad vos ad hoc ipſum, ut cognoſcat, quae circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum Oneſimo chariſſimo, & fideli Fratre, qui ex vobis. Omnia, quae hîc aguntur, nota facient vobis*. Quae oppidò illuſtria ſunt ad teſtandam mutuam Eccleſiarum ſolicitudinem unitatis, quae praecipuus erat hujuſcemodi epiſtolarum ſcopus. Spondet enim à Tychico, atque Oneſimo Romanae totius Eccleſiae conditionem, fidem, & profeſſionem Aſianis aperiendam: Quod quidem munus non vulgarem in rebus experientiam, ſolertiamque Curſorum oſtendit. Tychico Dominico curſore ſaepius eſt uſus Apoſtolus, cujus nimirum operâ epiſtolas ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Timotheum ſecundam, ad Titum, ad Philemonem direxit. Quandoque

doque etiam Artema uſus eſt, de quo ad Titum c. 3. v. 12. ſcribit. *Cum miſero ad te Artema, aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim*.

XVII. Labe itaque Simoniana Coloſſenſium, Laodicenſium, & Hierapolitanorum Urbes, & Populos inficiente, unam eandemque epiſtolam direxit Paulus, ſed iis ex aequo omnibus intimandam. De Epaphra enim in hunc modum loquitur c. 4. v. 12. *Salutat vos Epaphra, qui ex vobis eſt, ſervus J. C., ſemper ſolicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti, & pleni omni voluntate Dei. Teſtimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiciae, & qui Hierapoli*. Non igitur à ſolis Coloſſenſibus, ſed in aliis quoque Urbibus epiſtola erat lectitanda. Quod & apertè praeſcribit ibid. n. 16. *Et cum lecta fuerit apud vos epiſtola haec, facite, ut & in Laodicenſium Eccleſia legatur, & eam, quae Laodicenſium eſt, vos legatis*. Non agit hic quidem Apoſtolus de epiſtola aliqua, quam, ut nonnullis viſum eſt, ad Laodicenſes ſcripſerit, ſed de epiſtola Laodicenſium reſponſiva ad Coloſſenſes loquitur, qua illi teſtatum facerent, ſe recepiſſe Pauli epiſtolam, propoſitacque in ea doctrinae adhaeſuros. Quippe haec in Encyclicis erat conſuetudo, ut quae mittebat Eccleſia, praeſtolaretur à reliquis conſenſionis, & profeſſionis teſtimonium in peculiaribus epiſtolis exaratum, ex quibus ſubinde Tomus Encyclicus conflabatur, ubi una Eccleſiarum doctrina, & profeſſio eluceſceret. Ratio autem, cur epiſtola à Paulo, & Timotheo Coloſſenſibus inſcripta fuerit, vel ea eſt, quod ii prae aliis in fide periclitarentur, vel quod illius tractus praecipua Civitas tunc Coloſſis eſſet, de qua pridem ſcripſerat Xenophon lib. 1. Expedit. Cyri. *Sardibus movit: inde per Lydiam caſtris tribus, paraſangis XXII. venit ad Maeandrum Fluvium: Hoc amne trajecto, per Phrygiam Caſtris unis, paraſangis XIII., venit Coloſſeas, Urbem celebrem, magnam, & opulentam*. Haec de ea epiſtola ſatis. Colligere interim ex iis poteris, quam verè, meritoque Irenaeus vocarit Epheſinam Eccleſiam, teſtem locupletiſſimam Apoſtolicae Traditionis, cum & Praeſulum labore, & Apoſtolicis plurimis ſcriptis diligenter, religio-

ligioſeque ſervatis, dijudicare certò poſſet, quid eſſet ab Apoſtolis traditum, quid ab improbis hominibus interpolatum, atque mentitum.

XVIII. Pro coronide autem exercitationis hujus in epiſtolas Pauli, lubet paucis diſquirere, qui demum eſſet praecipuus character, Encyclicis ſuis à Paulo adjectus. Atque, niſi fallor, *Forma* eſt illa, qua paſſim publica Encyclica ſcripta, ad fidem aliis faciendam evulgata, indigetat. Sed, ne eam poteſtatem Pauli verbis ſubjiciamus, de qua ille nunquam cogitarit, & ex iis conſectaria deinde ducamus, quae illi ignota prorſus fuerint, atque ut iſthaec in immenſum augeri ratiocinando poſſunt, ita germanam rei originem nequaquam teneamus, diſputatio omnis ad ipſius Pauli ſententias eſt exigenda. Et quidem ad Romanos cap. 2. de Judaeo, qui ſuperbiuſculè propter Moſaïcam legem gloriabatur, ſcribit v. 20. *Eruditorem inſipientium, Magiſtrum infantium, habentem FORMAM ſcientiae, & veritatis in lege*. Quo loco Scripturam dubio procul intelligit, quod regula ſit, certuſque Typus. Eadem utitur expreſſione, dum Romanos, qui Chriſto nomen dederant, alloquitur c. 6. v. 17. *Gratia autem Deo, quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam FORMAM doctrinae, in quam traditi eſtis*. Philippenſibus pariter, quos ſingulariter erudiverat quum Aſianam Dioeceſim per tres annos regeret, eandem regulam ſequendam proponit c. 3. v. 17. *Imitatores mei eſtote, Fratres, & obſervate eos, qui ita non ambulant, ſicut habetis Formam noſtram*. Dilucidius etiam epiſt. 2. ad Timoth. c. 1. v. 13. de ea fidei norma oretenus illi tradita ſcribit. *Formam habes ſanorum verborum, quae à me audiſti in fide*. Haec verò quaecumque erant, Timotheum literis mandaſſe, atque aliis Doctoribus Preſbyteris, qui ceteris erudiendis pares, & idonei forent, tradidiſſe, dubitare non ſinunt verba, quae mox ſequuntur. *Bonum Depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum*. De eo autem ſcripſerat in epiſt. 1. c. 6. v. 20. *O Timothee, Depoſitum cuſtodi*. Hinc eſt Graecanica illa phraſis *τύπον διδόναι* *Formam dare*, qua in ſubditos praeſertim qualiacumque Dominorum juſſa exprimerent. Hinc etiam publica ſcripta fi-

Digitized by Google

dem facientia, quod ſigillis eſſent obſignata, τυπώματα dicebantur: quemadmodum ea vocat Appianus in Annibalicis pag. 589.

Haec loquendi ratio apud Patres deinceps ſervata eſt. Cyprianus in controverſia Lapſorum, cujus finiendae gratià plures Encyclicae editae ſunt, has ſaepe *Formam* appellat. Sic quum Carthaginenſis Clerus decretum ea de re poſtularet, quòd Lapſi Martyrum literis freti, cauſſam ſuam tuerentur, & communionem obtinerent, per Africam evulgatum decretum eſt, idque epiſt. 14. *Forma* vocatur. *Quoniam tamen ſignificaſtis, quoſdam immoderatos eſſe, & communicationem accipiendam feſtinanter urgere, & deſideraſtis in hac re Formam à me vobis dari*. Confeſſores pariter, quum per epiſtolam pacem Lapſis dediſſent, atque hocce decretum Epiſcopis denunciarent, ſcripſere, apud eundem Cyprianum epiſt. 17. *Scias, nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem: & hanc Formam per te & aliis Epiſcopis innoteſcere volumus*. Scriptum hìc publicum intelligi, docet idem Cyprianus, qui epiſt. 23. de Luciano agens, aït; *Scripſit enim omnium nomine, univerſis eos pacem dediſſe, & hanc Formam per me aliis Epiſcopis innoteſcere velle*. Temperamus ab aliis ejus rei documentis expendendis, quorum pleraque jam Diſſert. I. annotavimus, ſatiſque ducimus, vim phraſeos à Paulo adhibitae pervidiſſe, unde ad Eccleſiaſticos Scriptores manavit.

§. V.

§. V.

De Encyclica S. Johannis ad omnes Eccleſias conſcripta.

S Y N O P S I S.

II. S. Johannes adverſus Haereſes Ebionis, & Cerinthi elucubravit Evangelium. II. *Ejuſdem Epiſtola prima de eodem argumento fuit Encyclica.* III. *In ea divinam Chriſti naturam adſtruit.* IV. *Probat & univerſalem ejus mediationem.* V. *Conſenſus Epiſtolae, & Evangelii Johannis ex Dionyſio Alexandrino expenſus.*

I. Ebionis improbi Haereſiarchae dogmata, quae, ad occaſum vergente Sec. I. Chriſtiano, inter Judaïzantes, atque univerſim in Aſia diſperſa ſunt, locum S. Johanni praebuere, ut Evangelium conſcriberet, praeſertim ad Aſianorum Epiſcoporum preces, in quorum Paroeciis Ebionitica lues ſerpebat; utque ad omnes fideles Encyclicam ejuſdem argumenti epiſtolam conderet. Enimvero Evangelium hocce à Johanne conſcriptum, ut Ebionitarum, & Cerinthianorum errores profligaret, alibi nobis ex Sancto Hieronymo annotatum. Haec etiam ferè eſt communis Interpretum opinio: cui inhaerens Marius Mercator in Appendice ad contradictionem duodecimi Anathematiſmi Neſtoriani, aït, Johannem ipſo Evangelii ſui exordio Ebionem impugnaſſe; tum agens de Paulo Samoſateno, ſubjungit: *Totum impietatis Pauli malum ab Ebione magis Stoico Philoſopho tractum eſt: Hic tempore adhuc Johannis Apoſtoli juxta Aſiam exſtitit, & Chriſtum hominem communem ex Joſeph, & Maria natum, & cum vitae merito omne hominum genus praeciviſſe, proque hoc in Dei Filium adoptatum, auſus eſt praedicare, aſſerens ſe Matthaei, Marci, & Lucae Evangeliſtarum authoritatem ſecutum.* Iccircò cum reipſa priores illi Evangeliſtae ea de Chriſto fere enarraſſent, quae verum eſſe hominem ex Davidica ſtirpe prognatum, unde verum Meſſiam prodi-

Digitized by Google

proditurum, ex vaticiniis Prophetarum conſtabat, adverſus Judaeos, & Simonianos commonſtrabant, Johannes, ut eundem pariter verum eſſe Deum oſtenderet, ſcriptioni Evangelicae manum admovit. Quod in ipſam Divini Spiritus voluntatem rejicit Euſebius H. E. lib. 3. cap. 24. *Ab ipſa vero ejus Divinitate ſumſit initium; quippe quae à Spiritu Sancto ipſi tanquam praeſtantiori fuiſſet reſervata*. Et Clemens in libris ὑποτυπώσεων apud Euſebium lib. 6. cap. 14. aït: *Johannes omnium poſtremus, quum videret in aliorum Evangeliis ea, quae ad Corpus Chriſti pertinent, tradita eſſe, ipſe Divino Spiritu afflatus, ſpiritale Evangelium familiarium ſuorum rogatu conſcripſit*. Hinc Apoſtolus, quid ſibi conſcribendum conſtituiſſet, Epiſcopis iiſdem aperit, ut ſcilicet crederent omnes, Chriſtum eſſe verum Deum, hujuſque fidei neceſſitatem adſtrueret. Quod ſcribit cap. 20. v. 31. *Haec autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei; & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus*. Atque huc reſpexit Hilarius de Trinitate lib. 6. n. 41. *Scribens itaque Evangeliſta, ſcribendi debuit afferre rationem: & videamus quam oſtenderit, dicens: Haec autem ſcripta ſunt, ut credatis, quoniam Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei. Scribendi itaque Evangelii non aliam praetulit cauſſam, quam ut omnes crederent, Jeſum eſſe Chriſtum Filium Dei. Si ſufficit ad ſalutem, Chriſtum credere, cur adjecit Filium Dei? Si vero Chriſtum credere ea demum fides eſt, non Chriſtum tantummodo, ſed Chriſtum Filium Dei credidiſſe, non eſt nomen Filii in Chriſto Unigenito Deo ex adoptionis conſuetudine, quod proprium eſt ad ſalutem*. Et Fauſtinus Diac. lib. ad Flac. cap. 2. *Si verè adoptione eſſet Filius Dei, & non natura . . . . nuſquam magis hoc explanaſſet* (Johannes) *quam in ultimo ſcriptionis, ne fides in ambiguo derelicta, vitam perderet per ambiguitatis incertum*.

II. Johannes itaque quum Epiſcopos, ceteroſque Hierarchici Ordinis homines Evangelio ſuo erudiviſſet, didaſcalicam ejuſdem argumenti Encyclicam epiſtolam ad omnes ubique fideles ſcripſit, earum, quae in Sacro Canone exſtant, priorem. Tametſi enim viſum aliquibus ſit, epiſtolam hanc directam fuiſſe ad Parthos, ſeu potius ad Judaeos, qui inter illos diſperſi erant

non

Digitized by Google

non exiguo numero, praeſertim in Babyloniae locis, ubi jam à temporibus Hyrcani Pontificis, qui, florente Parthorum dominatione, juxta ac Romanorum, apud illos captivus abactus fuerat, innumeri ex Judaeis inſederunt: certò nihilominus conjicere poſſumus, eandem epiſtolam ad omnes Chriſtiani Orbis Eccleſias, & ad ſingulos cujuſvis ordinis, ac conditionis fideles, fuiſſe directam, ſi totius ſcriptionis contextum, conſtructionemque paulliſper attendamus. Ea ſcilicet, cum nulli particulari aut homini, aut Civitati, aut Regioni, Eccleſiaeque inſcribatur, ſed univerſis, qui Chriſtiana profeſſione cenſebantur, fidelibus, quorum ipſe ſolus rector, & Apoſtolus jam ſupererat, non immeritò videtur epiſtola denunciativa errorum Ebionis, qui novum cum aſſeclis coetum inſtituerat, & novitia dogmata, imprimis de Chriſto puro nudoque homine, deque inefficacia ejuſdem in officio Mediatoris, ut cetera praetermittamus Chriſtianae doctrinae diſſona & contraria, inter populos diſſeminaverat. Notum eſt ineptum illud Ebionis deliramentum de Chriſto, qui dumtaxat propter carnales Judaeos in Mundum veniſſet. De quo praeclarè ſcripſit in Philocal. cap. 1. Origenes: *Servator praedicat: non ſum miſſus, niſi ad oves, quae perierant, Domus Iſraël. Non haec accipimus, ut mentis inopes Ebionaei, qui ab inopia conſilii nomen ſuum ducunt. Ebion enim pauper Hebraicis appellatur; ut exiſtimemus, corporeorum Iſraëlitarum cauſſa potiſſimum Chriſtum adveniſſe*. Quod Adamantius lib. 4. Περὶ ἀρχῶν non ſemel, nec obſcurè repetit.

III. Iccirco Johannes telam orditur ab inſtituenda rectae fidei profeſſione, quam quotquot in Chriſtianorum ſocietate cenſeri vellent, ſuſcipere oporteret, atque adeò juxta illam confiteri, Chriſtum eſſe Verbum Vitae, atque ipſam aeternam Vitam, & verum Deum, cap. 1. v. 1. *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtrae contrectaverunt de Verbo Vitae: & Vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis Vitam aeternam, quae erat apud Patrem: & apparuit nobis. Quod vidimus, & audivimus, annunciamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas*

no-

Digitized by Google

noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto. Haec nimirum fuit deinceps vis, hic uſus Encyclicarum literarum, ut per ſollennem hujuſcemodi Eccleſiae declarationem unius fidei, & profeſſionis virtus, unde Chriſtiana emergit ſocietas, ubique proponeretur. Neceſſitatem porrò hujus fidei, qua Chriſtus verus Deus creditur, ita urget Apoſtolus, ut eum, qui id neget, Patrem quoque abnegare, aſſeveret cap. 2. v. 22. *Quis eſt mendax, niſi is, qui negat, quoniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium. Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet: Qui confitetur Filium, & Patrem habet*. Et rurſus v. 25. de eodem dogmate ſubjungit: *Et haec eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam aeternam*. Eademque rectae fidei explicatione concludit epiſtolam, c. 5. v. 20. *Et ſcimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & Vita aeterna.*

IV. Quum ipſo, ut dictum eſt, epiſtolae initio divinam Chriſti ὑπόςασιν, & οὐσίαν adſtruxit Apoſtolus, deſcendit mox ad univerſalem ejuſdem mediationem, de qua c. 2. v. 1. ſcribit: *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*. Et cap. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera Diaboli*. Rurſus c. 14. v. 9. *Filium ſuum Unigenitum miſit Dominus in Mundum, ut vivamus per eum*. Et v. 14. *Teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum Salvatorem Mundi*.

V. Hunc inter Johannis Evangelium, & priorem epiſtolam mirabilem concentum adverterat Dionyſius Alexandrinus in libb. adv. Nepotem, quorum longiuſculum fragmentum debemus Euſebio H. E. lib. 7. c. 25. Agens autem ibi Dionyſius de Johanne Evangeliſta, haec habet ad rem noſtram, pag. m. 275. *Evangelium, & epiſtola ſibi mutuò conſonant, & eodem ordiuntur modo. Sic enim incipit Evangelium: In principio erat Verbum. Epiſtola verò: Quod fuit ab initio. In illo dicitur: Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre. Haec verò eadem habet, paulliſper tantum immutata:*

Quod

Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtrae contrectaverunt de Verbo Vitae: & Vita manifeſtata eſt. Haec enim ille veluti modulationis praeludia praemittit adverſus eos, qui Chriſtum in carne adveniſſe, negabant, ut in ſequentibus oſtendit. Quamobrem de induſtria ſubjunxit: Et quod vidimus, teſtamur, & annunciamus vobis Vitam aeternam, quae erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus, & audivimus, annunciamus vobis. Adeò totus ex ſeipſo pendet, & à propoſitionibus ſuis ne latum quidem unguem diſcedit: ſed iiſdem penè capitibus, ac verbis cuncta proſequitur ..... Qui verò attentè perlegerit, in utroque ſaepiùs Vitam, lucem, fugam tenebrarum, frequenter veritatem, gratiam, gaudium, carnem, & ſanguinem Domini, judicium, peccatorum remiſſionem; Dei erga nos dilectionem, mutuae inter nos dilectionis praeceptum; & univerſa praecepta ſervanda eſſe reperiet. Ad haec condemnationis elogium adverſus Mundum, Diabolum, & Antichriſtum; promiſſio Sancti Spiritus, adoptio Filiorum Dei: fides in omnibus à nobis praeſtanda: Pater, & Filius ubique nominati, in utroque paſſim occurrunt. Denique in omnibus, ſi rectè examinaveris, unus, idemque utriuſque ſcriptionis genius, Evangelii nimirum, & Epiſtolae, evidenter apparet. Oppidò praeclara eſt omnis haec Dionyſii de Evangelio & Epiſtola 1. Johannis, diſputatio, qua nimirum eluceſcit, quemadmodum non ad unam, alteramve Eccleſiam, ſed ad omnes, qui Chriſtiano nomine cenſerentur fideles, Evangelium ab Apoſtolo conſcriptum eſt, ut ſinguli profana de Salvatoris origine, natura, & officiis Ebionitica dogmata praecaverent, & quid de rebus iiſdem ſentiendum eſſet, nitidè, certòque noſſent; ut pariter in epiſtola illa moneri ſingulos, atque inſtrui de Chriſti Jeſu divina οὐσία, & ὑποστάσει, deque ampliſſimo Mediatoris munere, & bonis innumeris, quae ad nos inde profluxerant. Quamobrem nihil eſt ambigendum, & epiſtolam hanc Encyclicae formam praeſetuliſſe, qua Ebionis haereſis damnaretur, rectaque de Chriſto fides apud omnes conſtaret; & exemplar Apoſtolicis Patribus, poſteriorumque temporum Praeſulibus fuiſſe, ad cujus ductum non abſimili ſcriptionum genere naſcentes haereſes profligarent.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

DE ENCYCLICIS PATRUM APOSTOLICORUM.

TEmporum longinquitas, atque Ethnicarum perſecutionum improbitas conſuetudinis hujus mutuarum, & Encyclicarum literarum, Apoſtolico aevo obtinentis, monumenta nobis inviderunt. Quamobrem ſupereſt, ut ex laciniis hinc, & inde collectis, ejuſdem documenta proferamus, quae morem ab Apoſtolis inductum, praetermiſſum deinde à Patribus haud fuiſſe, convincant. Quod expenſis Ignatii, Polycarpi, Clementis, aliorumque ſanctiſſimorum virorum ſcriptis, fortaſſe erit exploratum.

§. I.

De Epiſtolis Sancti Ignatii Epiſcopi Antiocheni. Et S. Polycarpi Smyrnenſis.

SYNOPSIS.

I. *Ignatii Literae recenſentur.* II. *Quae illarum ſincerae ſint, & genuinae.* III. *Argumentum Epiſtolae ad Epheſios expenditur.* IV. *Eadem ad alias Eccleſias tranſmiſſa eſt, & à Patribus laudata.* V. *Magneſiani Curſores, & legatos ad Ignatium mittunt.* VI. *Expenditur Ignatii Epiſtola ad Magneſianos, ceteraſque Eccleſias.* VII. *Itidem altera ad Smyrnaeos, atque ad Polycarpum altera.* VIII. *Eaedem Epiſtolae communem Eccleſiarum inſtructionem reſpiciebant.* IX. *Polycarpi Epiſtolae ad publicam authoritatem adhibitae.*

I. SAnctus Ignatius, Evodii in Epiſcopatu Antiocheno ſucceſſor, paſſuſque martyrium anno Chr. 116., Trajani 19., quod

Digitized by Google

quod à Guil. Loydio in peculiari Diatribe, atque à Pearſonio in Diſſertatione de anno, quo S. Ignatius à Trajano Antiochiae ad beſtias fuit condemnatus, edita cum ejuſdem notis ad epiſtolam Ignat. Oxonii 1709. in 4., demonſtratum eſt, plurimas ſcripſit literas, quae ſuo merito audiunt copioſa Apoſtolicarum Traditionum apotheca, & promtuarium. Eae autem hoc loco conſiderandae ſunt, quas ex ſcopo intelligere poterimus ad inſtar Encyclicarum diverſis Eccleſiis fuiſſe inſcriptas. De eo audiendus Euſebius H. lib. 3. cap. 36. *Cum Aſiam ſub accuratiſſima ſatellitum cuſtodia ductaretur, ſingularum nihilominus Civitatum, quas ingrederetur, Eccleſias ſermonibus, & cohortationibus ſuis confirmans, monebat imprimis, ut ſibi à pravis haereticorum opinionibus caverent, quae tunc primum in lucem emergere cum coepiſſent, copioſius pullulabant. Hortatuſque eſt, ut Apoſtolorum traditionibus tenaciter inhaererent: quas quidem ad certiorem poſteritatis notitiam ſcriptis mandare neceſſarium duxit. Itaque quum Smyrnam veniſſet, in qua tunc erat Polycarpus, unam quidem epiſtolam ſcripſit ad Eccleſiam Epheſiorum, in qua Oneſimi ipſorum Paſtoris mentionem facit. Alteram quoque dedit ad Eccleſiam Magneſiae Civitatis, quae ad Maeandrum ſita eſt, in qua etiam Damam Epiſcopum nominat: Aliam item ad Eccleſiam Trallianorum, cujus Antiſtitem tunc fuiſſe memorat Polybium.* Et reliquas ad hunc modum deinceps recenſere proſequitur.

II. Ex epiſtolis XV., quae ſub Ignatii nomine circumferuntur, & de quibus acri contentione eruditi olim viri diſputarunt, ſeptem ſunt, quae ex veteribus probae notae Codd. erutae, communi ferè conſenſu genuinae, & ſincerae judicantur. Sunt autem I. ad Epheſios, II. ad Magneſios, III. ad Trallenſes, IV. ad Romanos, V. ad Philadelphienſes, VI. ad Smyrnaeos, VII. ad Polycarpum. Has una cum reliquis latinè primus edidit Jac. Faber. Stapulenſis ann. 1498., & anno demum 1550. Graecè etiam edidit Paceus. Evulgarunt deinde Graeco-Latinas Morellius, Brunnerus, Vairlenius Sylvius, Grynaeus, Dorſcheus, Martialis Maeſtraeus, Vedelius aliique, ſed magnoperè interpolatas. Donec beneficio antiquae verſionis latinae in duobus Anglicanarum Bibliothecarum codicibus repertae, necnon Graeci

ci Codicis in Bibliotheca Medicaea Florentiae aſſervati, ſinceriores Ignatii editiones opera Jacobi Uſſerii, tum Iſaaci Voſſii Oxonii, & Amſtelaedami lucem aſpexerunt, una cum eruditiſſimis vindiciis. Quod etiam Cl. Cotelerius ſubinde fecit, ut Hammondum, Pearſonium, Ittigium, alioſque id genus homines praetermittamus, qui Blondelli, & Dallaei cavillationibus ſatis ſolidè, atque eruditè occurrerunt. Argumenta in utramque partem producta diligenter collegit Novrry in Apparatu ad Bibliothecam Maximam Patrum. Cum itaque laudatae ſeptem Ignatianae epiſtolae apud paullò eruditiores extra omnem controverſiam hodie ſint poſitae, nihil eſt, quod quae ſunt in iis Encyclicarum veſtigia inquirere vetet, & in rem noſtram accuratè deducere.

III. In ea verò, quam primo loco poſuimus, ad Epheſios epiſtola elucet praeſertim mirabilis Eccleſiarum compaginatio, & Epheſinae prae aliis caritas, quae ad S. Martyrem Smyrnae detentum, direxerat Oneſimum Epheſinum Epiſcopum, una cum Burrho Diacono, aliiſque Clericis. De ampliſſima iſtiuſmodi legatione ipſo ferè epiſtolae initio ſcribit Ignatius: *Quandoquidem numeroſam multitudinem veſtram in nomine Dei ſuſcepi in Oneſimo, inenarrabilis caritatis viro, veſtro autem in carne Epiſcopo*. Latè deinde excurrit in ſuadenda unitate Hierarchici Ordinis, cum Epiſcopi, Preſbyterorum, & Diaconorum inter ſe, tum fidelium cum illis: *Unde decet* (concludit num. IV.) *vos in Epiſcopi ſententiam concurrere, quod & facitis. Nam memorabile veſtrum Presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum eſt Epiſcopo, ut Cordae Citharae &c.* Enarrat pariter, quae utilitas in Eccleſias dimanet ex ea Epiſcoporum praeſidentia, & famulatu obſequioque fidelium: Laudat eorum rectam de Chriſto fidem, & adverſus haereticos homines conſtantiam, fuſaſque etiam pro eorum reſipiſcentia preces, & cetera non praetermiſſa pietatis exercitamenta. Quamobrem monet, ut cujuſmodi fuerant, perſeverent, illuſtrati, confirmatique nativitate, & lumine Salvatoris Chriſti Jeſu, de quo pergit num. XIX. *Et Principem hujus Mundi latuit Mariae Virginitas, & partus ipſius, ſimiliter & mors*

Domi-

Digitized by Google

Domini. Quae deinde myſteria manifeſtata ſeculo, aït, novo Stellae ſplendore. Tandem num. XX. aliam ad eos epiſtolam, ſi Deo placuerit, ſe conſcripturum ſpondet. *Si me dignatus fuerit Jeſus Chriſtus per orationem veſtram, & voluntas ſit, in ſecundo libello, quem ſcripturus ſum vobis, declarabo vobis, quam incoeperam diſpenſationem in novum hominem Jeſum Chriſtum, in fide ipſius, & in ipſius dilectione, in paſſione ipſius, & reſurrectione, maximè ſi Dominus mihi revelaverit*. Eo videlicet ſecundo Prophetiae gradu, de quo alibi inſtituta à nobis diſputatio eſt.

IV. Haec epiſtola, licet ad Epheſios, atque ad Eccleſias Aſiae tantummodò inſcripta, ita tamen comparata eſt, ut fidelium ubique omnium inſtitutioni proponeretur, & ad Eccleſias reliquas miſſitaretur, in quarum Archivis aſſervatam fuiſſe, certò novimus: unde & deinceps teſtimonia authoritatis faciendae gratiâ à Patribus deſumta ſunt. Curante ſiquidem Polycarpo, Ignatianae epiſtolae ſimul collectae ad reliquas Eccleſias omnes fuere tranſmiſſae, ut ex Sylloge Polycarpiana epiſtolarum Ignatii, an. 1644. ab Uſſerio edita, exploratum eſt. Alexandriae equidem hanc ad Epheſios epiſtolam legit Origenes, qui homil. 6. in Lucam ſcripſit. *Unde eleganter in cujuſdam Martyris epiſtola ſcriptum reperi: Ignatium dico Epiſcopum Antiochiae poſt Petrum ſecundum, qui in perſecutione Romae pugnavit ad beſtias: Principem ſeculi hujus latuit Virginitas Mariae; latuit propter Joſeph; latuit propter nuptias; latuit, quia virum habere putabatur*. Eandem quoque Neocaeſareae legit Baſilius M., qui homil. de Nat. Dom. ex laudato teſtimonio in hunc modum diſſerebat. *Eſt & alia ratio, quam Veterum quidam uſurpavit; quod & Principem hujus ſeculi lateret Mariae Virginitas, excogitata eſt Joſephi diſpenſatio. Nam velut haeſitandi ratio improbo illi eſt objecta, diſpenſationis ſpecies in Virgine, cum ille quidem jampridem Virgines obſervaret, ex quo dicentem Prophetam audierat: Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium. Deceptus eſt igitur per diſpenſationem Virginitatis inſidiator*. Hinc ut hujus, ſic ceterarum Encyclicarum aeſtimium, vis, & praeſtantia, quod ſequioris aevi Patres teſtimonia ad fidem faciendam ex illis caperent. Quemadmodum verò ex Pauli, & Johannis Encyclicis vi-

dimus, praecipuae hoc tempore haereſes, ex Simoniana labe venientes, eò collineabant, ut divinam naturam, Principatum, & Mediatoris officium Chriſto abjudicarent. Ita Sanctiſſimus Martyr Epheſios, ceteroſque fideles ſolicitè de iis commonet, ſcribens num. VII. *Solent enim nonnulli malo dolo nomen quidem circumferre: ſed patrant quaedam indigna Deo: quos oportet vos ut feras evitare. Sunt enim canes rabidi, clam mordentes: quos à vobis vitari oportet, ut morbo difficulter curabili laborantes. Medicus autem unus eſt, & carnalis, & ſpiritualis, factus, & non factus, in homine exiſtens Deus, in morte Vita vera, & ex Maria, & ex Deo, primùm paſſibilis, & nunc impaſſibilis. Nequis igitur vos ſeducat &c.* Redemptionis pariter, & plenae ſatisfactionis veritatem luculenter explicat, quum num. XIX. concludit: *Quare ſoluta eſt omnis Magìa, & omne vinculum malitiae eſt abolitum, ignorantia deſtructa eſt, vetus regnum eſt labefactatum, Deo humanitus manifeſtato in novitatem vitae aeternae. Principatum verò accepit id, quod à Deo omnibus ſuis partibus abſolutum erat. Inde omnia commovebantur, quod meditaretur mortis abolitionem.*

V. Clariora ſunt ejuſdem argumenti, & moris veſtigia in epiſtola ad Eccleſiam Magneſiae. Poſt Coloſſis Urbem, quae ad confluentem Lyci, & Maeandri ſita erat, ſequebatur Epheſo propinquior, & ad ripam quidem fluminis Magneſia, Coloſſas inter & Epheſum. Ea itaque Eccleſia ut novit, Ignatium Smyrnae vinctum commorari, illuc direxit Damam Epiſcopum proprium, Preſbyteros duos, Baſſum, & Apollonium, cum Sotione Diacono. Namque moribus receptum jam erat, ut Epiſcopis comites adjungerentur, quùm ſollennis Eccleſiaſtica legatio ad Eccleſias alias erat inſtituenda. Quapropter Ignatius ipſe in altera ad Philadelphienſes epiſtola, commendans eis Antiochenam Eccleſiam, hortatur, ut ad illam Diaconum dirigant, praeſertim exemplo ceterarum Aſiae Eccleſiarum, quarum aliae Epiſcopum, aliae Preſbyteros, & Diaconos miſerant; additque num. X. *Volentibus autem vobis non eſt impoſſibile pro nomine Dei: ut & quaedam proximae Eccleſiae miſerunt Epiſcopos, nonnullae verò Presbyteros, & Diaconos.* Tales, opinor, erant Fortunatus, & Achaïcus,

Digitized by Google

cus, de quibus I. Corinth. 16. v. 15. ſcribit Apoſtolus: *Quoniam ſunt primitiae Achaiae, & in miniſterium ſanctorum ordinaverunt ſe ipſos*. Haud aliter Apoſtoli, quùm ad Eccleſias communis Encyclica dirigenda fuit, quatuor delegère, Paulum, Barnabam, Sylam, & Judam. Imo & poſterioris aevi Epiſcopos habuiſſe comites Preſbyteros, Diaconoſque, acta eorum paſſim teſtantur, de quibus nonnulla inferiùs annotabimus.

VI. Magneſianos itaque, velut cum Hierapolitanis, Laodicenis, Coloſſenſibus fecerat Apoſtolus, pluribus in hac epiſtola Ignatius commonet, ipſos ſcil. ceteroſque fideles omnes Moſis lege ſolutos eſſe, atque una Chriſti lege teneri, quem verè mortuum, atque à mortuis ſuſcitatum demonſtrat. Sanè praeſupponit, illos in hocce dogmate ſatis eruditos, doctrinâ imprimis epiſtolae S. Pauli ad Coloſſenſes, quam & in pretio haberent, & accuratè, religiosèque conſectarentur. Inde eſt, quod epiſtolam ſuam conſperſerit paſſim Ignatius locutionibus, & phraſibus, à S. Paulo in hanc rem adhibitis, ut pronum ſit judicare, idipſum refricare voluiſſe Ignatium, quod pridem ad Coloſſenſes Paulus propoſuerat. Sat erit advertiſſe quae habet num. 4. *Ne ſeducamini alienis doctrinis, neque veteribus fabulis, quae ſunt inutiles. Si namque adhuc juxta legem Judaïcam vixerimus, confitemur, nos gratiam non accepiſſe:* cum reliquis, quae ad eundem ſcopum ediſſerit S. Martyr: concluditque num. 10. *Abſurdum eſt, Chriſtum Jeſum profiteri, & Judaïzare*. Denique tam in hac, quam in antecedenti epiſtola ſolicitè efflagitat, ut ipſos inter, & Antiochenam Eccleſiam, ac reliquas perpetua ſint fidei, & caritatis commercia: *Ut Eccleſia, quae in Syria eſt, mereatur per Eccleſiam veſtram irrorari. Salutant vos Epheſii de Smyrna .... & ceterae Eccleſiae in honore Jeſu Chriſti ſalutant vos*. Eadem ferè repetit in epiſtola ad Trallianos, quos & ſuo, & Smyrnenſis, Epheſinae, aliarumque Eccleſiarum nomine ſalutat, atque ad mutuam inter ſe pacem, & in Epiſcopos, Preſbyteroſque ſuos obſervantiam, adhortatur.

VII. Atque haec ſpeciminis loco eſſe poſſunt ad judicandum, quae ſit Ignatianarum epiſtolarum forma, & quamobrem fuerint

rint ab illo exaratae. Similia obſervare pronum eſſet in epiſtola ad Smyrnaeos, in qua Symbolum fidei adverſus Simonianos, Cerinthianoſque proponit, qui opinione tantum, ſeu apparentia natum, & paſſum eſſe Chriſtum, docuerant. Inſuper num. 6. *Nemo erret*, inquit, *& ſuper coeleſtia, & gloria Angelorum, & Principes viſibiles, ac inviſibiles, ſi non credant in ſanguinem Chriſti, etiam illis judicium eſt*. Hos, aït, ab omni caritatis opere vacare, necnon ab Euchariſtia, & oratione: *Eo quod non confiteantur, Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, quae pro peccatis noſtris paſſa eſt &c.* Epiſcopis ſuadet obtemperare, eiſque gratias agit, quod orationibus juviſſent Antiochenam Eccleſiam, & ad hanc legatum mitti poſtulat. *Digna igitur mihi res eſt viſa* (inquit num. 11.) *ut aliquem veſtrum mittatis cum epiſtola, qui una cum illis glorificet Deum &c.* Et num. 12. *Salutat vos caritas Fratrum, qui ſunt in Troade: unde & ſcribo vobis per Burrhum, quem miſiſtis mecum una cum Epheſiis*. Quod quidem ferè repetit in elegantiſſima ad Polycarpum epiſtola num. 7. ſcribens: *Decet in Deo, Beatiſſime Polycarpe, Concilium cogere Deo decentiſſimum, & eligere aliquem, quem valde carum habeatis, & impigrum, qui poterit Divinus Curſor appellari, illumque eo dignari honore, ut profectus in Syriam, glorificet veſtram impigram caritatem in gloriam Chriſti*. Eundem num. 8. monet, ut ad alias Eccleſias haec pietatis documenta tranſmittat. *Quoniam igitur omnibus Eccleſiis nequivi ſcribere, quod repente navigaverim à Troade Neapolim, ut Voluntas imperat, ſcribes vicinis Eccleſiis, tanquam qui ſententiae Dei compos ſis, quo & ipſi fidem faciant; qui poſſunt, pedites mittant; alii verò epiſtolas per eos, qui à te mittentur*. Ubi mutua Epiſcoporum, Eccleſiarumque commercia, Encyclicis Literis frequentata, nitidè, luculenterque monſtrantur. Repetit eadem ad Philadelphenos, eademque ferè ad Trallianos; ac tandem ad Romanos quoque, commendat illis Syriae, Aſiaeque Eccleſias. Ut propterea dubitandum minimè ſit, eaſdem ab Ignatio conſcriptas ad Eccleſiarum penè omnium inſtructionem, ad quas fuerint tranſmiſſae.

VIII. Equidem hujuſcemodi Ignatii literas à ceteris etiam Eccle-

cleſiis fuiſſe expetitas, & ſuſceptas, ſcribit Polycarpus in epiſtola ad Philippenſes, & in fragmento refert Euſebius. *Polycarpus in ſua ad Philippenſes epiſtola earundem meminit epiſtolarum ...... Scripſiſtis ad me & vos, & Ignatius, ut ſi quis in Syriam proficiſceretur, veſtras literas eò deferret. Quod quidem perficiam, ſi tempus oportunum nactus fuero, vel ego ipſe, vel alium quempiam, cui id munus veſtra cauſſa delegabo. Epiſtolas omnes Ignatii, quas ad me ſcripſit, & quaſcunque demum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandaſtis, ad vos miſimus. Quas quidem huic epiſtolae ſubjiciemus. Ex iis magnam utilitatem percipere vobis licebit. Continent enim fidem, patientiam, & cetera, quae ad augendum Domini noſtri cultum pertinent*. Inde autem conſtat, Ignatianas epiſtolas, licet aliis, atque aliis Eccleſiis inſcriptas, ad Smyrnenſes, apud quos, Polycarpo teſtante, omnes erant, fuiſſe tranſmiſſas; & ſi quae Eccleſiae nondum illas acceperant, magno ſtudio conquiſiere, quum & ad dogmata pertinerent, & magnam inde utilitatem fideles eſſent percepturi.

IX. Polycarpus autem, praeter hanc ad Philippenſes epiſtolam, quam velut legitimum S. Martyris foetum Viri eruditi agnoſcunt, alias ad Eccleſiarum eruditionem ſcripſit, teſtante S. Irenaeo, qui beatum ſenem in Aſia ſaepius audiverat. Is enim in epiſt. ad Florinum, cujus fragmentum debemus Euſebio H. E. l. 5. c. 20., ſcribit de Polycarpo: *Sed & ex epiſtolis illius id liquidò comprobari poteſt, quas ille partim ad vicinas Eccleſias, ut eas confirmaret, partim ad quoſdam ex Fratribus miſit, admonens illos, atque exhortans*. Has inter Polycarpi epiſtolas nullus dubito, quin & illa fuerit ad Syriae Eccleſias, quam Ignatius poſtulaverat, & ille in epiſt. ad Philippenſes ſe conſcripturum ſpoponderat. Id ſedulò interim animadvertendum, etiam poſt ejus mortem, has epiſtolas laudari ad authoritatem inducendam, prout Irenaeus facit, qui ex earum magiſterio Florinum novitia dogmata proferentem, rejectum iri pronunciat. Quod perſpicere eſt in lib. 3. c. 3., ubi illius fidem commendat, atque omnes Aſiae Eccleſias teſtimonium de illibata Polycarpi profeſſione unanimes dicere, ſcribit, hauddubiè ob epiſtolas ejuſdem

Digitized by Google

ſuſceptas. Conferendus in hanc quoque rem Euſebius lib. 4. c. 14. eaque attendenda ſunt Irenaei apud illum verba: *Hic namque Polycarpus ea ſemper docuit, quae ab Apoſtolis didicerat, & quae etiamnum tradit Eccleſia, & quae ſola ſunt vera. Teſtantur hoc Eccleſiae omnes, quae in Aſia conſtitutae ſunt, & quicumque ad noſtram uſque aetatem in Polycarpi locum ſucceſſerunt.*

§. II.

De aliis Epiſtolis Apoſtolici Aevi.

SYNOPSIS.

I. *Eccleſia primitiva ſine Synodis, unoque uſu Encyclicarum haereſes condemnavit.* II. *Conſenſio Eccleſiarum habita pro magiſterio.* III. *S. Irenaei Epiſtolae adverſus haereſes, & obteſtationes, ac minae iiſdem additae.* IV. *Mos adjungendae Libris adjurationis exemplo Moſis illuſtratus.* V. *Idem mos apud Gentes in Legibus, Statuis, Sepulcbris, aliiſve publicis monumentis obtinuit.* VI. *Frequentius tamen in Libris, & publicis ſcriptis.* VII. *Ariſteae ad rem exemplum.* VIII. *Eccleſiaſtici Scriptores eundem morem ſecuti.* IX. *Depoſitum fidei apud Eccleſias cuſtoditum.* X. *Quae Eccleſiarum conſentientium authoritas.* XI. *Quomodo hoc magiſterium à Synodis differat.*

I. CUm poſt Apoſtolica Concilia nullum ferè ad medietatem uſque II. Chriſtiani ſeculi conſtet eſſe celebratum, tum plurima haereſeon monſtra multipliciter fidei candorem commaculare tentarint; victrix tamen, & illibata permanſit Religio, prava dogmata profligata, & divinarum Traditionum vis inconcuſſa perſtitit, Antiſtitum, Doctorum, Eccleſiarumque zelo, in unum quidpiam Encyclicarum ope conſentientium. Equidem multiplices priorum Haereſiarcharum conatus, atque aſſeclarum in dies reviviſcentium impietatem prodit Euſebius paſſim in Eccleſiaſtica Hiſtoria, nullaſque adverſus eos coäctas fuiſſe Syno-

Digitized by Google

Synodos memorat, cum tamen eodem tempore Apoſtolicae Eccleſiae per univerſum Orbem inſtar clariſſimorum ſiderum fulgentes, Chriſti fidem privatis, & publicis ſcriptis adauxerint, & veritatis defenſionem ſuſcipientes, diſſertiſſimè pro Chriſtianis dogmatis diſputarint. Hinc Saturnini, Baſilidis, Valentini, Cerdonis, Marcionis, aliorumque praeſtigia, ac commenta rejecta ſunt, & exploſa. Quae Hiſtoricus fuſe deſcribit omnia lib. 3. cap. 37., & ſeqq., necnon ſcripta, & epiſtolas recenſet, quarum ope, ſine Conciliorum celebratione fides permanſit incolumis. Sanè quiſquis ſollerti mentis acie ſecum reputet hinc haereſeon monſtra, illinc conſuetudinem Eccleſiarum, docentium, & more ab Apoſtolis accepto, veritatem per epiſtolas profitentium, certò colliget, magiſterium fidei non tantum penes Synodos eſſe, ſed etiam penes Epiſcopos, Eccleſias ſingulares, ac praeſertim apud Apoſtolicas Sedes, in declaranda traditione conſentientes. Namque inſtar Synodorum erat ipſa Praeſulum omnium, coetuumque Doctorum in praecipuis Eccleſiis inſtituta per haſce literas dogmatum communicatio, atque ultrò, citròque communis deliberata ſententia.

II. Methodum hanc ante ſua tempora, atque adeò ante Seculi II. medietatem, diligenter ab Eccleſia Chriſti adhibitam, paucis expoſuit Irenaeus lib. 3. cap. 1., dum, quemadmodum haeretici impugnandi ſint, diſquirit. Aït autem id commodè agi, quùm vel ad Scripturas, *vel ad eam iterum Traditionem, quae eſt ab Apoſtolis, quae per ſucceſſionem Presbyterorum in Eccleſiis, provocamus eos*. Provocatio iſtiuſmodi ſupponit dubio procul tribunal quodpiam exiſtere, apud quod actio inſtituta ritè dijudicetur. Quodnam autem Tribunal aliud eſſe poteſt, niſi Eccleſiarum, quae mutuis epiſtolis communicantes, & dogmata jugi profeſſione cuſtodientes, certò noſſe poterant, quid receptae profeſſioni conſentaneum eſſet, quid abſonum, novitiumque. Scilicet Doctorum coetus, ubi diſputatio inſtituenda erat, numerabant Epiſcopos ſuos, qui omnes fidei profeſſionem reliquerant; Formatas epiſtolas revolvebant, quas mutuo quotannis, & data paſſim occaſione ſcriptitaverant. Unde Irenaeus ibid.

cap. 3. ſubjungit: *Numerabant eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.* Tanti nimirum habebatur cathedrae, & doctrinae ſucceſſio, ac tam religiosè cuſtodiebatur, ut ad eam provocare audacter poſſent. Qua de re videri loca plurima poſſunt apud eundem lib. 4. c. 43. lib. 5. capp. 1. 20, Quamobrem Euſebius lib. 4. c. 7. Quum haereſes Chriſtiano II. Seculo exortas cenſuiſſet, ad rem ſcripſit: *Porrò cum eodem tempore plurimi Eccleſiaſtici viri patrocinium veritatis ſuſciperent, & pro Eccleſiaſtica, Apoſtolicaque doctrina diſſertiſſimè decertarent, nonnulli etiam aſſertiones ſuas ſcriptis proditas, tanquam remedia ad cavendas ſupradictas haereſes Poſteris reliquerunt.* Et Optatus lib. 1. contra Parmenianum: *Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, & ceteri temporibus ſuis à Victore, Zepherino, Urbico, & Tertulliano Carthaginenſi uſque ad Cataphrygas, & à ceteris aſſertoribus Catholicae Eccleſiae ſuperati ſunt.*

III. Praeſcriptio haec una plerumque fuit eo aevo, ut in fidei controverſiis conſtans, & minimè fucata Eccleſiarum doctrina, & profeſſio inquireretur, eaque deprehenſa, ab omnibus in univerſali Encyclica probaretur. De hac Irenaei ſolicitudine contra haereticorum novitates ſcribit Euſebius lib. 5. cap. 20. *Adverſus autem illos, qui ſinceram Eccleſiae legem adulterabant, Irenaeus varias conſcripſit epiſtolas.* Encyclicas eas quidem, ut haereticorum audaciam frangeret, & de his, quae contra Eccleſiarum traditionem docebantur, fideles commoneret, ac Religionis puritati conſuleret. Illarum argumentum exponit in hunc modum Euſebius ibid. *Alteram ad Blaſtum, quam inſcripſit de ſchiſmate: alteram ad Florinum, de Monarcho, ſeu quod Deus non ſit conditor malorum . . . . . Qui cum poſtea in errorem Valentini abreptus fuiſset, iterum Irenaeus ejus gratia librum de Octonario compoſuit.* Opus iſthoc Hieronymus in Catal. de S. E. vocat egregium Syntagma. Quanta verò diligentia in eo Sacri Tractatores verſati ſint, ut Eccleſiaſticae, & publicae iſtiuſmodi epiſtolae non tantùm legerentur, quùm edebantur, ſed etiam ad ſeros uſque Nepotes pervenirent illibatae, docet ille ipſemet Irenaeus, teſtante ibid. Euſebio.

Sed

Sed & in fine ejuſdem libri adnotationem utiliſſimam reperimus, quae huic hiſtoriae noſtrae inſerenda mihi videtur. Sic autem habet. Adjuro te, inquit, qui tranſcripſeris hunc librum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per glorioſum ejus adventum, in quo judicaturus eſt vivos, & mortuos, ut conferas quod tranſcripſeris, & diligenter emendes ad exemplar, ex quo tranſcripſiſti: utque adjurationem iſtam ſimiliter exſcribas, & codici tuo inſeras. Subjungit ad haec Euſebius: *Atque haec utiliter tum ab illo dicta, tum à nobis commemorata ſint, ut priſcos illos, ac ſine controverſia ſanctiſſimos viros, tanquam pulcherrimum exemplum exactiſſimae diligentiae ſemper ante oculos habeamus.* Haec erat ſollertiſſima primi illius Chriſtiani aevi cautio in hiſce Encyclicis ſervandis, cuſtodiendiſque, cum verae Traditionis ſucceſſio in his ferè repraeſentaretur. Qua eadem de cauſſa Paulus, Ignatius, aliique deinceps ſanctiſſimi viri ſummam in Dominicis Curſoribus fidem exigere conſueverunt. Sed quoniam noſter hic quantuſcumque labor, pro illibata ſacrarum traditionum cuſtodia ſuſceptus, id imprimis reſpicit, ut hanc ipſam Eccleſiarum ſollertiam in Encyclicis, & fidei profeſſionibus ſervandis oſtendamus, unde ſpontè conſequitur orthodoxae, quam hodieque profitemur, doctrinae origo, antiquitas, & certitudo, lubet in hanc Irenaei adjurationem nonnulla commentari, quae oſtendant, hunc fidei candorem certò ſervatum, non tantùm ob divinam promiſſionem, & Spiritus S. aſſiſtentiam, nunquam non adfuturam Eccleſiae, ſed etiam propter ſacrorum Tractatorum, & Eccleſiarum ſingularium prudentialem induſtriam, qua, ne publica ſcripta, communem fidem teſtantia, errori, & depravationi ſubjacerent, magnopere ſemper caverunt.

IV. Minae, obteſtationes, & adjurationes, quae libris addebantur, abs antiquiſſima profluunt conſuetudine, quam Moſes aut invexit, aut ſecutus eſt. Nam licet Dei verbi cuſtodia ſit ipſius divinae Providentiae opus, ne tamen impoſtoribus adulterandi, aut librariis incurioſè exſcribendi copia daretur, voluit Deus ipſe, ut ejuſmodi dirae, & obteſtationes adderentur. Quare Moſes, antequam ultimum obiret diem, foedus poſtremum inter Deum, & Populum jurejurando feriens de uni-

univerſis ſervandis, quae à Deo fuerant praecepta, dixit, Deuteron. 29. v. 14. *Nec vobis ſolis ego hoc foedus ferio, & haec juramenta confirmo, ſed cunctis praeſentibus, & abſentibus*. Mox diras, & obteſtationes adjungit v. 20. *Et Dominus non ignoſcat ei: ſed tunc quammaximè furor ejus fumet, & zelus contra hominem illum, & ſedeant ſuper eum omnia maledicta, quae ſcripta ſunt in hoc volumine* Qua phraſeología uſus pariter eſt Johannes in Apocalypſi cap. 22. v. 18. *Conteſtor enim omni audienti verba Prophetiae libri hujus: ſi quis appoſuerit ad haec, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitae, & de civitate ſancta, & de his, quae ſcripta ſunt in libro iſto*.

V. Antiquiſſimae hujus adjurationis veſtigia cum diris, & obteſtationibus, occurrunt paſſim apud Gentes, ſolicitas, quantùm ferebat prudentia, ut publica ſeu Religionis, ſeu Regiminis monumenta immutata ſervarentur. In legibus enim ſcriptis, ſculptiſve, ne adderetur quidpiam, aut minueretur, dirae addebantur; Quod pronum eſt perſpicere in ultima Diſſertatione Dionis Chryſoſtomi pag. 667. poſtremae editionis. Demoſthenes quoque in Orat. de ementita legatione ad rem noſtram aït: *Recita exſecrationem ex lege. Exſecratio haec pro vobis, Athenienſes, in ſingulis concionibus praeco precatur, quae conſtituta lege ſunt*. Exſecratio autem hujus ſententiae fuiſſe videtur, quod ex iis, quae ibid. ſequuntur, Demoſthenis verbis colligitur, ut qui contra Rempublicam ſenſiſſet, dixiſſetve, ipſe cum gente, domoque ſua à Diis everteretur. Quod in foedere Smyrnaeorum, & Magnetum in Marmore Arundelliano pag. 12. legitur: *Si ſanctè haec ſervavero, benè mihi ſit, ſi pejeravero, exitium & mihimetipſi, & poſteris meis*. Et Cicero lib. 2. de Legibus: *Perjuris poena divina exitium, humana dedecus*. Hinc etiam receptum moribus fuit, ut inſcriptae Statuis eſſent dirae, & imprecationes in eos, qui vel loco moverent, vel eis quomodocumque obeſſent. Quare Philoſtratus in vita Herodis Attici pag. 559., dum refert quae ille quibuſdam ſepulcra erexerat, aït: *Imagines eorum conſecravit ..... cum exſecrationibus ejus, qui concideret, vel loco moveret*. Qua de re plura Sal-

Salmaſius ad Inſcriptionem Herodis congeſſit. Haud aliter ſepulcris appoſitae dirae, & obteſtationes, ne violarentur, ut non ſemel obſervatum Cl. Mabillonio Tom. I. Muſaei Italici.

VI. Mos ille tamen frequentius in re libraria obtinuit. Id genus antiquiſſimae adjurationis formulam legere eſt Floridorum lib. 7., ſeu Anthologiorum Vettii Valentis, quod opus in pluribus Biblioth. exſtat Mſs. Ea autem eſt hujuſmodi. *Omnes, qui inciderint, adjuro per ſacrum Solis circulum, inaequales Lunae curſus, reliquorumque ſyderum vires, & ſigniferum circulum, ut in reconditis haec habeant, nec indoctis, aut profanis communicent, ſed Praeceptoris memores ſint, eique honorem retribuant. Dii jam dicti ſanctè jurantibus dent quae velint; pejerantibus contraria.* Atque hoc jusjurandum à ſuis paſſim exegiſſe Orpheum, produnt Scriptores. Julius quoque Firmicius initio lib. 7. Matheſeos, quod opus adhuc paganus ſcripſiſſe videtur, Mavortium ſuum hoc jurejurando interpellat: *Per Fabricatorem Mundi Deum, qui omnia neceſſitate perpetuitatis excoluit, qui Solem firmavit, & Lunam, qui omnium ſyderum curſus, ordineſque diſpoſuit, qui Maris fluctus intra certos terrae terminos coarctavit, qui ignem ad ſempiternam ſibi ſubſtantiam inflammavit, qui terram in medio collocatam aequata moderatione ſuſpendit, qui homines, feras, alites, & omnia animantium genera divina artificii majeſtate compoſuit, qui terram perennibus fontibus rigat, qui ventorum flatus cum quadam facit moderatione variari, qui ad fabricationem omnium quatuor elementorum diverſitate compoſita ex contrariis, & repugnantibus cuncta perfecit, qui ortum, ac occaſum, ac omnium terrae motuum per animae deſcenſum, & aſcenſum immortalitate aeternae perpetuitatis ordinavit. Ne haec veneranda communia profanis, vel imperitis auribus intimentur, ſed iis tantùm, quos animus incorruptus ad rectum vivendi ordinem, caſto, ac pudico praeſidio mentis inſtituit; quorum illibata fides, quorum manus ab omni ſunt facinorum ſcelere ſeparatae, integris ſcilicet, pudicis, ſobriis, ac modeſtis, ut puro tanto mentis ſplendore decoratis, integra ſe ſcientia Divinationis inſonet.* Hoc jusjurandum identidem Mavortio ſuo in memoriam revocat Firmicius, ut videre eſt ſub finem lib. viii. Aliae multae fuerunt adjurationis formulae, quas Olaus Borrichius annotavit in Hermetis, Aegyptio-

Digitized by Google

ptiorumque Sapientia vendicata lib. 3. pag. 47.

VII. Apud Graecos, & Aegyptios ejuſdem adjurationis uſus invaluit. Diſcimus id ex Ariſteae libro de LXX. Interpretibus in fine ſcribentis: *Ubi autem perlecta ſunt iſta volumina legis, adſtantes & Sacerdotes, & Interpretes ſeniores, gubernatoreſque civitatis, & ipſi Principes multitudinis ità dixerunt: Quoniam rectè, ſanctè, & per omnia accuratè perfecta eſt iſta interpretatio, par eſt, ut omnia permaneant in ſuo habitu, nec ulla fiat immutatio. Omnibus ad haec cum approbatione acclamantibus, juſſit Demetrius illos, ut haberent in more imprecari dira illi, ſiquis immutaturus eſſet, quid vel addendo, vel transferendo, vel auferendo. Quod rectè fecerunt ad hoc, ut perpetuò conſervarentur illa ſalva, & cum diuturnitate inviolata*. Repetit haec verba Euſebius Praeparat. Evangel. lib. 8. c. 5. pag. 354.. Ex quibus & illud perſpicitur, Judaeis quoque in more fuiſſe poſitum, ut libris, quos exſcribi fortè curarunt, dirae & imprecationes adjungentur, ut Wagenſelio notatum in Telis igneis Satanae pag. 27.

VIII. Quod autem Irenaeus ad calcem epiſtolae ſuae ad Florinum fecit, idem factum deprehendimus in Clementinis, à Cotelerio editis in Tom. 1. Patrum Apoſtolicorum pagg. 603. 604. Conteſtatio enim in iis legitur, & cautio, ne qui librum praedicationum Clementis acceperint, illum temerè quibuſvis communicent, aut aliquid addant, adulterentve. Haud aliter Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, apud Euſebium lib. 4. cap. 23. ſcribit: *Fratribus, ut ſcriberem, rogantibus, ſcripſi epiſtolas, ſed illas miniſtri Diaboli zizaniis, alia eximentes, alia verò adjicientes, repleverunt, quibus Vae in extremum judicium eſt repoſitum*. Tanti equidem fecit haſce obteſtationes Euſebius, ut eam, quam ex Irenaeo retulimus, in Chronico pariter attexuerit, quemadmodum in quibuſdam exemplaribus hodieque legitur. Non abſimilem formam Libris Περὶ ἀρχῶν Ruffinus praemiſit: ejuſdemque moris paſſim occurrunt indicia in exſtantibus Mſs. Codd., atque in impreſſis. Atque hinc accuratiſſima ſplendet Eccleſiarum ſolicicitudo in his, quae ad Religionem attinebant, conſervandis, ſiquidem tanta cavit ſollertia, ut incolumis perſeveraret Tradi-

tio

tio, quae vel maximè in hiſce Encyclicis ſpectanda, ac profitenda dabatur.

IX. Inſigne aliud argumentum exhibet in eadem ad Florinum epiſtola Irenaeus, quo coetuum Doctorum, ac Presbyterii ſolicitudines in traditionibus cuſtodiendis evehit; atque ad veram, ſinceramque doctrinam cognoſcendam ad illos remittit: *Haec dogmata, Florine, ut parciſſimè, ac leviſſimè dicam, non ſunt ſanae doctrinae. Haec dogmata diſſentiunt ab Eccleſia, & in maximam impietatem eos conjiciunt, qui illis aſſentiuntur..... Haec dogmata hi, qui ante nos vixere, Presbyteri, qui etiam Apoſtolorum diſcipuli extiterunt, nequaquam tibi tradiderunt.* Fidiſſima itaque in Presbyterio erat cuſtodia Depoſiti, idque cùm in Eccleſiis principalioribus eſſet inſtitutum, pronum unicuique erat, ut liberet, ſacram traditionem à Majoribus acceptam, & accuratiſſimè cuſtoditam, addiſcere, & penitiùs explorare. Et hanc quidem perſeverantem dogmatum cuſtodiam in Eccleſiis, ſupponunt Patres ſequioris aevi, ideoque ad illam provocant, & veritatis argumenta deducunt. Adſcribenda ſunt hîc Origenis verba in prooemio Libri Περὶ ἀρχῶν appoſitè ſcribentis: *Cum multi ſint, qui ſe putant ſentire, quae Chriſti ſunt, & nonnulli eorum diverſa à prioribus ſentiant: ſervetur verò Eccleſiaſtica praedicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & uſque ad praeſens in Eccleſiis permanens; illa ſola credenda eſt veritas, quae in nullo ab Eccleſiaſtica diſcordat Traditione.* Erat controverſiarum conflictus, ſententiarumque colliſio: ad Eccleſias remittit, & provocat Adamantius, atque ab iis ſiſcitandum de veritate praeſcribit, quia Eccleſiarum doctrina à primaeva traditione nuſquam digreſſa eſt. Id quod confirmat tract. 29. in Matth. *Nos illis credere non debemus, nec exire à prima, & Eccleſiaſtica Traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem Eccleſiae Dei tradiderunt nobis.* Auget vim hujuſce argumenti, dum ſubdit: *Quodcumque profeſſi fuerint de Scripturis, & de myſteriis, quae ſunt in eis ad demonſtrationem, nolite credere quae dicuntur. Veritas enim ſimilis eſt fulguri egredienti ab Oriente, & apparenti uſque ad Occidentem: Qualis eſt veritas Eccleſiae Dei.* Haud aliter Cyrillus Catech. 18. ad il-

illa verba Symboli : *& in unam Catholicam Eccleſiam*, aït : *Catholica vocatur, quia in univerſum ſit Orbem terrarum diffuſa à finibus terrae uſque ad extrema : & quia docet catholicè, ac ſine ullo defectu omnia dogmata*. Ad hunc modum ſacrorum Librorum delectum, atque à ſpuriis, ſuppoſititiiſque diſcrimen inſtituendum ex perſuaſione Eccleſiarum, Origenes primùm, dein Auguſtinus lib. 2. de Doct. Chriſt. cap. 9. docuit : *In Canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum complurium authoritatem ſequatur, ut eas, quae ab omnibus recipiuntur Eccleſiis Catholicis, praeponat eis, quas quaedam non accipiunt : In eis verò, quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures, gravioreſque accipiunt*.

X. Itaque per id temporis, quoties controverſia aliqua, ſive de fidei, ſive de Eccleſiaſticae diſciplinae rationibus moveretur, Epiſcopi omnes circularibus literis ad invicem commonefacti, certam veritatis ſemitam Populis denunciabant, idemque hujuſmodi decreto refragari erat, atque Orbi univerſo praejudicium facere. Quod luculenter expoſuit Athanaſius in epiſt. ad Jovinianum Imperatorem ſcribens : *Pro certo ſcias Auguſte Sanctiſſime, hanc ipſam fidem ab omni ſeculorum memoria praedicatam fuiſſe : Hanc confeſſi ſunt, qui in Nicaea convenerunt Patres ; huic omnes ubique Eccleſiae conſentientes ſunt*. Et quum has Eccleſias enumeraſſet, concludit : *Iſtarum enim omnium Eccleſiarum ſententiam experimento cognovimus, & literas accepimus, & certò ſcimus, quod, etſi pauci contradicant huic fidei, non poſſunt praejudicium facere Orbi univerſo*.

XI. Ex his, aliiſque multis, quae in hac noſtra Encyclicarum literarum collectione prolaturi ſumus, illud liquidò, reor, conſtabit, quantum primis, & ſequentibus ſeculis perſuaſum eſſet, Synodicam, & inviolabilem authoritatem ineſſe decretis Epiſcoporum è propriis ſedibus judicantium, quandiu prima Sedes, aut Eccleſia univerſa non intercederet. Sine ſynodis, ut quam de ratione Eccleſiaſtici Magiſterii priorum temporum inſtituimus hactenus diſputationem, abſolvamus, idem eſt Eccleſiarum, & Epiſcoporum ſenſus, idemque citra Synodos conſenſus ; eadem cum ipſis Collegarum omnium conſpiratio ; idem Divinus Spiri-

Digitized by Google

ritus ſive in Capite Eccleſiarum, ſive cum capite, ſive in coetu, ſive in Epiſcopis per Orbem diffuſis, qui dirigit, & inſpirat: Eadem, quocumque demum agat modo, Eccleſia eſt: eadem Chriſti Sponſa, eademque vis, & authoritas: nec eam in agendo ratio alia diſcriminat, niſi quod in coetu pleniore quadam majeſtate ejuſdem Magiſterium exſeritur, quàm in Epiſcopis repraeſentetur, dum in ſedibus quiſque ſuis, & Eccleſiis in idem docendo, profitendoque conſpirant, Encyclicarum adjumento.

§. III.

DE ENCYCLICIS

Adverſus Cajanitas, & Marcionitas editis, necnon De origine Diſputationum Eccleſiaſticarum.

SYNOPSIS.

I. *Haereſis Caïnitarum unde orta, & quibus Encyclicis proſcripta.* II. *Quae fuerit Marcioniticae ſectae origo.* III. *Marcion Romae fidei profeſſionem emittere, quòd ſine Formata veniſſet, adſtringitur, & Cerdonianus eſſe dignoſcitur.* IV. *Ex ſuamet profeſſione, velut Praxeas, ab Eccleſia redargutus.* V. *Primus fuit, qui Eccleſiaſticam unitatem diſputando ſolveret.* VI. *Ab Aniceto Pontifice per Encyclicam condemnatus.* VII. *Conſenſus eidem Encyclicae praeſtitus.* VIII. *Diſputationes adverſus Marcionem inſtitutae, altera Romae, Epheſi altera.* IX. *Encyclicae ab aliis Epiſcopis in eadem cauſſa evulgatae.*

I. SEculo II. ad medietatem vergente, Cajanorum, & Marcionitarum exortae ſunt haereſes, eaeque, cum Encyclicarum ope in ipſo velut ortu praefocatae ſint, locum argumento, quod verſamus, illuſtrando ſuppeditant. Eſt autem Cajana haereſis à Caïno nomen ſortita, quem non ſecùs atque Eſau, Core,

Digitized by Google

re, & Sodomitas in pretio habuere quotquot eam ſunt amplexi, ut Clementi Alexandrino proditum eſt lib. 7. Stromat. Surculum Nicolaïticae luis exiſtimavit Tertullianus de Praeſcript. cap. 39. *Sunt & nunc alii Nicolaitae, Cajana haereſis dicitur*. Irenaeus verò in cenſum Valentinianae propaginis Caïnitas refert lib. 2. adverſ. haereſes c. 35. VerùmEpiphanius eos à Nicolaö ſimul, Carpocrate, Valentino, aliiſque originem ducere cenſuit. Sed haec utcumque ſe habeant, conſtat haereſim hanc per Encyclicam Epiſcoporum Meſopotamiae denunciatam, in Antiocheno deinde Concilio ſollenniore decreto fuiſſe proſcriptam. Prodit hoc Author Praedeſtinati, adnotans, quemadmodum, cùmprimum Cajani exorti ſunt: *Meſopotamiani Eccleſiarum Syriae Sacerdotes ad ceteros ſuos Coëpiſcopos conſcripſerunt. Quos triginta & duo Epiſcopi apud Antiochiam reſidentes cum ejuſdem urbis Epiſcopo Theodoro in praeſentia confutatos damnaverunt, dicentes iis, quod Sanctus Spiritus locutus eſt per Prophetam: Vae his, qui dicunt de bono malum, & de malo bonum*. Haec vetus ille ſcriptor, qui licet ſatis nondum eruditis viris & nomine, & conditione innotuerit, moris tamen primitivis temporibus recepti veſtigia exhibet, quo ſcilicet ubicumque haereſis naſceretur, Epiſcopi commonebant Collegas, & ſi lues graſſari pergeret, validiorem inſuper rei tractatum expoſcebant.

II. Marcionem quod attinet, fuit is origine Ponticus, atque ex urbe Sinope, celebri Paphlagoniae emporio. Prima Haereſiarchae rudimenta enarrare juvat verbis Epiphanii haereſi 42. *Qui initio vitae caſtitatem praeſeferens ..... parente natus Catholicae communionis Epiſcopo. Poſtea cum virginem quandam adamaſſet, & fraudibus pellexiſſet, abs ſpe vitae coeleſtis illam juxta ac ſemetipſum dejecit. Ob hunc igitur inceſtum, Eccleſia ab ipſo parente pulſus eſt, viro cum primis religioſo, ac veritatis amore flagrantiſſimo, & in hac Epiſcopalis muneris adminiſtratione praeſtanti. Cui cum Marcio diù, multumque ſupplicaſſet, ac poenitentiam poſtulaſſet, hanc à Patre precibus nullis obtinuit .... Ergo ubi, ſe nullis artibus eblandiri poſſe quod cuperet, animadvertit, popularium ſuorum probra, ac ludibria non ſuſtinens, clam ab oppido ſeceſſit, ac Romam poſt Hygini*

Pa-

Digitized by Google

Papae obitum ſe contulit. Eò ſtatim ac Marcion pervenit, ad ſeniores adiens, qui ab Apoſtolorum diſcipulis edocti adhuc ſupererant, ut in communionem admitteretur, ab iis fruſtra petiit.

III. Epiphanius tamen nobis hoc loco invidit primum Marcionis cum Romanis Preſbyteris congreſſum, & quod argumenti, quo de agimus, caput eſt, ne meminit quidem emiſſae apud illos fidei profeſſionis: cum tamen in numerato ſit, Eccleſias nullum ſuſcepiſſe hoſpitem, & peregrinum, qui Communicatoriam, aut Pacificam epiſtolam proprii Epiſcopi non adferret, aut qui ſaltem ſcripto traditam, ſuaque ſubſcriptione munitam fidei profeſſionem non ederet. Res itaque ad hunc ferè modum ſe habuit. Marcion à Patre, tunc Epiſcopo, depulſus ab Eccleſia, Romam ſine Formata venit, roganſque Clerum, ut ſe ad communionem admitterent, compulſus eſt, publico ſcripto fidem ſuam profiteri. Sed quum deprehenſus eſſet Cerdonis dogmata evulgare, iidem, ut reor, Preſbyteri denunciaturi Eccleſiis Cerdonis, & Marcionis diſcipuli impietatem, literis pariter indiderunt eam fidei Catholicam formulam, à qua impoſtor Cerdonianus factus, deſciverat. Hanc equidem orthodoxam profeſſionem à Marcione prius editam, ejus diſcipulis ipſo in limine Librorum adverſus eundem opponit Tertullianus, ut fidei extorrem oſtendat, & transfugam: ſiquidem lib. 1. c. 1. ſcribit: *Non negabunt diſcipuli Marcionis, primam illi fidem nobiſcum fuiſſe, ipſius literis teſtibus*. Et in hac quidem fidei confeſſione diſtinctum fuiſſe articulum de Sacris Libris recipiendis, ceù divinitùs inſpiratis, aſſeverat idem Tertullianus lib. 4. ejuſdem operis cap. 4., dum aït: *Evangelium Lucae, quod eſt ſecundum nos, adeò antiquius Marcione eſt, ut & ipſe illi Marcion aliquando crediderit, cum & pecuniam in primo calore Fidei Catholicae contulit, projectamque mox cum ipſo, poſtquam in haereſim ſuam à noſtra veritate deſcivit. Quid nunc, ſi negaverint Marcionitae primam apud nos fidem Marcionis adverſus epiſtolam quoque ipſius? Quid, ſi nec epiſtolam agnoverint? Certè Antitheſes non modo fatentur Marcionis, ſed & praeferunt. Ex his mihi praefatio ſufficit.* Marcion nimirum ediderat librum Antitheſium, in quo

de ſua hac Apoſtaſia gloriabatur, memorante Tertulliano ibid. lib. 1. cap. 2. Quae verò eleemoſynae titulo 200. ſeſtertia Eccleſiae Romanae erogavit, id eſt, Budaei calculo, 5000. aureorum, recepit iterum, quùm à fide deſcivit.

IV. Hinc Romana Eccleſia communionis, individuaeque ſocietatis inſigne ſpecimen exhibuiſſe dignoſcitur. Nam cum Pater Epiſcopus filium Marcionem perpetuae poenitentiae ſuppoſuiſſet, atque is Romam veniens ſine proprii Epiſcopi Formatis literis promoveri ad gradus poſtularet, Preſbyteri, id fieri minimè poſſe citra Epiſcopi illius Formatas, obteſtati ſunt, paſſuſque repulſam eſt Marcion. Quod non obſcurè innuit ibid. Epiphanius num. 2. *Quarè eos palam alloquens, cur me, inquit, recipere noluiſtis? Reſponderunt illi: Nobis injuſſu venerandi Patris tui facere iſtud non licet. Una ſiquidem fides eſt, & animorum una conſenſio: neque contra ſpectatiſſimum Collegam Patrem tuum moliri quippiam poſſumus*. Haud aliter Praxeas Romam veniens, nonniſi Catholicae fidei profeſſione emiſſa, ſuſceptus eſt; eamque homini in haereſim lapſo, Catholici, qui adſervabant, oppoſuere, ut author eſt Tertullianus in opere adv. Prax. Namque cum ille accuſaretur haereſis, memoratam fidei profeſſionem edidit, quae eo, quo Tertullianus ſcripſit, tempore in Archivis Eccleſiarum, ut moris erat, diligenter cuſtodiebatur. Quapropter cap. 1. ſcripſit: *Fructificaverant avenae Praxeanae, hic quoque ſuperſeminatae, dormientibus multis in ſimplicitate doctrinae: traductae dehinc per quem Deus voluit, etiam evulſae videbantur. Denique caverat priſtinum Doctor de emendatione ſua, & manet Chirographum apud Pſychicos, apud quos tunc geſta res eſt, exinde ſilentium*. In Romanis itaque, & Catholicarum Eccleſiarum Archivis ſervabantur profeſſiones fidei, & Encyclicae epiſtolae, ex quibus, ceu è nota teſſera, perſeverans in dogmatis traditio Eccleſiarum dignoſcebatur.

V. Marcion equidem primus à B. Cypriano memoratur, qui publicis diſputationibus & palam communioni, ſocietatique Eccleſiae refragari auſus ſit. Scribit enim epiſt. 74. *Marcion de Ponto emerſit, cujus Magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo, qui*

Digitized by Google

in Urbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion ſecutus, additis ad crimen augumentis impudentius ceteris, & abreptius in Deum Patrem Creatorem blaſphemare inſtituit, & haereticum furorem ſacrilegis armis contra Eccleſiam rebellantem ſceleratius, & gravius armavit. Et ante Cyprianum Irenaeus lib. 3. cap. 4. *Cerdon, qui ante Marcionem fuit . . . . . ſaepe in Eccleſiam veniens, & exomologeſim faciens, ſic conſummavit, modò quidem latenter docens, modò verò exomologeſim faciens, modò verò ab aliquibus traductus in his, quae docebat malè, & abſtentus à Religioſorum hominum conventu.* Marcion autem illi ſuccedens, invaluit ſub Aniceto. Quin etiam commotum à Marcione ſchiſma in Eccleſia Romana, atque haereſim ab eo ſubinde eo loci propagatam, memorat ibid. Epiphanius, qui cum aperuiſſet exordia diſputationis Romae habitae à Marcione *cum candidis, ac ſanctiſſimis Eccleſiae Presbyteris, ac Doctoribus*, ſubjungit de Haereſiarcha. *At ille vehementius excandeſcens, ac ſuperbia, invidiaque percitus, ſchiſma conflavit, ac privatam haereſim architectatus eſt: Et Eccleſiam, ait, veſtram ego diſſociabo, in eamque ſchiſma ſempiternum immittam. Quod ille revera nec mediocre quidem injecit: non ità tamen, ut Eccleſiam, ſed ut ſeipſum, ac ſuos diſcinderet.*

VI. Atque occaſione tum inducti ſchiſmatis, tum publicarum diſputationum, propagataeque haereſis, Anicetus una cum candidis illis, & Sanctis Doctoribus ac Presbyteris, quùm, ut Cyprianus dicebat, invaleſcere coepit Marcionis impietas, Encyclicam fortè edidit, in qua, opinor, profeſſio ipſa fidei à Marcione primum edita, ut innoteſceret luculentius apoſtaſia, inſerta fuit. Id equidem ſupponit Tertullianus, qui in laudato teſtimonio aſſeverat, tum emiſſam à Marcione Catholicae fidei profeſſionem, tum adinventam haereſim, in literis Chriſtiano Orbi unaquaeque fuiſſe denunciata, non negantibus Marcionitis, ſed ultrò etiam praeſeferentibus: *Certè Antitheſes non modò fatentur Marcionis, ſed praeferunt. Ex his mihi praefatio ſufficit.* Sufficiebat nimirùm, quod & apoſtaſiam, perjuriumque haereſiarchae, & Eccleſiarum repraeſentaret conſenſum, praeſtitum Encyclicae Romanae Eccleſiae, unde Marcion haereticus pri-

Digitized by Google

mùm coepit haberi. Namque cum is ſub Aniceto Romam veniſſet, à quo per Encyclicas literas haeretici damnatio edita eſt, S. Polycarpus ea egit, quae Irenaeus prodidit lib. 3., & ex ipſo Euſebius lib. 4. c. 14., ubi ad Polycarpi zelum commendandum, haec adducit Irenaei verba: *Qui certè multò fide dignior, ac locupletior teſtis fuit veritatis, quam aut Valentinus, aut Marcio, & reliqui pravarum opinionum authores. Idem Aniceti temporibus Romam veniens, multos ex ſupradictis haereticis ad Eccleſiam Dei revocavit, hanc unam, & ſolam veritatem ſe ab Apoſtolis accepiſſe praedicans, quae ab Eccleſia traderetur ...... Ipſe etiam Polycarpus, cum ei Marcio aliquando occurriſſet, dixiſſetque: Agnoſcis nos? Reſpondiſſe fertur: Agnoſco te primogenitum Satanae. Adeò religiosè cavebant Apoſtoli, eorumque diſcipuli, ne vel sermone tenus miſcerentur cum ullo eorum, qui veritatem adulterabant.*

VII. De conſpirante poſt Encyclicas omnium Paſtorum zelo, deque mirabili animorum conſenſione ad nova hujuſcemodi perfidiae germina eradicanda, praeclarè ſcripſit Euſebius lib. 4. cap. 24. *Porrò cum nihilominus hac etiam tempeſtate haeretici zizaniorum inſtar ſinceram Apoſtolicae doctrinae ſementem labefactarent, Eccleſiarum toto Orbe Paſtores, eos tanquam feras, atque immanes belluas ab ovili Chriſti fugare, atque arcere properabant: partim hortando, atque commonendo Fratres, partim adverſus ipſos haereticos fortiter colluctando: quos vel propoſitis cominus interrogationibus, & confutationibus viva dumtaxat voce, vel libris accuratiſſimè conſcriptis, opiniones eorum refellentes, confutabant.* En Encyclicarum mutuarum exemplar nobiliſſimum, quo poſt Eccleſiae Romanae Encyclicas, Paſtores Orbis totius fratres reliquos commonendo, omnium manus armarunt ad Marcionitarum haereſim profligandam, eoſque ab Ovili Chriſti, ejuſque Catholica Eccleſia ſegregandos, dum alii interim diſputationibus, alii lucubrationibus Seductorum verſutias labefactare ſatagebant.

VIII. Poſt publicas eas diſputationes, quas ſive Apoſtoli ſimul in Hieroſolymitano Concilio, Actor. 15., ſive Paulus, prout eadem Sacra Hiſtoria recenſet, saepius, & pleriſque in Eccleſiis

cleſiis iniverunt, à Patribus Apoſtolicis multiplices cum haereticis, data occaſione, inſtitutae fuerunt, & frequenter deinceps in Eccleſia auditae. Primam cum Marcione diſputationem Romae habitam, memorat laudatus Epiphanius ibid. num. 2. Alteram Epheſi factam, quae Eccleſia multitudine Doctorum, atque ordinis Hierarchici majeſtate ſpectatiſſima omnium erat, prodit Philaſtrius de Haereſibus, in Tom. IV. Biblioth. PP. pag. 12., ubi aït, *Marcionem à Presbyteris de Civitate haereſi devictum, ac fugatum*.

IX. Nec deſunt certa monumenta Encyclicarum, quas alii, atque alii Epiſcopi adverſus Marcionem, & aſſeclas evulgarunt. Ille ipſemet ſaepius laudatus Irenaeus tres edidit epiſtolas, Euſebio memoratas H. lib. 5. cap. 20., quarum prima eſt de Monarchia ad Florinum, quod Deus non ſit conditor malorum; altera ad Blaſtum de Schiſmate: Tertia de Octonario ad eundem Florinum. Quinimo librum etiam adverſus Marcionem ab Irenaeo conſcriptum, idem Euſebius affirmat lib. 4. c. 25., ubi de Marcionis oppugnatoribus. *Sed & Philippus, quem ex verbis Dionyſii proximè citatis, Gortynenſis Eccleſiae Epiſcopum fuiſſe cognovimus, ipſe quoque luculentiſſimum librum adverſus Marcionem compoſuit: Irenaeus quin etiam & Modeſtus. Verum hic etiam prae ceteris egregiè errores illius, ac dolos detegens, omnibus ſpectandos exhibuit. Scripſerunt etiam alii complures, quorum libri apud plurimos ex Fratribus adhuc ſtudioſè ſervantur*. Ubi poſt annos 200. à nata haereſi lucubrationes iſtiuſmodi apud Eccleſias fuiſſe ſervatas, annotat Hiſtoricus, atque id confirmat, quod nos ſaepius aſſeruimus, haſce epiſtolas, & publica adverſus haereſes ſcripta, ab Eccleſiis accuratiſſimè fuiſſe ſervata. De Theophilo autem Patriarcha Antiocheno, qui in univerſa literatura inclaruit, ibid. cap. 23. ſcripſerat: *Theophilus igitur una cum ceteris adverſus illos haereticos depugnavit, ut conſtat ex quodam illius libro haudquaquam ſpernendo, quem contra Marcionem elaboravit: qui liber una cum aliis, quos retuli, etiamnum exſtat*. Encyclica itaque Aniceti omnium Praeſulum, Doctorumque ſententiis roborata, ſat virium habuit, ut novitia Marcionis dogmata, velut heterodoxa, reji-

Digitized by Google

cerentur: ejuſque magiſterium ſecuti Tertullianus, aliique ſubinde Doctores abſque ulla Synodi coïtione Haereſiarcham declararunt, atque impia dogmata omnes magno conſenſu ſunt exſecrati.

CAPUT III.

DE CELEBRI ENCYCLICA SMYRNENSIS ECCLESIAE.

AB Haereſiarcharum colluvie, qui candorem, ſimplicitatemque Religionis Chriſtianae multipliciter commacularunt, profectae ſunt ſecundo Seculo in univerſum Chriſtianum nomen calumniae, & dirae inſectationes. Namque Gentium Praeſides in Chriſtianos indiſcriminatim omnes ea conjicientes, quae contra fas, atque jus peccabant ſectae Haereticorum hominum, reos pariter omnes graviſſimorum criminum agebant. Id Euſebius de geſtis ejuſdem aevi diſſerens, obſervavit H. lib. 4. cap. 7. ubi de Haereſiarchis, praviſque invectis dogmatis ſcribit: *His igitur miniſtris uſus malignus ille Daemon, primum effecit, ut ex fidelibus quicumque ex illis decepti eſſent, ad miſerabile exitium tanquam captivi abducerentur: Deinde Gentibus à fide noſtra alienis amplam obtrectandi, & calumniandi Evangelii materiam ſubminiſtravit: dum ab illis primùm orta infamia, ad totius Chriſtiani nominis opprobrium diffunderetur; Atque hinc factum eſt, ut abſurda quaedam, & impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis ſpargeretur, quaſi nefario concubitu cum ſororibus, & matribus miſceri, & exſecrandis dapibus veſci ſoleremus*. A Cajanis, & Quintillianis dehoneſtamentum hoc profluxit, de quibus S. Auguſtinus de haereſib. *Sacramenta perhibentur funeſta habere. Nam de infantis anniculi ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur, miſcentes eum farinae, panemque inde facientes; qui puer ſi mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre; ſi autem vixerit, pro magno Sacerdote*. Hinc

excita

Digitized by Google

excita perſecutionum tempeſtas, quae Martyribus locum tribuit, ut pro fidei defenſione ſanguinem funderent; Eccleſiae verò, ut Martyrii doctrinam luculentius declararet: quod cum Encyclicis duabus praeſtiterit, de eo pro inſtituti noſtri ratione diſquiremus.

§. I.

De Eccleſiae ſtudio erga Martyres.

SYNOPSIS.

I. *Martyrium pro Eccleſiae charactere habitum.* II. *Qui eſſent Diaconi, qui Presbyteri Martyrum.* III. *Acta Martyrum, ceteraque Encyclica ſcripta evulgabant Primates.* IV. *Quid Acta, quid Paſſiones, & liber Paſſionarius Martyrum.* V. *Veteres diem emortualem Martyrum cur appellarint Natalem.* VI. *Eccleſia primitiva cultum religioſum Martyribus decernere conſuevit.*

I. INter Chriſtianae Eccleſiae, & veritatis characteres, duos potiſſimum expendit Irenaeus lib. 4. adverſ. Haereſes, quorum alter in ſucceſſione Epiſcoporum, & conſtanti dogmatum profeſſione, ab Eccleſiis aſſervata, poſitus eſt; alter in ſupereminenti caritate, ob quam verum Martyrium, & Martyres ſunt in Eccleſia. *Quapropter*, ſcribit ille, *Eccleſia in omni loco ob eam, quam habet erga Deum, dilectionem, multitudinem Martyrum in omni tempore praemittit ad Patrem: reliquis autem omnibus non tantùm non habentibus hanc rem oſtendere apud ſe, ſed neque quidem neceſſarium eſſe dicentibus tale martyrium eſſe eorum.* Patribus ſcilicet hujuſce Seculi verum, perfectumque martyrium index erat, & documentum Apoſtolicae doctrinae in Eccleſia perſeverantis, & verae Eccleſiae ab Apoſtolica inſtitutione nullatenus recedentis. Hinc factum, ut veri martyrii norma in ipſis Encyclicis literis proponeretur, atque Eccleſiae omnes pro ejuſdem aeſtimio ſolicitè, accuratiſſimèque caverent. Ejus equidem diligentiae ſpe-

Digitized by Google

cimen erant delectus Diaconi, ac Presbyteri Martyrum, inquiſitio, & cuſtodia actorum Martyrii, ac tandem denunciatio in die natali omnibus Orbis Eccleſiis facta.

II. Ac Diaconi quidem deligebantur, qui Martyribus in carcere poſitis, alimenta, ceteraque ad victum neceſſaria praeberent; Presbyteri verò, qui martyrium obituros ad fortitudinem, conſtantiam, & fidem adhortarentur: actaque ſubinde martyrii Epiſcopis annunciarent. Hoc gradu fulgebat in Carthaginenſi Eccleſia Tertullus, de quo ad Clerum Carthaginenſem, ubi Diaconi, & Presbyteri Martyrum erant, ſcripſit B. Cyprianus: *Annotate dies eorum, quibus excidunt, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus. Quamquam Tertullus fideliſſimus, & devotiſſimus Frater noſter ..... ſcripſerit, ac ſcribat, & ſignificet mihi dies, quibus in carcere beati Fratres noſtri ad immortalitatem glorioſae mortis exitu tranſeant, ut celebrentur hic à nobis oblationes, & ſacrificia ob commemorationem eorum*. Exſtat Pii hujus nominis I. Romani Pontificis ad Juſtum Epiſcopum Viennenſem epiſtola, de cujus antiquitate dubitent licet eruditi, non tamen de receptis veterum moribus, atque inſtitutis ambigunt, quorum ſunt farrago quaedam non inutilis priſcorum Romanorum Pontificum decretales pleraeque. In ea autem legimus: *Attalus epiſtolas Martyrum portans, ad nos venit, gaudium inaeſtimabile faciens de triumpho eorum: qui dixit nobis, Sanctum verum Collegam noſtrum Victorem de Mundi Principe triumphaſſe*. Haud aliter Romani Presbyteri, quum Xiſtus Pontifex martyrium conſummaſſet, ejus rei certiorem fecêre S. Cyprianum Africae Primatem, qui ceteris per eas Provincias Collegis eadem de re ſcripſit epiſt. 80. *Xiſtum autem in coemeterio animadverſum ſciatis, octavo iduum Auguſtarum die, & cum eodem Quartum ..... Haec peto per vos, & Collegis noſtris innoteſcant*. Et B. Pontius in vita Cypriani: *Jam de Xiſto bono, & pacifico Paſtore, ac praeterea Beatiſſimo Martyre, ab Urbe nuncius venerat*.

III. Moris erat, ut denunciatio Primati fieret, qui per epiſtolam deinde ad omnes Collegas ſuos tum martyrii acta, tum diem

Digitized by Google

diem obitus Martyrum referrent. Hinc mos etiam profectus, ut Encyclicae à Primatibus aut dictarentur, aut evulgarentur, atque hoc ipſo ceterorum omnium conſenſu roboratae cenſerentur. Afri Epiſcopi in Carthaginenſi Synodo poſt ejectos Vandalos celebrata, id ſollenni decreto manifeſtum fecère. Nam cum ſub Arianorum & Principum, & Epiſcoporum tyrannide ſaluberrimae Eccleſiarum priſcae conſuetudines peſſum iviſſent una cum fidei dogmatis, Epiſcopi in plenario deinde Africae Concilio, ut omnia in priſtinum reſtituerent, cum multa ad publicum Africanae Eccleſiae ſtatum pertinentia, tum illud piè, ſapienterque conſtituerunt, ut univerſalia quaevis ſtatuta Primatis ſolius Carthaginenſis nomine ſubſcripta ederentur, perindeque fidem facerent, ac ſi fuiſſent ab omnibus ſubſcripta: *Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Si quae literae dictandae in Concilio plenario, venerandus Epiſcopus, qui huic Sedi praeſidet, omnium nomine dictare, & ſubſcribere dignetur*. Neque nova haec eſt illorum conſtitutio, aut ſingularis, ſed fuit univerſae Eccleſiae, ac potiſſimum Africanae, quae idipſum multò pridem in alio Carthaginenſi Concilio ſub Aurelio Primate aſſeruerat, & ut modo confirment, ad rem pergunt Epiſcopi: *Placuit etiam petitum omnium Epiſcoporum, ut Epiſtolis omnibus, de Concilio dandis, ſanctitas tua ſubſcribat*. Quamobrem quiſquis eſt Eccleſiaſticae antiquitatis ſtudioſus facilè advertet, quum in Encyclicis ſaepius Primatum dumtaxat conſenſus exprimitur, nomen, ac ſubſcriptio, perinde id cenſeri, ac ſi Epiſcoporum omnium Regni, ac Provinciae ſubſcriptiones intereſſent.

IV. Acta martyrii ita [quod multis placet] dicta ſunt, quia ab Actuariis, ſive exceptoribus primitivis deſumta: & quotquot vulgò inſcribuntur Acta, & ſunt tamen certò ſincera, ea ex autographis publicis actis ſunt excerpta. Ubi verò in hujuſcemodi narrationibus *Paſſio* occurrit, intelligendum id fortè venit, quòd ex Actis ſumta ſint ab Eccleſia principaliora, & per modum compendioſae narrationis digeſta, ut coram plebe Chriſtiana in conventibus legerentur, in quibus jam ab antiquiſſimis temporibus in die cujuslibet Martyris anniverſario Paſſio legi

Digitized by Google

legi conſuevit. Quocirca in Concilio Carthaginenſi Can. 46. & 50. decretum eſt: *Liceat etiam legi paſſiones Martyrum, cum anniverſarii dies eorum celebrantur*. Ad quae verba Balſamon notat: *Etiamſi in 24. Canone praeſentis Synodi Patres definierint libros, qui legi debeant; nunc tamen definiunt, eſſe quoque legendas commemorationes paſſionum Martyrum in anniverſariis eorum memoriis*. Canonem illum in epiſtola ad Carolum M. repetit Romanus Pontifex Hadrianus. *Vitae Patrum ſine probabilibus authoribus minimè in Eccleſia legantur. Magis autem Paſſiones Sanctorum Martyrum Sancti Canones cenſuerunt, ut liceat eas in Eccleſia legi, cum anniverſarii dies eorum celebrantur*. Hinc Liber, qui Paſſiones, ſeu Acta hujuſcemodi Martyrum, ad publicam Eccleſiarum lectionem deſtinata, complectebatur, Paſſionalis, & Paſſionarius dictus eſt. Sic apud Johannem de Janua. *Paſſionarium, liber continens Paſſiones*. Et Durandus lib. 6. Ration c. 1. n. 29. *Paſſionarius eſt liber continens Paſſiones Sanctorum, qui legitur in Eccleſia in Feſtis Martyrum*. Atque haec Actorum collectio compacta jam erat Gregorii Magni aevo, ſcribentis lib. 7. Indict. 1. epiſt. 9. *Nos autem penè omnium Martyrum, diſtinctis per dies ſingulos Paſſionibus, collecta in uno Codice nomina habemus*. Ac primum quidem non ſecus ac Paſſio Domini, in ipſis ſinceris actis legebantur: Sed opera ſubinde Monachorum, fuco amplioris enarrationis, Acta eadem multipliciter interpolata, à priſtina ſimplicitate exciderunt. Quamobrem in Regula S. Ferreoli dicitur: *Geſta Martyrum, id eſt, Paſſiones Sanctorum fidelium, quodam compaginata ſtudio, & ſermone digeſta ſunt, tempore, quo nobis diem migrationis eorum anni meta, curſus ſui legibus repraeſentat, recenſeri in Oratorio, audientibus cunctis, omninò decernimus*. Haud aliter Gregorius Turonenſis lib. de Glor. Martyr. cap. 86. *Dies Paſſionis erat Polycarpi Martyris Magni, & in Rotomagenſi vico Civitatis Arvernae ejus ſollennia celebrabantur. Lecta igitur Paſſione cum reliquis lectionibus, quas Canon Sacerdotalis invexit, tempus ad ſacrificium offerendum advenit*.

V. Diem autem mortis ſollenniter celebrabant fideles: & quoniam meliore, ac beatiore vita renaſci videbantur Martyres, obtinuit

Digitized by Google

tinuit, ut obitus natalis dies appellaretur. Atque in eo potiſſimum acta Martyrii recolebant, ſecuti monitum Pauli ad Hebr. ſcribentis cap. 3. *Mementote Praepoſitorum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis verbum, quorum imitantes exitum, imitamini fidem*. Qua verò ratione natalem diem appellarint, diſquirit S. Auguſtinus Comment. in Pſal. 39. & inquit: *Mortes, in quas Pagani ſaevierunt, in illis hodie reficimur, natalem Martyrum celebramus, exempla Martyrum nobis proponimus*. Et ſermone 10. de Sanctis: *Dignè natalem iſtum colimus, quo beatius aeternae vitae Mundum dedit, quam Mundo maternorum viſcerum partus effudit*. Tam latè verò obtinuit, & frequens, uſurpatumque fuit cognomentum illud, ut laudatus S. Doctor in ſermone 113. de Feſto S. Cypriani dixerit: *Spiritus Sanctus doceat nos in hac hora, quae oporteat dicere: dicturi enim ſumus aliquid de laude Cypriani glorioſiſſimi Martyris, cujus natalem hodie, ſicut noſtis, celebramus. Quod nomen ſic frequentat Eccleſia, ut qui etiam non ſunt in illa, hoc dicant cum illa. Quis enim hodie, non dicam in hac noſtra Civitate, ſed planè per Africam totam, tranſmarinaſque regiones, non Chriſtianus ſolus, ſed Paganus, aut Judaeus, aut etiam Haereticus poterit inveniri, qui non nobiſcum dicat, Natalem Martyris Cypriani? Quid eſt hoc, Fratres? Quando natus eſt, ignoramus: & quia hodie paſſus eſt, natalem ejus hodie celebramus*. Quò etiam reſpexit Chryſoſtomus homil. de Philogamo: *Feſtum Natalis eſſe Feſtum maximum*. Et ante illos B. Cyprianus de honore, quo Martyres natalitio illo die afficiebantur, ſcripſit epiſt. 67. ad Stephanum: *Servandus eſt enim Anteceſſorum noſtrorum Beatorum Martyrum Cornelii, & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam cum nos honoremus, multò magis tu, Frater cariſſime, honorificare, & ſervare gravitate, & authoritate tua debes, qui Vicarius, & ſucceſſor eorum factus es*.

VI. Honor autem hic tributus Martyribus in Eccleſia primitiva, ſummumque omnium ordinum in Martyres aeſtimium, pars quaedam Religionis fuit, & quin cultum religioſum involveret, nihil eſt dubitandum. Iccirco Eccleſiarum Antiſtites magna ſemper ſolertia, ſummoque ſtudio caverunt, necui religio-

ligioſum hunc cultum decernerent, qui ſuo reipſa merito mactandus hoc honore non eſſet: ejuſque rei gratia invigilarunt, ut ex certis indiciis merita uniuſcujuſque dijudicarent, & cauſſam martyrii, vitamque Martyris penitus internoſcerent. Ex multis Eccleſiaſticis monumentis, quae partim invidia temporum exciderunt, partim non eſt inſtituti noſtri percenſere, duae ſuperſunt ſpectabilium Eccleſiarum Encyclicae, quae cum ad hocce argumentum illuſtrandum, atque ad priſcum ſimul conſcribendarum literarum morem confirmandum faciant, hoc loco à nobis diligenter expendentur: praeſertim cum antiquitas religioſi cultus Sanctis attributi, magis hinc demonſtretur in perſuaſione veteris univerſalis Eccleſiae, ſplendeatque diligentia ejuſdem Eccleſiae, denunciantis paſſim fidelibus, honorandos, venerandoſque Martyres, & Natalem diem, feſtumque ſtatuentis. Equidem tria, quae hodièque Orthodoxi profitemur, dogmata, juvabit eadem in primaeva Chriſtianorum fide contemplari, cultum videlicet Sanctorum, tum Feſtorum uſum, denique declarationem, quam ſequior Aetas Canonizationem dixit Martyrum, aut Sanctorum quorumvis, qui colendi fidelibus proponerentur.

ſ. II.

De Encyclica Smyrnenſis Eccleſiae, qua univerſis Fidelibus Martyrium S. Polycarpi denunciatum eſt.

SYNOPSIS.

I. *Encyclicae hujus praeſtantia.* II. *Deſcribit martyrium B. Polycarpi Epiſcopi Smyrnenſis.* III. *Cur ad Philomelienſem, & ſimul ad univerſam Catholicam Eccleſiam inſcripta fuerit.* IV. *Profeſſio fidei à Polycarpo, atque ab aliis Martyribus edita, Encyclicis adjuncta eſt.* V. *Eae profeſſiones magno uſui Patribus,*

&

Digitized by Google

& Eccleſiae fuerunt. VI. *Proponunt Smyrnenſes venerationem, & Cultum Sanctorum.* VII. *Gentilibus ſuſpicantibus, ne cineres Polycarpi velut Dei adorarentur, cujuſmodi eſſet cultus ille, exponitur.* VIII. *Alia Martyrum ejuſdem aevi exempla non abſimilia.* IX. *Tomus Encyclicus ex Smyrnenſium, aliarumque Eccleſiarum literis ejuſdem argumenti.* X. *Expenditur annotatio temporaria Scriptoris Epiſtolae.* XI. *Dominicus Curſor electus eſt Marcus.*

I. CUm multa quantivis pretii Eccleſiaſtica monumenta ab Euſebio in Hiſtoria reſervata ſint, tum ultimo loco minimè eſſe debet epiſtola haec Encyclica Smyrnenſis Eccleſiae, non tam quod in ea genuini Encyclicarum characteres deprehendantur, quam inſuper, quod praecipuorum Catholicorum dogmatum rationes oppidò perſpicuas, atque certas ſuppeditet, & vim etiam propoſiti in Encyclicis magiſterii inſigniter edoceat. Rem itaque ut agamus, harum literarum veritas primum, & ut ajunt, identitas exploranda eſt, tum ſcopus, atque argumentum aperiendum, ut dogmatum eo tempore in communi profeſſione receptorum capita ſubinde enarremus. Ac Euſebius quidem earum literarum ſatis amplum fragmentum Hiſtoriae ſuae inſeruit, principio tamen, ac fine mutilum. Quum verò non ità pridem Jacobus Uſſerius Armachanus ex vetuſtiſſimis Codd. integram Smyrnenſem epiſtolam evulgaſſet, Valeſius in notis ad locum Euſebianum, quae deſiderabantur, adtexuit, & magno Eccleſiaſticae hujus diſciplinae illuſtrandae lucro vulgavit. Imo qua vir optimus fuit perſpicacia, veteris hujus ſcripti conditionem, & naturam olfecit, cum Euſebius praefaretur ad eam epiſtolam: *Cujus exitum, prout literarum monumentis proditus, hodieque circumfertur, huic Hiſtoriae neceſſario inſerendum putavi.*

II. Epiſtolae autem argumentum totum in B. Polycarpi Epiſcopi Smyrnenſis martyrio deſcribendo verſatur: imo non acta tantum, quae evenerunt, enarrat univerſa, ſed proponit etiam dogmaticam diſceptationem de vero Martyrio, ac conſummato Martyre, cui dies natalis, ac religioſus cultus debeatur. Rationes

Digitized by Google

tiones, quibus id adſtruit, infra referemus. Interim quemadmodum haec epiſtola in Encyclicarum cenſum veniat, diſquirendum; & quamobrem in eo, quod Polycarpum Martyrem imitandum propoſuerit, verumque ut Martyrem dignoſcendum, magiſterium Eccleſiae repraeſentet, nonnullis animadverſionibus aperiendum.

III. Aggredimur ab epiſtolae titulo, qui eſt hujuſmodi: *Eccleſia Dei, quae eſt Smyrnae, Eccleſiae Dei apud Philomeliam, & omnibus ubicumque terrarum Sanctae, & Catholicae Eccleſiae Populis miſericordia, & pax, & caritas Dei Patris, & Domini N. J. C. multiplicetur*. Cur verò Eccleſiae Philomeliae epiſtolam hanc diſtinctè inſcripſerint Smyrnenſes, quaeri poteſt. Philomelium Civitas eſt in Phrygia Auſtrali, Celaenis, & Laodiceae proxima: quod docent Strabo Geographus lib. 14. pag. m. 663., & Cicero lib. 3. epiſt. 8. & lib. 15. epiſt. 4. Eccleſia itaque Philomelienſis prima videtur à Smyrnenſi poſtulaſſe, ut Acta haec ad ſe mitteret. Id etiam fortè contigit, quod pro more inter liberas Aſiae Civitates recepto, peculiaris ſocietas aliqua populum inter & populum intereſſet. Verumtamen non id Smyrnenſi Clero propoſitum fuit, ut ad hanc peculiarem Eccleſiam ſcriberet, ſed ad univerſas per Orbem Eccleſias ſcribere utique conſtituerat. Quod imprimis docet titulus: *Et omnibus ubicumque terrarum Sanctae, & Catholicae Eccleſiae Populis*. Deindè loco *Philomeliae*, legitur in ejuſdem Epiſtolae editione Coteleriana: *Eccleſiae Philadelphiae*. Quod minimè arbitrandum eſt Scribarum vitio contigiſſe, ſed quia Curſor, qui epiſtolam dedit, nomina Eccleſiarum iis exemplaribus omnibus inſcribere conſueverat, quae apud eas relinquebat. Quemadmodum agentes de epiſtola S. Pauli ad Epheſios, ex Baſilio obſervavimus, eandem variis Eccleſiarum nominibus inſcriptam reperiri, quòd cum eſſet Encyclica, Tychicus Curſor unicuique exemplari ejus Eccleſiae nomen inſcriberet, ad quam deferebat. Nemo enim, qui ſanae mentis ſit, vocare in controverſiam debet, ab ipſa Smyrnenſi Eccleſia authographum aliud exemplar dirigi ad Philadelphienſes potuiſſe, ex quibus XII. Martyres unà cum B. Polycar-

lycarpo occubuerant. Quod etiam ſub finem hujus Encyclicae legimus: *Haec de B. Polycarpo, qui cum aliis XII. Philadelphienſibus apud Smyrnam martyrio eſt coronatus*. Quamquam non eſt dubitandum, quin alia praeceſſerit epiſtola Smyrnenſis Eccleſiae ad Philadelphienſem, in qua de hiſce Martyribus, eorumque actis ageretur. Nam hoc innuunt verba illa, quibus Encyclica haec initium facit: *Scripſimus vobis, Fratres, tum de reliquis Martyribus, tum de B. Polycarpo*. Et in fine ejuſdem epiſtolae. *Ac vos quidem petieratis, ut cuncta, quae geſta ſunt, fuſius exponeremus: Nos verò in praeſentiarum brevi compendio indicavimus per Fratrem noſtrum Marcum*. Ex quibus dilucidius conſuetudo iſtiuſmodi epiſtolarum apparet, ut nomina, & acta Martyrum Evangelicorum ad promovendum cultum exponerentur. Tandem quod propoſitum mittendae in univerſum Orbem Encyclicae explicuerant Smyrnenſes verbis illis: *Eccleſiae Catholicae Populis*, ſub finem manifeſtius explicant. *Quae vos poſtquam acceperitis, rogamus, ut ad Fratres, ulterius poſitos, epiſtolam tranſmittatis: quo & illi Dominum benedicant*. Quo de more in noſtra Diſſert. I. actum eſt.

IV. Docuimus non ſemel, fidei profeſſiones inſertas plerumque Encyclicis, grave argumentum veritatis fuiſſe apud primitivos Chriſtianos: authores etiam Encyclicarum profeſſiones ſive à propria Eccleſia, ſive ab inſignibus in Eccleſia viris emiſſas, inſerere conſueviſſe: denique profeſſiones eaſdem ſervatas diligenter fuiſſe ab Eccleſiis, ac potiſſimum ab Eccleſiarum Apoſtolicarum Doctoribus, in ſincerae, ac genuinae aſſervatae Traditionis argumentum. Ab hiſce inſtitutis ne hilum quidem defecerunt Smyrnenſes Preſbyteri, & Catholicam profeſſionem Polycarpi, martyrium conſummaturi, hujuſcemodi Encyclicae integram adtexuerunt. Neque pauca ſunt priſcorum Martyrum acta, in quibus fidei profeſſiones emiſſae ab iiſdem, antequam glorioſum exitum obirent, accuratè, diligenterque deſcribuntur. Quin etiam aliquas prae fervoris affectu in publicis Eccleſiarum precibus uſurpatas novimus. Sic cum Athenogenes igne eſſet ob fidem urendus, hanc orationem dixit: *Lumen hilare,*

ſan-

ſanctae gloriae immortalis Patris Coeleſtis, Sancti, Beati, Jeſu Chriſte, quum ad ſolis occaſum pervenerimus, lumen cernentes Veſpertinum, laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Deum. Dignus es tempore quovis ſanctis vocibus celebrari, Fili Dei vitae Doctor, quapropter Mundus te glorificat. Meminit ejus profeſſionis S. Baſilius de Spiritu S. cap. 9., ubi quum probaſſet ex Apologia Dionyſii Alexandrini ad Dionyſium Romanum directa, ſimilis formulae veritatem, qua clauſit Apologiam, mox ſubjungit: *Viſum eſt Patribus noſtris veſpertini luminis gratiam haudquaquam ſilentio arripere, ſed mox ut apparuit, agere gratias. Quis autem fuerit author illorum verborum, quae dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non poſſumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam unquam viſi ſunt impietatem committere, qui dicunt: Laudamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Deum. Quod ſiquis etiam novit Athenogenis hymnum, quem tanquam agreſſorium diſcipulis ſuis reliquit, feſtinans jam ad perfectionem, quae fit per ignem, is novit & Martyrum ſententiam de Spiritu*. Addit etiam, pleraſque omnes Eccleſias, quas ſigillatim enumerat, in ea conſuetudine perdurare, ut publicè in Eccleſiis hymnum illum veſpertinum quotidiè dicerent.

V. Has itaque profeſſiones & ad Eccleſias fuiſſe tranſmiſſas, & magna religione retentas, ad fidem etiam faciendam adduci à Patribus conſueviſſe, in numerato eſt. Quapropter nullus dubito, quin hùc reſpexerit S. Hieronymus, quum adverſ. Helvidium cap. 9. ſcripſit: *Nunquid non poſſum tibi totam Veterum ſcriptorum ſeriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Juſtinum Martyrem, multoſque alios Apoſtolicos, & eloquentes viros, qui adverſus Hebionem ...... haec eadem ſentientes, plena ſapientiae volumina conſcripſerunt?* In profeſſione enim Polycarpiana certiſſima confeſſio eſt conſubſtantialitatis Divini Verbi, ut praetermittamus, eundem Martyrem in aliis etiam epiſtolis, quae interciderunt, quaſque Encyclicas ab eo datas, ſupra commonuimus, idipſum docuiſſe: quod docent vel fragmenta earumdem epiſtolarum, quae primus vulgavit Fevardentius in Not. ad lib. 3. Irenaei cap. 3., atque alii ſubinde, qui Patrum Apoſtolicorum colle-

collectiones dederunt. Ad idem Smyrnenſis hujus Encyclicae magiſterium reſpexiſſe videtur Manſurius Primas Carthaginenſis, qui offerentes ſemet Praeſidibus ad martyrium, redargutos in ea ſcribit. Legebatur autem in actis Collationis diei III. cap. 13. *In eiſdem etiam Literis lectum eſt, eos, qui ſe offerrent perſecutionibus non comprehenſi, & ultrò dicerent, ſe habere Scripturas, quas non traderent, à quibus hoc nemo quaeſierat, diſplicuiſſe Manſurio, & ab eis honorandis cum prohibuiſſe Chriſtianos*. Ex quibus duo perſpicuè colliguntur. I., ex ea Smyrnenſium epiſtola teſtimonia fuiſſe deſumta, ut ſanciretur, non licere Chriſtianis ſemet perſecutioni offerre: & ſiqui id tentarent, eos ab honore Martyribus debito excludendos. II. Fuiſſe Epiſcoporum eam ſolicitudinem, ut probarent, qui Evangelicum martyrium ſubiiſſent, qui verò ſecus.

VI. Alterum autem dogma de veneratione, cultuque Sanctorum in eadem Encyclica inſigniter exprimunt Smyrnenſes. Scribunt enim, Chriſtianos omnes ſolicitos fuiſſe de Polycarpi reliquiis, atque ea id quidem mente, *ut Fideles communicarent Sancto Cadaveri*. Quibus duo itidem docemur. I. Cadaver Sanctum vocari, proindèque dignum veneratione, non ſecus ac vaſa ſancta dicebantur, ſeu, cum honore habenda. II. Expetitas ejuſdem Reliquias à Fidelibus, ut illi communicarent, ſeu cultu religioſo proſequerentur. Phraſeologìa haec erat Seculi illius. Namque in Actis martyrii Sancti Ignatii legimus ſub finem, Eccleſiam multis viſionibus certiorem factam de recepta à S. Martyre beatae vitae retributione, additurque: *Sanctum Beatum diximus, vobiſque diem, & tempus indicavimus, ut tempore ejus martyrii convenientes, Athletae, & generoſo Chriſti Martyri communicemus*.

VII. Sed ut dogmatis hujuſce documenta luculentiora ex hac Encyclica depromamus, juvat ad Paganorum, Judaeorumque calumnias, & conſilia animum intendiſſe. Ii ſcilicet non ignari, quanta veneratione Chriſtiani ad religioſam hanc communionem participandam eos proſequerentur, qui conſummato martyrio glorioſam mortem oppetierant, ſolicitè curarunt,

ne Beati ſenis Polycarpi cineres recolligerent, invidiam ex eo creantes, quòd illum, ceu Deum, eſſent adoraturi. Qua de re ſcribunt Smyrnenſes Clerici: *Quidam igitur ſuggeſſerunt Nicetae Herodis Patri, Fratri autem Dalies, ut Proconſulem adiret, moneretque, ne cadaver illius donaret; ne fortè, ut aiebant, relicto Crucifixo, hunc deinceps Chriſtiani colere inciperent. Et iſti quidem haec dicebant, ſuggerentibus, atque inſtantibus Judaeis, qui etiam noſtros ſolicitè obſervaverunt, cum è rogo corpus auferre tentarent.* Quorsùm autem ea Fidelium ſolicitudo in reliquiis exquirendis, quorsùm & Judaeorum calumniae, niſi commune dogma inter Fideles fuiſſet, Martyrum corpora ſancta eſſe, atque adeò veneranda? Sed calumniam quidem refellunt Clerici, & quo cultus genere à Fidelibus reliquiae honorarentur, aperiunt. *Stulti, qui ignorant, nos nec Chriſtum unquam poſſe relinquere, qui pro ſalute omnium quotquot ex genere humano ſalvi futuri ſunt, mortem pertulit, nec alium quemquam colere; illum enim utpotè Filium Dei adoramus: Martyres verò tanquam Diſcipulos, & imitatores Domini, meritò amore proſequimur, ob eximiam ipſorum benevolentiam, quam erga Regem, ac Magiſtrum ſuum declararunt. Quorum nos quoque conſortes, & condiſcipulos fieri, omnibus modis optamus.* Adorationem itaque Chriſto debitam adſtruunt, quia eſt Deus homo; unde Divini Verbi conſubſtantialitas ſequitur: amorem verò, ſeu honorem religioſum Martyribus docent attribui ob rationem quandam naturae limites ſupergredientem, ſeu ob eximiam erga Chriſtum caritatem, quam in ſubeundo Martyrio exhibuerant. Sed dilucidiùs etiam mentem ſuam aperiunt Smyrnenſes, dum ſubjiciunt. *Atque ita demum oſſa illius gemmis pretioſiſſimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco nobis, ſi fieri poterit, convenientibus concedat Deus Natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros ejuſmodi exemplo erudiendos, & confirmandos.* Gemina ſunt iis, quae in Actis S. Ignatii propè finem leguntur. *Solae enim duriores Sanctarum ejus Reliquiarum partes relictae ſunt, quae Antiochiam delatae ſunt, & in ſudario*

Digitized by Google

dario depoſitae, theſaurus ſanè inaeſtimabilis, ob Martyris gratiam Eccleſiae relictus. Polycarpi cineres gemmis à Smyrnenſi Eccleſia comparantur: Ignatii verò oſſa in Encyclica de illius martyrio theſaurus inaeſtimabilis nuncupantur. Doctrina interim haec de cultu Sanctorum ſedulo eſt animadvertenda, cum & hinc Carolinorum librorum ſententiam aſſequi valeamus, dum negant, vel Imagines, vel Sanctos eſſe adorandos, ſed ex motivo ſupernaturali, religioſo dumtaxat cultu proſequendos. Unde Gallicanorum Antiſtitum de eo dogmate fides vendicatur, quam vel malae cauſſae aſtu, vel inſcitia proſcindunt paſſim Heterodoxi. Alia fidei dogmata, ſi hoc loco id ageremus, pronum eſſet ex eadem Encyclica illuſtrare, quorum amplam ſegetem benevolo Lectori comparandam relinquimus,

VIII. Praeſtabit obſervaſſe, Eccleſiam Smyrnenſem non id primam excogitaſſe, ut Encyclicas de martyriis, & fidei profeſſionibus literas in omnem Eccleſiam tranſmitteret. Secuta illa eſt S. Lucae exemplum, qui Stephani, aliorumque glorioſos obitus ad communem Fidelium eruditionem conſcripſit. Praeïverunt etiam collectores actorum martyrii S. Ignatii, quae fortè mutila primum ad Eccleſias fuere tranſmiſſa. Colligo id ex fine Actorum, ubi dicitur: *Horum nos ipſi ſpectatores facti*. Non unus itaque actorum illorum ſcriptor. Et paullò poſt. *Vobis diem, & tempus indicavimus*. Similia occurrunt alia, ex quibus liqueat, ejuſmodi acta, ad inſtar Encyclicae epiſtolae, vel à ſociis S. Ignatii Martyris, vel ab Eccleſia Romana aliis paſſim Eccleſiis denunciata fuiſſe. Nec deſunt praeclara ejuſdem temporis Encyclicarum hujuſcemodi exempla; omniumque loco eſſe poteſt, quod Euſebius lib. 4. Hiſtor. cap. 15. quum recenſuiſſet Smyrnenſium literas, continuò ſubtexuit. *Celeberrimus quoque inter reliquos ejus temporis Martyres fuit Pionius. Cujus ſingulas confeſſiones, ac libertatem in dicendo, utque coram Populis, ac Praeſidibus pro fidei noſtrae defenſione peroraverit: conciones item de inſtitutione fidei; praeterea cohortationes, atque invitationes ad eos, qui perſecutionis tempore lapſi fuerant: allocutiones etiam, & conſultationes, quas in carcere poſitus adeuntibus ipſum Fratribus adhibuit; quae*

ſuper his tormenta, quantoſque dolores ſuſtinuerit : Clavorum inſuper confixiones, & mirabilem in medio rogo conſtantiam: mortem denique ipſam, quae cuncta illa miracula ſubſecuta eſt, ſiqui volent cognoſcere, eos ad epiſtolam de illius martyrio uberrimè conſcriptam amandamus, quam nos in opere de priſcis Martyribus, quorum paſſiones collegimus, ordine ſuo inſeruimus. Aliorum praeterea, qui in Urbe Aſiae Pergamo ſub id temporis martyrium paſſi ſunt, acta etiamnum circumferuntur, Carpi videlicet, Papuli, & mulieris cujuſdam Agathoniae: qui poſt multas, atque illuſtres confeſſiones, glorioſo exitu conſummati ſunt.

IX. Quod autem dixit Euſebius, quum ad Smyrnenſium epiſtolam praefaretur, eam vetuſtis *literarum monumentis* contineri, quae tunc exſtarent omnibus obvia, idem poſt Encyclicae enarrationem verbis hiſce confirmat. *Sed & alia martyria ſub idem tempus, quo Polycarpus paſſus eſt, apud Smyrnam facta, in eadem epiſtola conjunctim leguntur, in quibus & Metrodorus quidam, qui Marcionis ſectae Presbyter dicebatur, flammis conſumtus interiit.* Monumenta illa literarum nihil erant aliud, quam unus quidam Encyclicus Tomus, in quo id genus epiſtolae ſimul collectae comprehendebantur. Quapropter Valeſius optimè annotat, locum Euſebianum perperam ab aliis intellectum, quaſi ille dixiſſet, omnia martyria, quae tunc in variis Civitatibus evenerant, à Smyrnenſi Eccleſia in hac ſua Encyclica fuiſſe conſerta, Pionii nempe, Metrodori, Philadelphienſium, aliorumque. Loquitur autem Euſebius alio ac diverſo ſenſu. Namque id tantum innuit, alia martyria per alias, atque alias Encyclicas denunciata, in illis literarum monumentis comprehendi: atque adeò praeter hanc Smyrnenſium Encyclicam, eſſe alteram deſcribentem Pionii Martyrium, alteram Philadelphienſium, alteram Metrodori, & Pergamenſium Martyrum alteram, diverſis eas temporibus exaratas, & Eccleſiarum ſolicitudine in unum volumen compactis. Haud aliter ac cum ipſe Euſebius collegiſſe dicitur paſſiones Martyrum Palaeſtinae, non quod in una quapiam epiſtola omnium illorum martyria deſcripta eſſent, intelligitur, ſed quod ex variis epiſtolis, quas diverſae Eccleſiae de Martyribus Palae-

ſtinae

Digitized by Google

ſtinae conſcripſerunt, & in unum aliquem Encyclicum tomum collegerunt, Euſebius eam Martyrum Palaeſtinorum Hiſtoriam compilavit.

X. Clerici tandem Smyrnenſes Encyclicam claudunt, annotando annum, diemque Martyrii: haud aliter ac in altera Encyclica Actorum Martyrii S. Ignatii id annotatum num. 6. legimus. *Haec autem acta ſunt ante diem XIII. Kal. Januarias, hoc eſt viceſima die menſis Decembris, apud Romanos Conſulibus Sura, & Sedecio*. Imò à Smyrnenſibus dies, atque annus potioribus Chronologicis characteribus, & notis conſignati deprehenduntur. *Paſſus eſt autem Beatus Polycarpus die ſecundo menſis Xanthici, ante diem ſeptimam Kalendas Martias, magno Sabbato, hora octava. Captus eſt ab Herode, Pontifice Aſiae, Philippo Tralliano, Statio Quadrato Proconſule, Regnante in ſecula Jeſu Chriſto, cui gloria, honor, majeſtas, ac thronus ſempiternus ab aetate in aetatem*. Hi Chronologici termini materiam praebuere uberrimam eruditis viris, ut in hoſce characteres multa accuratè commentarentur. Additur etiam: *Univerſi, qui nobiſcum ſunt, vos ſalutant, & Evareſtus hujus epiſtolae ſcriptor*. Ex quo illud eruere pronum eſt, ad haſce Encyclicas nomine Eccleſiae conſcribendas, atque ad cetera monumenta publica conficienda, aliquem ex Apoſtolica inſtitutione delegi conſueviſſe. Praeïverat enim hac in re Paulus in epiſt. ad Romanos, cujus in cap. ult. v. 22. legimus: *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam in Domino*. Morem ſecutae ſunt Eccleſiae, & imprimis Martyres, qui, cum aliquando pacem lapſis in Deciana perſecutione inconſultius dediſſent, Encyclicum ſcriptum emiſſuri, Lucianum delegerunt. Sic enim integra habet eorum apud Cyprianum epiſtola num. 17. *Scias, nos univerſis, de quibus apud te ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint, dediſſe pacem: Et hanc formam per te & aliis Epiſcopis innoteſcere voluimus. Optamus, te cum Sanctis Martyribus pacem habere. Praeſente de Clero & Exorciſta, & Lectore. Lucianus ſcripſit*. Ubi cum Encyclica univerſis Epiſcopis eſſet denuncianda, conſueti adhibentur characteres: praeſentia Clericorum, Exorciſtae, & Lectoris exprimitur: Lucianum pariter ſcripſiſſe, mo-

netur: more ſcilicet recepto, ut Clericorum alter, qui ſcriberet, alter qui deſcriptum exemplar ad cuſtodiam acciperet, Encyclicis conficiundis intereſſent. De quo alibi prolixius.

XI. Ultimo demùm loco aïunt Smyrnenſes, Dominicum Curſorem fuiſſe electum, qui Encyclicam uſquequaque deferret: *Nos verò*, inquiunt, *in praeſentiarum brevi compendio indicavimus per Fratrem noſtrum Marcum*. Equidem tanta ſolicitudo, totque adhibita inſtrumenta ad epiſtolam iſtiuſmodi conſignandam, ſatis manifeſto probant, quantopere Eccleſiae priſci Doctores aeſtimarent id genus ſcriptorum ad fidem, diſciplinamque Chriſtianam vendicandam.

§. III.

De Formula Epiſtolari
Regnante in ſecula Chriſto,
A Smyrnenſi, atque ab aliis Eccleſiis adhibita.

SYNOPSIS.

I. *Ea Formula adhibita ad Theocraticum Eccleſiae regimen indicandum*. II. *Occurrit in Actis SS. Martyrum Cyriaci, Largi, & Sociorum*. III. *In Actis Tergeminorum, & Fauſtini*. IV. *In Actis Didymi*. V. *Alexandri Lugdunenſis*. VI. *Alexandri, & Antoninae, aliorumque*. VII. *Luperci*. VIII. *Proceſſi, & Martiniani, aliorumque*. IX. *Univerſale, aeternumque Regnum Chriſti exprimitur in Actis Suſannae, Felicis, & Adaucti, Kunegundis, aliorumque*. X. *Mos idem invaluit etiam poſt uſum Aerae Chriſtianae invectum*. XI. *Perduravit ſub Regibus Carolovingis*. XII *Seculo undecimo apud Epiſcopos plurimos adhuc viguit*. XIII. *Duplex Chriſti Regnum, naturale, & perſonale*. XIV. *Horum alterum Regnum in Eccleſia exercet*. XV. *Qua ratione illud ipſum conſtet*. XVI. *Locus S. Pauli* 1. *Corinth*. 15. *v*. 24. *ab Arianorum cavillationibus expeditur*. XVII. *Eadem Formula*, Regnante Chriſto, *in Conciliis adhibita*. XVIII. *Exemplis Concilii Braccarenſis, & Lucenſis id expenditur*. XIX. *Quo jure uſus*

uſus ſit Martinus Braccarenſis in vulgandis Encyclicis. XX. *Eundem morem ſequitur Toletanum tertium.* XXI. *Itidem Romanum ſub Gregorio M.* XXII. *Barcinonenſe ſub ipſum initium.* XXIII. *Herudſordienſe in Anglia.* XXIV. *Clovesbovienſe ſecundum, in quo de Encyclicis Zachariae Pont.* XXV. *Forojulienſe, & in Capitularibus.* XXVI. *Celicbytbenſe.* XXVII. *Sequiorum Conciliorum exempla.* XXVIII. *Aevo Polycarpi quomodo Eccleſiaſtica ſcripta, quomodo Politica evulgarentur.*

I. FOrmula haec celeberrima, quae antiquarum ſcriptionum character eſt, ea potiſſimum mente fuit uſurpata, ut intelligeremus, Eccleſiam in ſtatu Theocratico eſſe, atque à Chriſto dirigi, Sanctoque Spiritu animari. Juvat iccircò nonnulla in eam commentari, ut Encyclicae Smyrnenſis epiſtolae vim, atque pondus aeſtimemus. Id quod methodicè tunc demùm conſequetur, quum formulam ipſam, ejuſque uſum, tum qua ratione Chriſto Regnum conveniat, expenderimus. Praeïvit nobis in hoc argumento Stephanus Baluzius, vir ad rem omnem Eccleſiaſticam illuſtrandam natus; multaque in appendice Capitularium Francorum monumenta protulit, in quibus praedicta formula inter notas characteriſticas temporum legitur. Poſt meſſem tamen, quam & alii attigêre, ſupereſt manipulis locus, & alia atque alia ſunt documenta, quorum ſeriem texemus, ut perſuaſionis hujus antiquitas, & perpetuus, nec interruptus uſus appareat. Acta Martyrum imprimis expendemus, quae vel apud Bollandianos, vel apud Surium, Mombritium, alioſque collectores proſtant, & in quibus ſint licet aliqua interpolata, & poſteriori manu aucta, id tamen in numerato eſt, eos ipſos, qui interpolarunt, formulam hanc non omittendam putaſſe, quod germanorum Actorum indicem eſſe viderent.

II. Paſſi ſunt Januarii 17. ſub Maxentio Cyriacus, Largus, Smaragdus, Creſcentianus, Mamia, Julianus. De loco autem, quo beata oſſa tumulata ſunt, dicitur in Actis. *Sanctorum corpora ſepulta ſunt in via Oſtienſi ..... ubi Orationes eorum florent nunc, & ſemper, & quouſque Mundus volvitur. Regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor.*

 III.

III. Acta Tergeminorum ſub Marco Imperatore paſſorum 17. Januarii, ſic habent. *Inventio Sanctorum Corporum Tergeminorum, vel dedicatio ipſius Baſilicae eſt colenda* 14. *Kal. Octobris. Regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto*. Et ad diem 15. Februarii in actis Fauſtini, & aliorum, qui ſub Hadriano coronati ſunt, formula eadem repetitur.

IV. Didymi Acta ſub Diocletiano paſſi Aprilis 5., habent: *Martyrio functus eſt S. Didymus Nonis Aprilis, regnante in Coelis Domino Noſtro Jeſu Chriſto*. Haſce verò formulas in antiquis, & non interpolatis actis exſtitiſſe, vel indè docemur, quod dies in iis annotata,cum Martyrologio planè reſpondeat: unde colligendum eſt, actorum ſiqui fuerunt ennarratores, haud omittendum duxiſſe hanc characteriſticam notam, ne interpolationis, aut falſitatis apertae dicam incurrerent.

V. Aprilis die 24. acta occurrunt Alexandri Lugdunenſis ſub Marco paſſi, & pro more dicitur. *Non ambigamus, vera eſſe, quae & audita, & viſa ſemper diximus, & manifeſtamus, regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto*.

VI. Alexandri, & Antoninae ſub Diocletiano acta ad diem 3. Maii habent: *Martyrium compleverunt Sancti Martyres Alexander, & Antonina, V. Non. Maii hora 9., die Sabbati. Regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto*. Hinc uſus deſignandae diei, & horae, quod & in noſtra Encyclica factum eſt. Similia leguntur ad diem VIII. Maii in Actis Acacii; ad diem 9. Junii in actis Primi, & Feliciani, & in Actis Viti, qui omnes ſub Diocletiano paſſi ſunt.

VII. Luperci acta ad diem 28. Junii, ſub Diocletiano pariter coronati, exhibent judicii ſententiam in hunc modum: *Jubeo, te extra Civitatem, Heliſonam ab apparitoribus duci, & capitalem ſubire ſententiam: die 4. Kal. Juliarum; Regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto unà cum Patre*.

VIII. In Actis pariter Proceſſi, & Martiniani, ſub Nerone paſſorum, legimus. *Plexi ſunt 6. Non. Julias, via Aurelia, ubi etiam praeſtantur beneficia eorum uſque in hodiernum diem. Regnante Domino Deo, atque Salvatore Noſtro Jeſu Chriſto*. Ubi animadver-

Digitized by Google

vertenda ſunt verba illa, *Dei*, & *Salvatoris*, quibus praeclara Divinitatis Chriſti confeſſio continetur. Formula autem conſueta occurrit in actis S. Symphoroſae ad 18. Julii; in actis Platonis ad 22. Julii, in paſſione Memmii ad 5. Auguſti; Pauli, & Julianae ad 17. Auguſti; Firmini ad 1. Septembris; Domnini ad 9. Octobris, & plurium aliorum.

IX. Multa autem ſunt alia acta, in quibus Regnum Chriſti aut ſupra Mundum univerſum extendi, aut perpetuum aeternumque fore exprimitur. Sic in actis Suſannae ſub Diocletiano paſſae, Auguſti 11. legimus: *Factum hoc eſt Romae Sexta apud vicum Mamurri ante Saluſtii forum: Regnante in univerſo Mundo D. N. J. C.* Et in actis S. Felicis, & Adaucti ſub Diocletiano, die 30. Auguſti. *Paſſi ſunt Martyres 3. Kal. Septemb. Regnante Domino noſtro ſine fine. Amen*. In vita autem Kunegundis. *Tranſiit anno Dominicae Incarnationis* 1040., *Indict. V. Non. Martii, regnante in aeternum, qui dicitur Corona Virginum, Domino Noſtro Jeſu Chriſto*. Similiter eſt in actis Siſinnii, & Alexandri anno 402. Maii 29. paſſorum. *Acta ſunt haec ſub die 4. Kal. Junias, regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto in ſecula ſeculorum. Amen*. Et in vita Capraſii Lirinenſis A. C. 430. Jun. 1. denati. *Ibi ſepultus eſt, regnante D. N. J. C. in ſecula ſeculorum. Amen .... Capraſii vitam pro noſtrae modulo virtutis imitemur, regnante D. N. J. C. in ſecula ſeculorum. Amen*. Paullò aliter in vita Vedaſti ad 5. Auguſti: *Auxiliante nobis Rege aeterno D. N. J. Chriſto*. In vita Winoci: *Obiit VIII. Idus Novembris, atque in praedio ...... humatus eſt, regnante in perpetuum D. N. J. Chriſto*. Et in vita Majoli Cluniacenſis, anno 994. defuncti. *Dormivit cum Patribus ſuis V. Iduum Majarum, Feria vi., ſepultuſque eſt in Baſilica B. Petri ...... Regnante in perpetuum Domino N. J. C.*

X. Tantae erat ea nota in publicis ſcriptis aeſtimationis ad ſpeciale Chriſti Regnum in Eccleſia explicandum, ejuſdemque perpetuitatem conſtabiliendam, ut ne adhiberi quidem tunc demum deſierit, quum nota anni Incarnationis uſurpata eſt. Hinc in actis Modoaldi Trevirenſis, qui circa ann. 630. in Concilio Rhemenſi ſubſcriptus reperitur, utramque notam legimus,

Ac-

Acta ſunt haec anno Dominicae Incarnationis 1007. *à Ven. Thietmaro, hujus nominis ſecundo, ſucceſſione autem ſexto ejuſdem loci Abbate, anno Ordinationis ejus* 27. *Regnante D.N. J.C. cum Patre &c.* Et in vita Bonifacii Moguntini. *Paſſus eſt cum Sociis, Nonis Junii anno peregrinationis ſuae* 40., *Incarnationis autem Dominicae* 755. *Regnante eodem Domino, cui &c.* Imò neque omiſſa tunc fuit formula illa, quum dominationis Perſecutorum tempora ſignarentur. Ad 3. Januar. Acta Petri Aulonenſis ſic habent: *Martyrizatus eſt apud Aulonem Civitatem III. Nonas Januarias ſub Maximiano Imperatore. Regnante D. N. J. C., cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen.* Inſuper in laudatis Pionii actis ad 1. Februar. notatum eſt, hanc formulam propriam eſſe Chriſtianorum. *Haec acta ſunt Julio Aſiae Proconſule, Proclo, & Quintilliano Magiſtratum gerentibus: Conſule tertium Meſſio Quinto Trajano Decio Auguſto, ante iv. Idus Martias, more Romanorum: Aſiae autem more, Nonis menſis II., die Sabbati hora* 10.: *ut nos autem loquimur, Regnante D. N. J. Chriſto.* Sic acta Sabini ad 13. Martii: *Martyrio coronatus eſt Sabinus III. Idus Martii, regnante impio Diocletiano, imo vero Domino N. J. Chriſto.* Et in vita B. Marci Evangeliſtae. B. *Marcus Evangeliſta, imperante Claudio Nerone Caeſare: nobis Chriſtianis imperante D.N.J.C.* Acta Leontii ad 18. Junii. *Martyrium complevit Chriſti Martyr Leontius*, 18. *menſis Junii . . . . . . ſub Imperatore Veſpaſiano: In nobis autem regnante D. N. J. Chriſto.* Acta Athenogenis die 17. Julii. *Decertarunt ii Sancti imperante Diocletiano: In nos autem regnante D. N. J. Chriſto.* Acta Stephani Papae ad diem 2. Auguſti. *Coadunata Eccleſia Chriſtianorum, ordinaverunt in locum Beati Stephani, Sixtum natione Graecum, patria Athenienſem, Epiſcopum* 9. *Kal. Septembr. Valeriano IV., & Galieno II. Coſs. Apud nos autem regnante D. N. J. Chriſto.* Eâdem formulâ utuntur Acta Epulii ad diem II. Auguſti. Et Acta Theodori ad diem 9. Novembris, & Anyſiae ad 30. Decembris. *Haec ſuſtinuit Sancta, imperante Maximiano, in nos vero regnante in infinita ſecula Chriſto Jeſu Domino Noſtro.* Et in paſſione XI. Martyrum. *Paſſi ſunt XI. Martyres* 7. *Idus Martii, Licinio Imperatore: imò verò Domino noſtro J. Chriſto regnante.* Paſſio S. Placidi ad

Digitized by Google

ad diem. v. Octobris. *Paſſus eſt Beatiſſimus Placidus . . . . . ſub ſaeviſſimo Rege Abdala, & Duce Mamucha, XIII. Juſtiniani Imperatoris apud Meſſanam Siciliae Civitatem, III. nonas Octobris, regnante D. N. J. Chriſto*. Formulam hanc etiam exhibuit Caniſius in Antiq. Lectionibus. *Regnante in perpetuum D. N. J. C. In anno vero xxii. regni religioſiſſimi Taſſilonis gentis Boïariorum . . . . . atque anno ab Incarnatione Dominica 772. Indictione II.*

XI. Poſtquam Francorum Regnum in Carolovingis ſtabilitum eſt, coeperuntque ſaepius Eccleſiaſticae donationes literarum monumentis conſignari, fermè in omnibus publicis ſcriptionibus formula illa fuit praepoſita, aut adjecta. Inter veteres Scriptores Francicos in Tom. III. exſtat Codex Carolinus, quem multi ab ipſo Carolo M. collectum cenſuere. In operis autem Epigraphe legimus. *Regnante in perpetuum Domino, & Salvatore Noſtro Jeſu Chriſto, anno Incarnationis ejuſdem Domini Noſtri 791. Carolus excellens &c.* Id quod ab aliis etiam Regibus eodem tempore uſurpatum legimus. Namque exſtat etiamnum Offae Regis Merciorum charta S. Albani Verolam., cujus tale eſt exordium, & finis non abſimilis. *Regnante D. N. J. C. in perpetuum. Decet Regalis . . . . Scripta eſt haec charta anno Domini Incarnationis 793. Indictione 3. anno vero Offani Regis Merciorum 33. in loco celebri, qui dicitur Celcyth, praeſenti ſynodali conventu, teſtibuſque infra nominatis confirmata. Data Deo regnante in perpetuum.* Paullò aliter alia ejuſdem S. Albani donatio. *Regnante in perpetuum Deo, & Domino Jeſu Chriſto. Licet per totum ubique . . . . . . Perſcripta eſt autem huius donationis chartula anno Domin. Incarnationis 795. Indict. 5. & Regni Offani 35. ſub iv. nonas Maïas, in loco &c.* Abbas quoque Anſegiſus in praef. ad Capitularia ſua multò luculentius ſcripſit. *Dominante per ſecula infinita omnium Dominatore, Chriſto Salvatore noſtro, Creatore univerſae creaturae. Anno Incarnat. ipſius 817. Indict. 5. Anno vero 17. Imperii glorioſiſſimi Ludovici Auguſti Chriſtianae Religionis magni propagatoris, & Lotharii Caeſaris filii ipſius. Anſigius &c.* Et Theganus de geſtis Ludovici ſub initium. *Regnante D. N. J. C. anno Incarnationis ejus 813. qui eſt annus &c.* Neque aliter Engoliſmenſis Monachus in vita Caroli M. *Regnavit*

Glo-

Glorioſiſſimus Ludovicus pro eo. *Regnante D. N. J. C.*, *cui eſt gloria in ſecula ſeculorum*. *Amen*.

XII. Seculo tandem decimo, tametſi diligentius Chronologicae notae ſint adhibitae, imò etiam in publicis inſtrumentis ſint adauctae, formula nihilominus illa, *Chriſto regnante*, ubique perſeveravit. Etenim Epiſcopi, & Abbates multis aucti ditionibus, & amplitudine dominii locupletati, annos à propria Ordinatione conſignantes more Principum, non diù praetermiſerunt annos Regni Salvatoris. Quod obſervare pronum in Regula Ab. Erolfi Moïſſiacenſis, in qua ſub finem annotatum eſt. *Circa decimum ſeculum, Notarii annos Chriſti in inſtrumentis, & chartis diligentius, quam antea, adjecerunt. Tunc etiam Epiſcopi temporali fulgentes authoritate, tempora eorum nominibus computari voluerunt; quod ab illis etiam uſurpatum, qui ſolo ſpiritali gladio gaudebant, ut* [*ſi non dominii*] *ſaltem Religionis praetextu nomen oſtentarent: poſtmodum alii minus ſuperbi, non ipſos, ſed Chriſtum regnare in inſtrumentis apponi fecerunt. Sit igitur gloria Chriſto, non Mundo*. Exſtat eodem de argumento illud pariter S. Harluvici, apud Caniſium in antiquis Lectionibus. *Migravit S. Harluvicus Salisbur ad Dominum anno Incarnat. Domin.* 1023. *Epiſcopatus ſui* 34. *Enrico Imperatore ſecundo hujus nominis, regnante D. N. J. Chriſto Rege*. Deſcribi quoque hoc loco poſſunt ad majorem in chronologicis notis accurationem deprehendendam, verba, quae in vita Idae Comitis Egberti uxoris, ad 4. Septemb. leguntur. *Facta ſunt haec anno Dominic. Incarnat.* 980., 6. *Kal. Decembrium, die feria* 4., *Indictione* 8., *imperante Victorioſiſſimo Caeſare Ottone, ex quo cum felicis memoriae ſeniore Auguſto* (Ottone nempe primo nominis hujus) *genitore ſuo regnare coepit, XX., ex quo Auguſtalem Monarchiam ſolus obtinuit, anno* 8. *ſuper omnia regnante aeterno Principe D. N. J. Chriſto*. Ejuſdem generis ſunt, quae habet Willelmus Gemeticenſis Calculus dictus, lib. 3. cap. 12. *Complevit Sacratiſſimus Dux Guillelmus vitae ſuae curſum* 13. *Kal. Januarii, Rege Ludovico Regnum Francorum tenente, anno Domin. Incarnationis.* 943. *Regnante D. N. J. Chriſto*. Et Chronicon Hildensheimenſe. *Anno Domini* 1015. *privilegia juſſit inſcribere firmata vel ſigillo ſuae authoritatis, & roborata*

borata Apoſtolico jure Romani Pontificis, ut eſſent illorum anno firmata, regnante Chriſto Rege Regum in aeternum, & ultrà, Anno Domini 1022. *Hoc fiat verum Chriſto regnante per aevum*. Sexcenta iis gemina reperiet quiſquis ſuomet otio, nulliuſque faſtidio in vitis Sanctorum, veterumque monumentorum collectionibus velit inquirere.

XIII. Jam verò cur formula haec, & quemadmodum Chriſto applicetur, diſquiramus; praeſertim cum Eccleſia omnes ferè orationes ſuas ad eum modum concludat: *Qui vivit, & regnat* &c. Ac duplex quidem Chriſti Regnum conſideratione diſtinguimus, quorum alterum naturale eſt, ſeu eſſentiale, & univerſale, quod unà cum Patre, & Spiritu Sancto in omnes exercet creaturas. Unde Gregorius Nazianz. Orat. 23. dixit: *Quin pietatis noſtrae doctrinam praeſcribe, ſic nos inſtituens, ut Deum unum ingenitum agnoſcamus, hoc eſt, Patrem: unum item genitum Dominum, Filium videlicet, qui Deus quidem appellatur, cum de eo ſeparatim ſermo habetur: Dominus autem, quando cum Patre nominatur: illud propter naturam, hoc propter unicum Divinitatis Principatum*. Graecè: τὸ δὲ διὰ τὴν μοναρχίαν Alterum vero Regnum perſonale eſt, quod à Sanctis Patribus Oeconomicum pariter, & Mediatorium appellatur, ſecutis videlicet Sancti Pauli doctrinam, ſcribentis ad Coloſſ. 1. v. 13. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in Regnum Filii dilectionis ſuae, in quo habemus redemtionem per Sanguinem ejus*. Conſona ſunt S. Petri verba epiſt. 1. c. 2. v. 11. *Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in aeternum Regnum Domini Noſtri, & Salvatoris Jeſu Chriſti*. Ubi utrumque Chriſti Regnum, naturale ſcilicet, ut Dominus, Oeconomicum, ut Salvator eſt, diſtinctè proponitur. Quod pariter innuunt illa Apocalypſeos 5. v. 9. *Quoniam occiſus es, & redemiſti ..... & feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram*. Imò illemet Archangelus id apertè docuerat, qui M. Virgini Incarnationis Myſterium annuntiavit, Luc. 1. *Regni ejus non erit finis*. Quo etiam reſpexit iterum Johannes in Apocal. c. 11. v. 15. ubi Angelorum turbam exhibet conclamantem: *Factum eſt Regnum hujus Mundi Domini Noſtri, & Chriſti ejus, & regnabit in ſe-*

Digitized by Google

ſecula ſeculorum. Amen. Et c. 12. v. 10. *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & Regnum Dei, & poteſtas Chriſti ejus.* Quapropter Nicaenum Concilium inter eos, quos de Chriſto explicuit, fidei articulos, illum pariter ultimo loco propoſuit: *Cujus Regni non erit finis.* Et Patres multis illuſtrarunt. Chryſoſtomus equidem Tom. v. Opp. homil. 15. de utroque illo regno Chriſti diſſerens, *Duplex eſt*, inquit, *Salvatoris Regnum: alterum quidem aeternum, & initio carens: alterum vero cum corpore initium ab Oeconomia accepit.* Et Theodoritus in Pſalm. 2. *Ut Deus*, aït, *innatum habet regnum, ut autem homo, electione delatum accepit.*

XIV. Hinc profluit, in Eccleſia Theocraticum eſſe regnum, & regimen, quod Chriſtus ipſe conſtituerit, quum Lucae 22. v. 29. dixit: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, Regnum.* Hoc autem Chriſti Regnum dicitur, cujus nullus erit finis, quoniam quum militans Eccleſia in finali judicio conſummata fuerit, triumphans Eccleſia perſeverabit, & Chriſti cum electis omnibus Regnum.. Duplicem hanc Theocratiae conditionem ſub Chriſto capite in Eccleſia conſtabilitae, deſcripſit Apoſtolus in epiſt. ad Epheſios. Cum enim enarratis Eccleſiae partibus, docuiſſet, Chriſtum eſſe caput, membrorumque officia propoſuiſſet, poenas ut explicet in mandatorum divinorum refractores ſtatutas, aït c. 5. v. 5. *Non habet haereditatem in Regno Chriſti, & Dei.* Regnum itaque Eccleſia eſt, cujus Chriſtus eſt caput, & director uſque ad Mundi conſummationem, eadem vice functurus, quum fideles divis adſcripti, aeterna illius fruitione potientur. Quod eleganter diſſerebat B. Gregorius M. in Synodica ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem, nonnullis interrogationibus reſcribens lib. 7. epiſt. 3. *Caput noſtrum, quod eſt Chriſtus, ad hoc ſua membra nos eſſe voluit, ut per ejus largam caritatis, & fidei compagem, unum nos in ſe corpus efficeret, cui ita nos adhaerere convenit, ut quia ſine ipſo nihil eſſe poſſumus, per ipſum poſſimus eſſe quod dicimur. Ab arce capitis res nulla nos dividat, ne ab eo, ſi membrum ejus eſſe refugimus, relinquamur: & velut dejecti de fide palmites areſcamus.* Hinc Apoſtoli, Paſtores, Doctoreſque ſimplices fuerunt in hoc Eccleſiae regno adjutores,

&

& adminiſtri, ut de Evangelii Praeconibus ſcripſerat Apoſtolus ad Coloſſ. 4. v. 11. *Hi ſoli ſunt adjutores mei in Regno Dei*. Idem Gentium Doctor in utraque Eccleſia, militante, & triumphante hoc Chriſti Regnum eſſe poſitum, ſcribit ad Theſſalonic. 1. c. 2. v. 12. *Qui vocavit nos in ſuum Regnum, & Gloriam*. Et 2. ad Timoth. c. 4. v. 18. *Salvum faciet in Regnum ſuum Coeleſte*. Hîc Coeleſte gloriae Regnum ab eo ſecernitur, quod in terris Theocratica geritur dominatione. Johannes quoque in Apocalypſis c. 1. v. 5. poſtquam Incarnationem, & Redemtionem, expoſuit, qua Chriſtus Regum Princeps factus eſt, continuò adjungit. *Et fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo: ipſi gloria, & imperium*. Regnum itaque Eccleſia eſt, cujus imperium uni Chriſto, ceu ſummo Capiti, originaliter competit, ceteris verò ratione tantùm miniſterii, atque officii. Quod ibid. v. 9. explicuit etiam Johannes Apoſtolus, ſubdens. *Ego Johannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & Regno, & patientia in Chriſto Jeſu*. Hoc in regno quiſquis fuerit, & bonorum participem fieri, & redemtione Salvatoris potiri uſque ad ipſam Coeleſtis Regni poſſeſſionem, ſecurè ſibi ſpondet. Icirco B. Polycarpus, quum à Proconſule eò adigi ſe videret, ut Chriſtum abnegaret, graviter reſpondit, quod in Smyrnenſi Encyclica proditum eſt pag. 132. *Et quomodo poſſum impiè loqui adverſùs Regem meum, auctoremque ſalutis meae?* Smyrnenſes etiam Presbyteri, ubi de Polycarpo in coelis cooptato, prope finem epiſtolae ſcribunt. *Et hac ratione immortalitatis coronam adeptus, unà cum Apoſtolis, & omnibus ſanctis laetus glorificat Deum Patrem, & benedicit Dominum noſtrum gubernatorem corporum noſtrorum, & Catholicae per univerſum Orbem Eccleſiae Paſtorem*.

XV. Theocraticum verò iſtud in terris Regnum ità Chriſtus ordinavit, ut ſupremum licet induxerit Hierarchicum Miniſtrorum ordinem, poteſtate praeditum, atque jure, ſibi tamen rei ſummam reſervarit: & quotquot ad regimen ordinati ſunt, omninò ab ipſo pendeant, diriganturque. Quippe Verbum ſuſceptae humanitati jus regium contulit ea ratione, ut ipſi humanae naturae inſit, eamque quodammodo informet, & afficiat.

Cujuſ-

Cujuſmodi ſanè non eſt regia illa dignitas, qua Deus Regis nomen ſubit, ſed qua homo, qua Eccleſiae caput, qua formam Theocraticam ſuſtinet in totius moderamine Religionis. Atque hoc planè ſenſu loquuntur Patres, inter quos audiendus Auguſtinus in Pſal. 14. *Filius Dei, qui facit nos, factus eſt inter nos: & Rex noſter regit nos, quia Creator noſter fecit nos. Ipſe eſt tamen, per quem facti ſumus, qui eſt, per quem nos regimur: & ideo Chriſtiani, quia ille Chriſtus*. Ii omnes, qui in Chriſtum credunt, ut ejus Eccleſiam, ita regnum componunt. *Quid eſt enim* [pergit Auguſtinus] *regnum ejus, niſi credentes in eum*. Vide ſis quae idem Doctor habet in Pſalm. 2.

XVI. Neque verò illud aeternitati Chriſti repugnat quod aït Apoſtolus, 1. Corinth. 15. v. 24., eum tandem aliquando regnum hoc Deo, & Patri traditurum. Namque, ut expendit laudatus mox Auguſtinus Tractatu 86. in Johannem, Gentium Apoſtolus aſſeverat dumtaxat, integrum electorum numerum eſſe ad Patrem adducendum, pios nimirum omnes ſalvandos eſſe, Chriſto ſoſpitatore, & Patrono: impios verò aeternis, diriſque ſuppliciis afficiendos. Dicit autem, *Deo, & Patri*, id eſt, Deo, qui ſuus, idemque Pater eſt [ſiquidem in Graecis Codd. unus utrique voci articulus praefixus eſt] Quemadmodum enim Chriſtus, prout homo, in Deum omnia refert; Ità idem ipſe, qui Dei Filius, omnia refert ad Patrem, totius divinae naturae, & ſubſtantiae fontem, & originem. Quocirca fruſtra erant ex Arianis multi, qui ab hoc Pauli teſtimonio regnum futuri ſeculi Chriſto adimi opinabantur, quòd ſi Patri reddat, jam ipſe ſibi minimè retinere videatur. Hanc ſanè ineptam conſecutionem vidit, & rejecit Hilarius, II. de Trinit. *Videamus, an traditio regni defectio ſit intelligenda regnandi, ut quod tradidit Filius Patri, tradendo non teneat. Quod ſiquis contendat, fateatur neceſſe eſt, Patrem, quum tradidit omnia Filio* (Lucae 10.) *amiſiſſe tradendo, ſi tradentem traditis egere ſignificet*. Et Theodoritus in coment. ad locum illum Pauli, inquit ad rem. *Tradit enim regnum Deo, & Patri, non ipſe regno nudatus, ſed tyrannum Diabolum, & omnes ejus adjutores ſubjiciens, ut omnes*

ſe

ſe ſubmittant, atque univerſorum Deum agnoſcant, efficiens.

XVII. Itaque prudenti conſilio Smyrnenſes Clerici hujuſcemodi formula, *Regnante Chriſto*, Encyclicam ſuam inſignivere, cum & formulae vetuſtatem, uſumque in Eccleſiaſticis Literis ſecuti in eo ſint, tum Divinum Chriſti Regnum adverſus priorum Haereticorum aberrationes confirmarint: unde Theocraticum Eccleſiae regimen adſtruitur, in quo Rex ipſe Chriſtus è Coelis ſacram hanc Rempublicam moderatur, & Hierarchas ipſos, quibus externi regiminis facultatem impertitus eſt, ipſe dirigit, trahit, deducit, ne abs revelationis tramite aberrent, ſed glorioſum Deo Patri, & Chriſto Regnum faciant. Hinc ortum dubio procul eſt, ut Patres in Conciliis ſaepe adunati, ubi Chriſtiani nominis, & Regni Chriſti majeſtas ſplendeſcit, aut ſub initium, aut ſub finem Actorum eam ipſam, quam expendimus, formulam propoſuerint. Quod ut in Synodis priorum Seculorum paſſim eſt perſpicere, ita corrogatis nonnullis exemplis ſequiore aetate pariter obtinuiſſe, demonſtrabimus, ut communis perſuaſionis, & uſus in Eccleſia univerſa ſucceſſio clarius appareat.

XVIII. Ac Concilium quidem Braccarenſe primo loco venit audiendum. In notis enim Chronologicis diſertè habet. *Regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto, currente Aera* 610., *anno* 2. *Regis Mironis, die Kal. Juniarum, cum Galloeciae Provinciae Epiſcopi &c.* Ea autem potiſſimum mente uti videntur Patres recepta formula, ut quae pro Eccleſiae regimine decreta edenda erant, ab ipſius Chriſti voluntate ductuque promanare intelligerentur. Quapropter Martinus Braccarenſis pergit eodem loco praefari. *Inſpiratione hoc Dei credimus proveniſſe, Sanctiſſimi Fratres, ut per ordinationem Domini glorioſiſſimi Filii noſtri Regis ex utroque Concilio conveniremus* (ſcilicet ex utraque dominatione tum Regum Svevorum, qui Galloeciam tenebant, tum Gothorum, qui ſub Leovigildo cetera Hiſpaniarum Regna occupabant. Leovigildus autem, qui ſacris Arianorum initiatus erat, Epiſcopos Catholicos ejecerat; Mirus verò, ſive Theodomirus Catholicam fidem defendebat.) *Ut non ſolùm de viſione alterutra,*

 gratu-

gratulemur, ſed etiam ea, quae ad ordinationem, & diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent, pariter conloquamur. Scriptum eſt enim in Evangeliis, dicente Domino. Ubicumque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ero in medio eorum. Nitigeſias, Eccleſiae Lucenſis Epiſcopus, dixit: Neque aliud poteſt credi, niſi quae ad utilitatem noſtrarum pertinent animarum, divina inſpiratione inchoari, & perfici poſſe. Hinc poſt Braccarenſis hujuſce Concilii celebrationem Theodomirus Lucenſem Epiſcoporum conventum haberi voluit, ut Nationalis Braccarenſis Concilii decreta audiret, ſuaque conſtitutione confirmaret. Eſt autem Regia illa conſtitutio apprimè comparata ad explicandam ſingularem directionem, atque opem, qua Chriſtus verus Eccleſiae Rex moderatur, & animat univerſam compagem. Conſtitutio hoc eodem anno data eſt, eamque eruit è tenebris Ambroſius Morales. Incipit autem. *Deo omnipotenti, trino, & uno, & vero, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, qui ſua ſapientia ineffabili in Deitate perfecta, ex arce ſumma quaecumque ſunt, tam praeſentia, quàm futura inſpicit ut praeſcius, ordinat atque diſponit ut Dominus: Ipſo Coelorum Rege inſpirante, ſeu opitulante, Ego Theodomirus Rex, cognomento etiam Mirus, Galliciae totius Provinciae Rex, Deo, ejuſque Genitrici glorioſae Mariae, ac ceteris Sanctis cupiens eſſe famulus, & ſervus, coadunato nutu Dei Concilio in Lucenſi jam praefatae Provinciae Urbe omnium Catholicorum Epiſcoporum, ſeu Religioſorum virorum, nobis ab ipſis intimatum eſt uno animo, cordeque perfecto, authoritate etiam Sedis Apoſtolicae Sancti Petri, cujus legationem laeti excipimus.* Lucenſis Eccleſia in altero pridem Concilio Metropolitica ſub Braccarenſi Primate declarata fuerat, cujus rei leguntur acta in Collect. Concil. Hard. Tom. III. ad illum annum, & pag. 373. Quamobrem laudatus Morales in Archivis Eccleſiae Lucenſis inſcriptum tabulis reperiri teſtatur chronicam hujuſmodi annotationem. *Tempore Svevorum ſub Aera DCVII. die Kalendarum Januarii, Theodemirus Princeps Svevorum Concilium in Civitate Lucenſi fieri praecepit ad confirmandam Fidem Catholicam, vel pro diverſis Eccleſiae cauſſis. In eo Concilio facta eſt Metropolitana Lucenſis Eccleſia.* Jure itaque Metropolitico Nitigius ſuffraga-

Digitized by Google

fraganeis Epiſcopis ſuis adunatis in Concilium, Primatis, & Synodi Braccarenſis decreta propoſuit. Quod & Regia conſtitutione proditum eſt, ut quemadmodum Eccleſiaſtica id genus ſtatuta innoteſcerent Populis & Eccleſiis, perſpiceremus.

XIX. Primates equidem ſiquae decreta ad publicam Eccleſiarum frugem attinentia vel collegiſſent, vel condidiſſent, ea cum Metropolitis Provinciarum, tum ceteris per Orbem Epiſcopis, & Eccleſiis per Encyclicas patefacere conſueverunt. Quapropter idem Martinus Primas, quum novam Canonum Orientalium Conciliorum tranſlationem, collectionemque adornaſſet, eam inter alios ad Nitigium direxit, eidemque epiſtolam dedit, quae una cum Collectione exſtat apud Hard. ibid. pag. 390. Sed praeſtat de aliis Martini epiſtolis, Iſidori verbis diſſerere: *Martinus*, inquit ille, *Dumienſis Monaſterii Sanctiſſimus Pontifex, ex Orientis partibus navigans in Galliciam venit, ibique converſis ab Ariana impietate ad fidem Svevorum Populis, regulam fidei, & Sanctae Religionis conſtituit, Eccleſias informavit...... Volumen epiſtolarum edidit, in quibus hortatur vitae emendationem, & converſionem fidei, orationis inſtantiam, & eleemoſynarum diſtributionem, & ſuper omnia culturam virtutum omnium, pietatem &c.* Ex his interim, quae occaſione Braccarenſis Synodi annotavimus, ſatis liquet, qui fuerit in Eccleſiis Encyclicarum uſus, fidem potiſſimum, aut diſciplinam continentium, & qui ſervatus ordo fuerit in iiſdem proponendis. Facit autem ad praeſens argumentum, quod qui Synodis hujuſmodi ſubſcripſerunt, *ſe Epiſcopos in nomine Chriſti*, aiunt ſubſcribere, quatenus ejus nomine, ejuſque directione, & authoritate praeſunt Eccleſiis, & fidem, diſciplinamque ſtabiliunt.

XX. Toletanum III. Concilium, celebratum ſub Reccaredo Rege, poſteaquam ipſe, & univerſa Gothica Gens, Ariana perfidia ejurata, Catholicam Fidei profeſſionem edidiſſet, Formulae receptae documentum in Actis ſuppeditat. Incipit enim. *In nomine Domini Jeſu Chriſti*. Et ad rem noſtram clarius concluditur. *Sint ergò damnata in Coelo, & in terra quaecumque per hanc Catholicam fidem damnantur: ſint accepta in Coelo, & in Terra,*

G 2 *quae-*

Digitized by Google

quaecumque in hanc fidem accipiuntur. *Regnante D. N. J. C.*, *cui cum Patre*, *& Spiritu Sancto eſt gloria in ſecula ſeculorum*.

XXI. Eandem planè formulam apud Romanam Eccleſiam obtinuiſſe novimus. Quippè in Synodo ſub Gregorio M. Romae habita, legimus illam in hunc modum. *Regnante in perpetuum D. N. J. Chriſto*, *temporibus piiſſimorum*, *ac Sereniſſimorum Dominorum Mauritii*, *Tiberii*, *& Theodoſii Auguſtorum*, *ejuſdem Domini Imperatoris Mauritii anno tertio decimo*, *indictione XIII.*, *V. die menſis Julii . . . Gregorius Papa*.

XXII. Quod porrò non ſemel monuimus, Actorum Conciliarium initia illis ferè verbis conſtare. *In nomine Domini Jeſu Chriſti*, ut intelligeretur Chriſto duce, & opitulante peragi quaecumque in Conciliis peragebantur, id luculenter confirmat Concilii Barcinonenſis titulus. Fuit autem anno 637. Aerae Hiſpanicae congregatum, & incipit. *Cum Duce Domino Jeſu Chriſto*, *die Kal. Novembrium anno feliciter 14. Regni Chriſtianiſſimi & piiſſimi Domini Reccaredi*, *Tarraconenſis Provinciae Epiſcopi in Urbem Barcinonem in Eccleſia ſanctae Crucis fuiſſent congregati*, *hoc ſancta Synodus ſtatuere elegit &c.*

XXIII. Et Concilia quidem poſterioris aevi rectè judicarunt, verbis illis: *Regnante Chriſto*, inſigniter explicari Monarchicum Chriſti regimen, & perpetuam Eccleſiae gubernationem, directionemque. Id innuit inter alia Concilium Herudfordiae in Anglia celebratum, in quo hi potiſſimum characteres chronologici annotantur. *In nomine Domini Dei*, *& Salvatoris Jeſu Chriſti*, *regnante in perpetuum*, *& gubernante Eccleſiam ſuam eodem D. N. J. C. placuit convenire nos juxta morem Canonum venerabilium*, *tractaturos de neceſſariis Eccleſiae negotiis*. *Convenimus autem die 24. menſ. Septemb. Indict. 1.*, *in loco*, *qui dicitur Herudford.*

XXIV. Imò Principatum Chriſti in univerſalem Eccleſiam eleganter expreſſit Concilii Cloveshovienſis II. praefatio his verbis: *Regnante in perpetuum D. N. J. C.*, *qui cuncta Patris imperio*, *ac pariter Sancti Spiritus gratia vivificante diſponit*, *haec*, *quae habentur Synodalia geſta*, *Septembris menſis initio*, *propè loca*, *quae vocantur Closbeshos*, *peracta ſunt*. Adunatum fuerat hoc Concilium

propter

propter duas Zachariae Romani Pontificis Encyclicas, de quibus, quum id actum coram praecipuis Angliae Praeſulibus, annotaſſet, *Anno Dominicae Incarnationis* 747. *Indictione* 15., *anno hoc Regni Aedilbardi Regis Merciorum:* qui ſcilicet Concilio aderat cum Principibus, ac Regni Proceribus XXXII.; pergit Concilium. *Poſt devotam ad invicem ſalutationem, imprimis à Praeſidente praefato Metropolitano ſcripta toto Orbe venerandi Pontificis Domni Apoſtolici Papae Zachariae in duabus chartis in medium prolata ſunt: & cum magna diligentia, juxta quod ipſe Apoſtolica ſua authoritate praecepit.* Spectabant nimirum literae illae ad fidem, diſciplinamque toto paſſim Chriſtiano Orbe inſtaurandam. Atque interim ex his eluceſcit, quemadmodum ad Seculum uſque VIII. ederentur Encyclicae, eaedemque à Metropolitanis ubique ſuſceptae, vel in Synodis lectitari deberent, vel per epiſtolas ſuis ab unoquoque Provinciis intimari, & proponi.

XXV. Eadem utitur expreſſione Concilium Forojulienſe, ſuamque Encyclicam ad hunc modum exorditur. *Regnante D. N. J. C. in perpetuum ſuper omnes Coelos, & ſuper omnem terram, Rege Regum, & Domino Dominantium, cujus Regnum ſempiternum eſt, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Et in Epigraphe Carolini Capitularis Aquiſgranenſis paullò aliter ea formula legitur. *Regnante D. N. J. C. in perpetuum, Ego Karolus gratia Dei, ejuſque miſericordia donante, Rex, & Rector Regni Francorum, & devotus ſanctae Dei Eccleſiae defenſor, humiliſque adjutor.* Ipſo autem in limine ejuſdem Capitularis Chriſtum vocat Regem. *Conſiderans pacifico piae mentis intuitu una cum Sacerdotibus, & Conſiliariis noſtris abundantem in nos, noſtrumque Populum Chriſti Regis clementiam.*

XXVI. Deſpoticum Chriſti Salvatoris in res omnes dominium, regimen, & gubernationem explicuit Synodus apud Celichith celebrata, quae hujuſmodi exordium habet. *Regnante, ac gubernante Deo, & Domino Noſtro Jeſu Chriſto, qui diſpenſat Orbem terrarum in aequitate, quique Coelum, & omnem Creaturam ſua virtute penetravit, necnon cuncta Patris imperio,* ac

ac pariter Sancti Spiritus gratia ſurſum, atque deorſum mirabilem in modum perficit, atque diſcernit: Et eodem Domino donante, Anno Dominicae Incarnationis 816. *Indict. IX. haec Synodus congregata fuerat die VI. Kal. Auguſti in loco famoſo, qui dicitur Celichyth.*

XXVII. Cloveshovienſe Concilium III. in ea formula ampliſſimam Chriſti Monarchiam exprimi aſſeverat. Habet enim. *Regnante in perpetuum D. N. J. C., qui Mundi Monarchiam ſua ſemper virtute gubernat in aeternum.* Similiter loquuntur Epiſcopi in Concilio Sveſſionenſi II. anno 853., in Vintonenſi anno 855., in Tricaſſino II. anno 878., & in aliis paſſim, quorum ad inſtar omnium erit laudaſſe, quae habet Concil. Moguntinum. *Imperante ſuper omnia aeternaliter Regum Rege, D. N. J. C., & ſub eo regnante temporaliter Sereniſſimo Henrico, Rege hujus nominis IV., venerabili quoque Sigefrido Moguntinae Eccleſiae Primate, & Apoſtolicae Sedis legato aurigante currum Dei anno* 12., *qui tunc vocabatur annus Incarnati Verbi* 1071., *octava Indictione.* Concinunt quae ad finem Actorum leguntur. *Acta ſunt haec apud Moguntiam Metropolim Orientalis Franciae, anno ab Incarnatione Domini* 1071., *Indictione* 8., 18. *Septembris, regnante Sereniſſimo Henrico Rege hujus nominis IV., anno Regni ejus* 13., *ordinationis verò ejuſdem* 17., *apud Moguntiam verò praeſulante reverentiſſimo Primate Siſrido, anno ordinationis ejus* 12. *ſuper omnia autem regnante Domino Noſtro Jeſu Chriſto.*

Ex his liquidò apparet illius formulae antiquitas, & uſque ad XIV. Chriſtianum Seculum perſeverans uſus. Hinc certè profluxit, ut Patres ubicumque ferè de Chriſto agunt, Regem noſtrum, Caput, Eccleſiae ſponſum, gubernantem, dirigentem, opitulantem appellent. Quae omnes quidem expreſſiones Theocraticum Eccleſiae regimen innuunt, & deſignant.

XXVIII. Supereſt jam, ut in alteram Encyclicae Smyrnenſis formulam inquiramus, ubi ſcilicet aïunt Preſbyteri, Encyclicam ſe per Marcum tranſmittere, Fidelibus, Eccleſiiſque omnibus denunciandam. Id autem ex recepta conſuetudine ità ſe habuit.

Cur-

Curſor Dominicus Eccleſiae in unaquaque Provincia ſpectabiliori, ejuſque Praeſidi exhibebat Encyclicam: Praeſes verò in publico conventu eam legebat, advocatis plerumque, ubi fierì commodè poterat, proximioribus Epiſcopis, aut Presbyteris, Clero etiam, & Fidelibus. Quod liquet tum ex monumentis Eccleſiaſticis, quae alibi protulimus, tum etiam ex more, quo publica Imperialia edicta eodem tempore publicabantur. Marcus enim Antoninus edictum pro Chriſtianis vulgavit, quod integrum refert Euſebius H. l. 4. c. 13. datumque eſt *Communi Aſiae*, unde ſub finem ejus additum. *Propoſita Epheſi in publico conventu Aſiae*. Hoc autem inter haſce duas formulas intereſt, quòd prima innuit directum edictum ad Proceres ipſos, qui Urbium Aſiae conventum publicum repraeſentabant. Namque Sociae Urbes locum aliquem habebant, & templum, in quo ipſarum legati ſtatis anni temporibus convenientes, publica agitabant negotia, audiebant Imperatorum juſſa, eademque ſubinde ad proprias Urbes regreſſi ſinguli, publicitus proponebant, ſatagentes ut executioni apud omnes mandarentur. Herodotus lib. 2. author eſt, in Aegypto Graecas Civitates Gentis Tergeminae, Jonum, Dorum, Aeôlumque Fanum habuiſſe commune. *Et maximum quidem eorum Fanum, ac celeberrimum Graecum vocatur. Civitates autem, quae COMMUNITER illud exſtruxerunt, ſunt Jonum quidem, Chius, Theos, Phocaea, Calzomene: Dorum autem, Rhodus, Cnidus, Halicarnaſſus, Phaſelis: Aeôlum verò, una Mytilene. Harum Civitatum hoc Fanum eſt.* Conventus Delectorum Procerum ad ſacrificia, ad ludos, tum ad publicas, privataſque contentiones audiendas, diſcutiendas, finiendaſque conveniebat. Ita Dictator Sylla, teſte Appiano lib. 1. de Bell. Civil., tributum ut imponeret, commune totius Aſiae Epheſum accerſivit, ſuaque de eo juſſa vulgavit. Commune illud in templo conveniſſe, ut alia, quae commodiore loco dicentur, praetereamus, oſtendit nummus Claudii Imperatoris apud Triſtanum, in quo templum conſpicitur cum inſcriptione, quae & hanc praecipuarum Urbium conſenſionem in uno quodam templo frequentando, atque communibus re-

Digitized by Google

bus inibi agitandis mirificè illuſtrat. Sic autem babet.

COM. ASI. ROM. ET. AUG.

Peritiſſimi autem rei nummariae viri cuſum Epheſi numiſma illud judicant. Porrò templum erat aedes publici juris totius Aſiae, ceu communi omnium ſumtu exſtructum. De ſacro hujuſmodi loco, celebratoque ibi Concilio, ad quod Sociae Aſianae Urbes ſingulae ſuos legatos, ſeu Synedros mittebant eodem Polycarpi aevo, loquitur Ariſtides Oration. ſacr. Imò praeter Commune Aſiae totius, quod in Epheſino Romae, & Auguſti templo conveniebat, ſingulae Provinciae ſuum pariter Commune habebant, ut ibi memorat Ariſtides. Quò etiam refer eas, quae in Cod. Theodoſ. de Legatis, & decretis Legationum, exſtant leges inſcriptae ad Concilium Provinciae Africae, ad Concilium Byzacenorum, ad Concilium Tripolitanorum, & aliae paſſim. Quod eruditè annotatum eſt Spanhemio in epiſt. ad Andream Morellium, quae E. in ejuſdem Morellii ſpecimine univerſae Rei numariae antiquae. Edicta verò hujuſmodi in Concilio, ſeu Communi primo totius Aſiae legebantur, eademque Legati in Provincias ſuas regreſſi in communi ſingularum conventu proponebant. Hinc itaque manavit ſimilis ad Eccleſiam conſuetudo, ut Encyclicae epiſtolae ad principem, ſeu primatialem Civitatem primùm à Curſore Dominico deferrentur, tum ad reliquas ſubinde Urbes tranſmitterentur,

§. IV.

Digitized by Google

ſ. IV.

De Martyrio vero, & Evangelico in Encyclicis propoſito.

Synopsis.

I. *Encyclica Smyrnenſis veros à falſis Martyribus ſecernere edocet.* II. *Dotes veri martyrii in Polycarpo expenſae.* III. *Ejuſdem coeleſtes viſiones, Heroica fortitudo, & confeſſio conſubſtantialis Trinitatis.* IV. *Miracula in Polycarpi martyrio quae contigerint.* V. *Evangelicum martyrium accuratè deſcribunt Smyrnenſes.* VI. *Illud exigunt ad divini impulſus, motuſque rationes.* VII. *Motiva ejuſdem ſubeundi referunt ad caritatem erga Deum.* VIII. *Virtutem uſque adeo praecellentem requirunt, ut vel ab ipſis Ethnicis probari poſſet.* IX. *Eos, qui iis dotibus deſtituti ſe ſe ultro, ac temerè Praeſidibus offerrent, redarguunt.* X. *Haec Encyclica magni babita apud Eccleſias.* XI. *In authoritatem deducta eſt à Cypriano, & Pontio ejus vitae ſcriptore.* XII. *Decretum ejuſdem, necui liceret ultrò ſe Perſecutoribus offerre, babitum velut lex univerſalis Eccleſiae.*

I. SMyrnenſis Clerus, quum ceteris per Orbem Eccleſiis S. Polycarpi martyrium denunciaret, id pariter ſibi ſumſerat, ut verum à falſo Martyre, ac duplici quidem de cauſſa, diſcriminaret, quarum altera erat, quod martyrium uſque adeo apud fideles aeſtimaretur, ut quotquot Confeſſores, Martyres dicebantur, ampliſſimis quibuſdam praerogativis gauderent, & ſolerti indagine caveretur, ne ceteris Haereticorum Sectis, de Martyrum numero, dignitateque gloriantibus, hujuſcemodi honos ſine delectu immeritis haberetur. Quapropter Smyrnenſes Divini Polycarpi martyrium, quod tot illuſtribus characteribus ſplendeſcere compertum erat, Eccleſiis per Orbem ceteris propoſuerunt, ut formam dignoſcendorum Martyrum, eorumdemque meritorum criteria haberent. Suberàt ratio altera quod plurimi ſemet Praeſidibus nec delati, nec conquiſiti, temerè atque inconſultò traderent, qui ſubinde in agone conſtituti, ut

cx

ex caritatis affectu, aut Divini Spiritus impulſu minimè ſeſe obtulerant, ipſo cruciatuum, tormentorumque initio fidem abnegabant, atque adeò locum Gentibus tribuebant fideles traducendi, velut fungos, & ſtipites, qui veſani, & mente capti mortem oppeterent. Itaque celebris haec Smyrnenſium Encyclica non tantùm martyrii conſummati à B. Polycarpo ſimplex fuit denunciativa, ſed verè dogmatica. Ejus rei ſpecimina ſunt. I. forma examinis adhibita, & ad poſterorum imitationem propoſita, antequam Martyr aliquis Sanctus declararetur. II. conſtitutum, qui ſint veri, & Evangelici martyrii characteres habendi. III. an qui ultrò perſecutoribus ſeſe offerebat, rectè, pièque ageret. IV. ſtabilitus Canon adverſùs ſemet offerentes, unde generalis diſciplinae ratio ex hac Encyclica ad univerſam Eccleſiam manavit.

II. Atque ut à primò capite exordiamur, quod ad examen eorum qui Divis accenſendi ſunt, praeſertim attinet, morum honeſtas ſedulo inquirebatur. Hac excelluiſſe Polycarpum, aperit Encyclica, pag. 133. *Semper enim etiam ante canitiem ob ſanctitatis vitae honeſtatem ab omnibus cultus fuerat.* En communis omnium de vitae ejus honeſtate opinio, & pervagatus rumor. Jùgis deinde oratio juxta Chriſti praeceptum facta quaerebatur in Martyre. Egit id in vitae totius curriculo Polycarpus, atque in ſuo receſſu ferventius, quum ſcilicet ignem ſibi, & ſupplicia imminere divinitus intellexit. Sic enim poſt initium habet Encyclica. *Illic cum paucis hominibus morabatur, diu, noctuque orationibus intentus, quas pro cunctis hominibus, & pro univerſis per Orbem terrarum Eccleſiis, ut moris ei fuit, ad Deum fundebat.* Hunc Martyrum orantium morem recolunt acta martyrii S. Ignatii, quibus proditum eſt, eum, antequam ad amphitheatrum duceretur, cum iis, qui aderant, orationem dixiſſe: *Sicque genuflexis omnibus fratribus, Filium Dei obſecravit pro Eccleſiis, pro perſecutionis ceſſatione, pro mutua Fratrum in ſe invicem caritate. Quo facto ad amphitheatrum cum feſtinatione ductus eſt.* Manſuetudinis inſigne documentum in Polycarpo ſe ſe ad martyrium parante cum caritatis, & precum fervore paullo poſt deſcribunt Clerici.

Nam

Nam quum ſatellites coenaculum ingreſſi fuere : *deſcendit è coenaculo , & collocatus eſt cum eis . Cumque autem admirarentur omnes aetatem illius , atque conſtantiam , quidam ex eis dicebant : cur tantum adhibetur ſtudium , ut hujuſmodi Senex comprehendatur . At ille confeſtim cibos cum potu eis apponi juſſit , quantum ipſi voluiſſent , petiitque ab eis horae ſpatium , quo liberè , & abſque impedimento oraret . Quod cum ipſi conceſſiſſent , ſtans ille , oravit plenus gratia Dei , adeo ut ipſe quidem duarum horarum ſpatio ſilere non poſſet .*

III. Coeleſti etiam viſione recreatum B. Senem , & prophetico ſpiritu locupletatum divinitus fuiſſe , ibid. enarratur. *Triduo verò antequam comprehenderetur , inter orandum oblata eſt ei coelitus viſio . Videbat enim cervical ſuum igne conſumi . Et mox converſus ad comites ſuos , prophetico ſpiritu dixit : vivum me cremari oportet.* Hinc generatim de hujuſmodi illius cariſmate Smyrnenſis Eccleſia poſt enarratum B. Senis obitum , ad hunc modum judicat in Encycl. pag. 134. *Quorum ex numero* [loquitur de Electis] *hic certè unus fuit noſtra aetate , Apoſtolicus , & Propheticus Doctor , Catholicae Smyrnenſium Eccleſiae Epiſcopus . Quicquid enim ille ore ſuo unquam protulit , aut impletum jam vidimus , aut ſcimus implendum .* Eccleſiæ verò vel à Martyribus , vel de Martyribus ab aliis habitas viſiones ſolerter inveſtigabant , obſervabantque. Hinc Acta ſupra laudata Ignatiana ad rem habent . *Horum nos ipſi ſpectatores facti eum lacrymis domi vigilem noctem duximus , & genibus flexis multis precibus Dominum orabamus , ut nos infirmos de iis , quae facta fuerant , certos faceret . Poſtea quum paullulum obdormiſſemus , alii quidem illum ſubitò adſtantem , noſque complectentem videbamus : alii verſus nobis orantem B. Ignatium cernebamus : alii verò ſudore ſtillantem , tanquam ex multo labore advenientem , & Domino aſſiſtentem , intuebamur . Cum ergo multo cum gaudio iſta vidiſſemus , & ſomniorum viſa contuliſſemus , Deum datorem bonorum laudavimus , & ſanctum , beatum diximus .* Heroïcam , atque imperterritam conſtantiam Polycarpi in profeſſione fidei , Encyclica eadem commonſtrat in reſponſis ab eodem apud Proconſulem factis , & in ultima confeſſione , in qua celebrem Δοξολογίαν protulit ad conſubſtantialem Trinitatem explicandam . Profeſſio illa digna no-

nobis videtur, quae hîc pariter deſcribatur. *Pater Unigeniti*, inquit B. Martyr, *& benedicti Filii tui Jeſu Chriſti, per quem tui notitiam accepimus: Deus Angelorum, & Poteſtatum, & univerſae creaturae, omniumque juſtorum, qui vivunt in conſpectu tuo: benedicite, qui me hunc diem, & ad hanc horam perducere dignatus es, ut partem caperem in conſortio Martyrum, & in Calice Chriſti tui, in reſurrectionem vitae aeternae, animae ſimul & corporis, in incorruptione Spiritus Sancti. Inter quos ſuſcipiar hodie in conſpectu tuo, tanquam hoſtia pinguis, & accepta, quemadmodum praeparaſti, adimplens ea, quae praemonſtraſti verax Deus. Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico, per ſempiternum Pontificem Jeſum Chriſtum unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipſo in Spiritu Sancto gloria nunc & in ſecula ſeculorum. Amen*. Precationis hujuſce formulae cum iis planè conſentaneae ſunt, quae in ejuſdem Polycarpi ad Philippenſes epiſtola occurrunt. Scripſerat ibi. *Deus autem & Pater D. N. J. C. & ipſe ſempiternus Pontifex, Dei Filius Jeſus Chriſtus aedificet vos in fide, & veritate, & in omni manſuetudine, & ſine iracundia, & in patientia, & longanimitate, & tolerantia, & caritate: & det vobis ſortem, & partem inter ſanctos ſuos*. Eadem phraſeologia Encyclicam ſuam claudit Smyrnenſis Eccleſia. *Optamus vos, fratres, in Domino valere inhaerentes praeceptis, & Evangelio J. C., cum quo gloria, & honor Deo Patri & Sancto Spiritui, ob ſalutem Sanctorum Electorum*. Huic etiam gemina prorſus eſt Δοξολογία, qua uſi ſunt authores Encyclicae de martyrio S. Ignatii conſcriptae. *Glorificantes in ipſius* (Ignatii) *venerabili, & ſancta memoria, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum: per quem, & cum quo Patri gloria, & potentia cum Spiritu Sancto in Sancta Eccleſia in ſecula ſeculorum. Amen*. Atque in hujuſcemodi rerum examine diligentiſſimè verſata eſt primitiva Eccleſia, priuſquam veris Martyribus quemquam accenſeret, aut venerabilem diceret.

IV. Miracula etiam non ultimo loco ſunt habita in Sanctis, ut hodie loquimur, canonizandis. Namque ſiquae Deus ad Martyrum virtutes manifeſtandas perpetraſſet, Eccleſiae ſibi invicem annunciabant. Quod inſigniter praeſtitum eſt in Encyclica Smyrnen-

nenſi, in qua vocem coelitus demiſſam, quum Polycarpus ad ſtadium duceretur, diſertè annotatum eſt. *Quum verò*, ſcribunt Clerici, *tantus eſſet tumultus in ſtadio, ut pauci exaudire poſſent, vox quaedam de coelo delapſa ad Polycarpum ſtadium ingredientem pervenit hujuſmodi: Fortis eſto Polycarpe, & viriliter age. Et is quidem, qui hanc vocem ediderat, à nemine eſt viſus. Ipſa verò vox à pleriſque noſtrorum exaudita eſt.* De rogo etiam & flammis, quemamodum ad B. corporis praeſentiam conſtiterint, in hunc modum ſcribunt. *Cumque ingens flamma exarſiſſet, mira res viſa eſt ab iis, qui eam videre meruerunt, & qui ideo reſervati ſunt, ut aliis illam renunciarent. Ignis enim fornacis ſpeciem praebens, tanquam velum navis ventorum flatu ſinuatum, circa corpus Martyris ſtetit. Quod quidem in medio poſitum, non ut caro aſſa videbatur, ſed velut aurum, aut argentum, quod in fornace excoquitur. Quippe odorem ſuaviſſimum quaſi thuris, alteriuſve pretioſi aromatis, naribus noſtris inhalantem hauriebamus.* Alterum quoque, quod contigit planè mirum, & divinum, pergunt hiſce verbis enarrare. *Poſtremo cernentes impii, ac profani homines, corpus flammis non poſſe conſumi, confectorem proprius accedere, enſemque altè in corpus adigere juſſerunt. Quo facto tanta vis ſanguinis effluxit, ut ignis prorſus extingueretur; plebſque univerſa miraretur, tantum eſſe diſcrimen inter fideles, atque electos.* Ex his concludunt, nihil planè ambigendum, quin Polycarpus reapſe verus Chriſti Martyr fuerit, & Beatus. *Icircò*, inquiunt, *immortalitatis corona ipſum eſſe redimitum, & proemium glorioſi certaminis ſine controverſia retuliſſe*.

V. Hinc operoſam de martyrio evangelico diſputationem in eadem Encyclica Smyrnenſes aggrediuntur; atque hanc eſſe dogmaticam, eoque fere ſcopo exaratam, non ambiguè docent. Et jure quidem, meritoque. Nam cum eodem tempore plurimi è Schola Marcionis, atque aliis è Sectis paſſim ſe Martyres habere gloriarentur, qui ceteroquin non tam impiis dogmatis, quam praviſſima morum conſuetudine vitam traducebant, factu optimum judicavit Smyrnenſis Eccleſia, ſi quum in Polycarpo veri Martyris ideam, ejuſque in actionibus exemplar ampliſſimum erat commendatura, tractationem pariter inſtitueret velut

in

in Προθεωρία de characteribus Evangelici, ſincerique Martyrii. Evangelicum autem martyrium illud appellat, haud dubiè ut doceret, omnem veri Martyris commendationem ad Evangelicam doctrinam exigendam eſſe, non ad placita tunc recepta Sectarum, quae diſcrimine inſuper nullo, ſiqui etiam facinoroſi, & improbi homines è propriis aſſeclis gladio perimerentur, eos velut Martyres jactitabant in vulgus, non ſine magno Chriſtiani nominis ludibrio, veritatiſque contemtu.

VI. Primus itaque martyrii character is habitus eſt, ut martyris actiones impulſui divini Spiritus, & ſingulari adjumento ejuſdem viderentur adſcribendae. Quippe cum martyria heroïcam in fide, fortitudine, ceteriſque virtutibus conditionem requirant, habeantque, nihil eſt ambigendum, quin à divina virtute humanam imbecillitatem moderante proficiſcantur. Iccirco Smyrnenſis Eccleſia expendens Evangelicorum Martyrum fortitudinem, mentiſque propoſitum in graviſſimis quibuſcumque cruciatibus pro fide tolerandis, ipſo fermè epiſtolae initio ſcripſit. *Beata quidem, & generoſa fuiſſe fatendum eſt cuncta martyria, quae ex Dei arbitrio, & voluntate geſta ſunt. Quippe nos, qui prae ceteris religioſi ſumus, omnium rerum arbitrium, ac poteſtatem Deo adſcribere oportet*. Tum ad actus evangelici Martyris expendendos progreditur, qui ut Chriſtianum heroäm decent, ita poſitas humanae infirmitati leges longiſſimè excedere videbantur. Oppidò praeclara ſunt in hanc rem quae ibid. ſequuntur. *Certè magnitudinem animi illorum, & tolerantiam, & erga Deum fidem, ac benevolentiam quis non maximè admiretur? qui cum flagris ità conſciſſi eſſent, ut tota corporis compago ad intimas uſque venas, & arterias ſpectaretur, nihilominus ſuſtinuerunt. Adeo ut omnes, qui aderant, miſeratione capti ingemiſcerent: ipſi verò tanta fortitudine praediti eſſent, ut nemo illorum ſuſpirium, aut gemitum ediderit. Oſtendebant ſcilicet nobis Martyres Chriſti, ſe à propriis corporibus quaſi peregrinatos fuiſſe, dum torquerentur: aut potius Chriſtum ipſis adſtitiſſe, & familiariter cum ipſis eſſe verſatum. Chriſti igitur gratia fulti & ſuſtentati, hominum tormenta ſpernebant, unius horae ſpatio ſe ab aeternis cruciatibus redimentes*. Haec quidem ſub initium

Digitized by Google

tium epiſtolae propoſita, ſat oſtendunt, ſcriptionis eos ſibi ſcopum conſtituiſſe, ut non tam theoricè, quam practicè de characteribus, notiſque martyrii Evangelici pertractarent.

VII. Motiva deinde ſuſcepti martyrii erant diſcutienda, & ſolerter indagandum, an ex conſtanti dogmatum Chriſtianorum perſuaſione, à ſalubri aeterni ſupplicii metu, quod Apoſtatis conſtitutum eſt, aut ab ipſo aeternae vitae proemio manarent. Haec in Evangelicis Martyribus ità pergunt enarrare Smyrnenſes, *Frigidus ipſis videbatur immanium carnificum ignis. Quippe qui in animo haberent aeternum illum, nec ullo unquam tempore extinguendum ignem evitare: & mentis oculos defixos haberent in proemia, quae viros fortes poſt malorum tolerantiam manent: quae nec auris audivit, nec oculus vidit, nec hominum ſenſus, aut intelligentia comprehendit: ipſis verò tunc oſtendebantur à Domino, utpote qui non homines amplius, ſed Angeli eſſent. Sed & hi, qui ad beſtias erant condemnati, cum diutiſſimè in carcere detinerentur, graviſſimos cruciatus pertulerunt, partim muricibus ipſorum corpori ſubſtratis, partim aliis cujuſque modi ſuppliciis excruciati: ut, ſi fieri poſſet, tormentorum aſſiduitate eos tyrannus ad negandam Chriſti fidem adduceret. Multa ſiquidem adverſus illos excogitavit Diabolus.* Mox adhibitam contra haec tormenta conſtantiam, & fortitudinem, repetunt à Gratia Chriſti victrice. *Sed juvante Gratia Chriſti, nihil contra cunctos perficere valuit.*

VIII. Tertium, quod in examine perquirebatur, illud erat, an haec martyria a fidelibus juxta atque ab infidelibus velut heroïcae fortitudinis indicia judicarentur. Duo exempla in hanc rem ſubjungunt Smyrnenſes. Primum eſt Germanici, de quo praeclara ſunt verba illa Encyclicae: *Nam fortiſſimus Germanicus tolerantiae ſuae magnitudine ceterorum imbecillitatem roborabat: qui quidem illuſtri certamine adverſus beſtias depugnavit. Nam cum Proconſul verbis eum flectere vellet, moneretque, ut ſuam ipſe aetatem miſeraretur: ille beſtiam ultrò ad ſe attraxit, cogens illam, ac provocans, quo ſcilicet ex hoc impio, atque injuſto ſeculo velocius emigraret. Exinde univerſa Populi multitudo fortitudinem piae, ac religioſae Chriſtianorum gentis magnopere admirata, acclamavit: Tolle impios: Polycarpus*

Digitized by Google

pus requiratur. Alterum, quod proponunt, exemplum eſt ipſiuſmet Polycarpi, cujus heroïca geſta omnia, atque integrum vitae curſum illuſtrem exercitiis virtutum, frequentibus viſionibus, miraculiſque ſpectabiliſſimum plane commonſtrant; qui veri, & Evangelici Martyris characteres ſunt, & cultu, honore, venerationeque digniſſimum, qui afficiatur, Martyrem extra omnem dubitationis aleam ponunt. Iccirco ex hiſce notis, & characteribus in Polycarpo adamuſſim probatis, concludunt ibid. *Qui non ſolum Doctor inſignis, verum etiam ſummus exſtitit Martyr: cujus Martyrium omnes imitari ſtudent, quippe quod cum Evangelio Chriſti conſenſerit. Etenim injuſtiſſimum Praeſidem patientiâ, ac tolerantiâ ſuperavit. Et hac ratione immortalitatis coronam adeptus*. En igitur undecumque ſolerter indagata rationum momenta, notae, characteres, & cetera veri, atque Evangelici Martyrii indicia, quae ſimul data opera univerſae Eccleſiae Encyclica iſtiuſmodi propoſuit. En nobiliſſimum pariter teſtimonium incomparabilis diligentiae, qua in veris declarandis Martyribus verſata eſt primitiva Chriſti Eccleſia. Certè huc reſpexiſſe eam, de qua nobis ſermo eſt, Encyclicam, ipſi fatentur Smyrnenſes, dum ſcribunt. *Cuncta enim fere, quae praeceſſerunt, iccirco geſta ſunt, ut ex Evangelii praeceptis expreſſum, atque adumbratum Martyrium Chriſtus è Coelo nobis oſtenderet*.

IX. Quartum, quod hujuſmodi Encyclica commonere Eccleſias, & docere inſtituit, incautos è fidelibus quoſdam reſpicit, qui humanae atque interiturae, quam divinae aeternaeque gloriae appetentiores, feſtinanter & ultro ſe ſe offerebant Praeſidibus: Quo factum, ut ſanctioribus divini Spiritus Cariſmatibus deſtituti, ad prima cruciatuum tentamenta, a fide & ſalutis conſecutione exciderent. Qua propter quum ſub epiſtolae initium Smyrnenſes Clerici laudaſſent Germanicum, verum, atque Evangelicum Martyrem, de altero, qui fidei confeſſionem turpiter deſeruerat, quod ſe ſe ultro obtuliſſet, ceteriſque ut id facerent, exemplum praeïviſſet, ad rem ſcribunt: *Quidam verò oriundus è Phrygia, Quintus nomine, qui nuper ex patria huc advenerat, cum beſtias vidiſſet, pavore concuſſus eſt. Hic porro erat, qui alios perpulerat*,

Digitized by Google

rat, ut ultro ſecum ad Tribunal Judicis pergerent. Hunc Proconſul blandis perſuaſionibus illectum eò adduxit, ut juraret, ac ſacrificaret. Nos itaque, Fratres, non probamus eos, qui ultro accedunt, ac ſemetipſos produnt, cum aliter praecipiatur in Evangelio. Sententia haec luculenter demonſtrat, Dogmaticam eam eſſe epiſtolam, atque eo fine eaque mente ad Eccleſias directam & ad fideles, ut id genus martyria, quo par eſt, judicio aeſtimare condiſcerent. Ejus rei gratia continuò Polycarpi exemplum proponunt, qui tametſi à Populis plebeque ad mortem appeteretur, non ultro ſemet obtulit, ſed prudenter ſeceſſit. *Admirabilis autem Polycarpus primum quidem nullatenus commotus eſt, cum iſta geri audiret; ſed in urbe permanere decreverat. Plures tamen ei perſuaſerunt, ut ſecederet: ſeceſſit ergo in agellum quemdam haud procul à civitate.* Atque haec omnia ad exemplum & ceterorum inſtructionem literis mandari, docent poſtrema Encyclicae verba, quibus innuitur, exaratam epiſtolam: *ob ſalutem Sanctorum, qui electi ſunt à Deo: quorum exemplo paſſus eſt Beatus Polycarpus. Ad cujus veſtigia, optamus, ut in Regno Chriſti locum habere mereamur.* Sed hoc de argumento pluribus in Capite ſeq. agemus.

X. Reſtat ut inquiramus, an Epiſtola haec Smyrnenſis Eccleſiarum omnium conſenſu acceptata fuerit, & in autoramentum deducta. Et ad primum quidem quod attinet, eam alicubi deſcriptam, & fortaſſis in aliquo Codice Encyclico epiſtolarum denunciativarum paſſionis Martyrum, ſervabat B. Irenaeus. Hinc ab aliis atque aliis deſcriptam, ſub ipſum epiſtolae finem annotatum eſt. *Haec ex libro Irenaei, diſcipuli Beati Polycarpi, deſcripſit Cajus, qui etiam verſatus eſt cum Irenaeo. Ego verò Socrates Corinthi tranſcripſi ex Caï exemplari. Poſt haec ego Pionius ex ſupradicto deſcripſi, cum exemplaria quaeſiviſſem, & Polycarpus per viſionem ea mihi revelaſſet, ut inferiùs declarabo. Cum autem vetuſtate, ac longinquitate temporis prope corrupta eſſent, collegi ea, ut me quoque cum electis ſuis colligat D. N. J. C., cui cum Patre, & Sancto Spiritu gloria in ſecula ſeculorum. Amen.* Ipſa equidem hujuſmodi viſio & revelatio Pionio facta, atque ea, quam is adhibuit in Encyclica exſcribendi, ſolicitudo hujuſce generis ſcriptorum aeſtimationem commonſtrant.

XI. In autoramentum verò deductam fuiſſe doctrinam Smyrnenſis Encyclicae, atque ab Eccleſiis ubique ſuſceptam, teſtis eſt peridoneus Clemens Alexandrinus, cujus ſententiam laudabimus poſtea. Imo non abſimili temporum difficultate preſſus Cyprianus, ad normam in Encyclica Smyrnenſi propoſitam, mentem animumque videtur intendiſſe. Quum enim & ipſe in publico theatro ab univerſa plebe petitus ad necem, ſeceſſiſſet, non defuere qui prudens Sanctiſſimi Epiſcopi conſilium malignius carperent & inſectarentur. Cujus rei a Preſbyteris Carthaginenſibus certior factus, audaces homines in hunc modum ſcribendo compreſſit. *Nam ſicut Domini mandata inſtruunt, orto ſtatim turbationis impetu primo, cum me clamore violento frequenter populus flagitaſſet, non tam meam ſalutem, quàm quietem Fratrum publicam cogitans, interim ſeceſſi, ne per inverecundam praeſentiam noſtram ſeditio, quae coeperat, plus provocaretur.* Neque enim Cyprianus facta, aut dicta Chriſti, & Apoſtolorum ſecum tantummodo reputabat; ſed Beato Martyri recens pariter, & celebratiſſimum Polycarpi exemplum occurriſſe, conjectando aſſerere haudquaquam dubitamus, quando exploratum fere eſt, ipſummet Pontium, Cypriani Diaconum, ejus quum vitam ſcriberet, & factum tueretur, prae oculis laudatam Smyrnenſium Encyclicam habuiſſe. *Fuit verò*, ſcribit S. Pontius, *formido illa, ſed juſta: formido, quae Dominum timuerat offendere: formido, quae praeceptis Dei mallet obſequi, quam ſic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides, divinis monitionibus mancipata credidit ſe, niſi Domino latebram tunc jubenti paruiſſet, etiam ipſa paſſione peccare. Puto denique etiam tum aliqua de dilationis utilitate diſſerenda, tametſi jam dudum pauca perſtrinximus: Per haec enim, quae videntur poſtmodum ſubſecuta, ut ſequitur, probemus, ſeceſſum illum non hominis peſſi puſillanimitate conceptum, ſed, ſicut eſt, jure fuiſſe divinum: Vaſtaverat Dei populum perſecutionis infeſtae inſolens atque acerba graſſatio; & quia omnes decipere una fraude non poterat artifex hoſtis: quacumque miles incautus prodiderat latus nudum, diſpari genere ſaeviendi ſingulos diverſa ſtrage dejecerat. Debebat eſſe qui poſſet ſaucios homines, & varia expugnantis inimici arte jaculatos, adhibita medicinae coeleſtis medela pro qualitate vulneris vel ſecare*

re interitu, vel fovere. Iis, quae in Encyclica ſcripſerant Smyrnenſes Clerici, uſque adeò gemina ſunt haec, & conſentanea, ut & Cyprianum Polycarpi hac in re veſtigia legiſſe, & Pontium Epiſtolam Smyrnenſium exſcripſiſſe, non immerito exiſtimare poſſimus. Quin etiam ubi Pontius affirmat, ſe diſſeruiſſe de juſto ſeceſſu, & dilatione Martyrii, opus alterum reſpicere videtur de licita in perſecutionibus fuga, quam Montaniſtae, & Tertullianiſtae per Africam eſſe prorſus illicitam tuebantur: unde fortaſſis commotae in Cyprianum criminationes manarunt.

XII. Salubris autem inſtitutio illa, qua in eadem Smyrnenſium Encyclica cautum eſt, ne quis ultro ſe Praeſidibus traderet, velut certa & communis Cyprianico aevo retinebatur. Eam quippe ſequendam proponit Cyprianus epiſt. 83., monetque Carthaginenſes Preſbyteros, ut ea norma fideles erudiant. *Nec quiſquam veſtrum*, inquit, *aliquem tumultum de Fratribus moveat, vel ultro ſe Gentilibus offerat: apprehenſus enim, & traditus loqui debet*. Quod in hac epiſtola docuit commonuitque Cyprianus, idem in judiciali reſponſo apud Proconſulem confirmavit. Etenim in veteribus ejuſdem actis legimus. *Paterno Proconſuli exquirenti, Cyprianus dixit: Cum diſciplina prohibeat, ne quis ſe ultro offerat, & tuae quoque cenſurae hoc diſpliceat, ne offerre ſe ipſi poſſint, ſed à te exquiſiti invenientur, ſcilicet in civitatibus ſuis*. Eadem Cypriani verba paullò aliter memorat Auguſtinus, contra epiſtolam Gaudentii: *His ſacris literis eruditus Beatus Cyprianus in confeſſione dixit: diſciplinam prohibere, ne quis ſe offerat*. Diſciplinae hujus univerſalem, diſertamque conſtitutionem haud facilè reperias alibi, quam in Encyclica Smyrnenſis Eccleſiae, quae ceterarum omnium Eccleſiarum conſenſu probata, legem fecerat diſciplinae. Ad haec exempla reſpiciens M. Athanaſius in Apologia ad Conſtantium, in qua de ſua fuga diſſerit, non incommodè ſcripſit. *Hic igitur modus meae receſſionis fuit, in quo exiſtimo nullam omnino culpam eſſe apud eos ſaltem, quibus eſt ſana mens: cum ſciant à Sanctis hujuſmodi Formam in inſtitutionem noſtri traditam eſſe*. Quae autem forma illuſtrior, aut quae nobilior inſtitutio uſquam prioribus ſeculis fuit, quam Polycarpi exemplum, & Smyrnenſium Clericorum Ency-

 clica,

Digitized by Google

clica ? Quidni ergo Cyprianum , Athanaſium ceteroſque , dum ſuam in perſecutionibus fugam communi aut lege , aut conſuetudine tuebantur , cò reſpexiſſe arbitrabimur ?

CAPUT IV.

DE ENCYCLICIS EVULGATIS IN CAUSSA MONTANISTARUM.

QUum latiùs Evangelica luce irradiari Orbis coepiſſet, ac ſeneſcente Chriſtiano II. Seculo plurimae ubique Eccleſiae Matricibus , & Apoſtolicis adnatae eſſent , paullatim emerſit admirabilis compages , & exactiſſima forma Eccleſiaſtici regiminis , quod magnam partem conſtabilivit haec , de qua diſſerimus, Encyclicarum literarum diſciplina , atque hinc profluens ſupremum Eccleſiae Magiſterium . Hinc non Apologiae tantum clariſſimorum virorum pro Religionis defenſione , & impoſtorum Sectarumque confutatione paſſim lectae ſunt, & auditae , ſed uſuvenerunt Eccleſiarum multiplices Encyclicae , mutuaeque reſponſiones , exegeſes, cohortationeſque aut Romanorum Pontificum, aut Conciliorum , aut ceterorum per Orbem Epiſcoporum , quibus priſca traditio aſſerebatur , & novitia improborum hominum dogmata , crudaque inſomnia refellebantur. Id omne perſpici abunde poteſt in cauſſa Montaniſtarum , in qua uberrima Encyclicarum ſeges , & documenta exiſtunt . Eam igitur operae pretium erit expendere , praeſertim cum hujuſce Sectae ſtatus, origo, ſucceſſio , variique errores in diſputationem quidem apud eruditos perſaepe venerint , nondum tamen ab iis extricari difficultatibus potuerint, ex quibus & indigeſta confuſaque hiſtoriae narratio, & decretorum , Encyclicarumque colliſio viſa eſt emanare .

§. I.

§. I.

De Montaniſtarum origine, & erroribus.

SYNOPSIS.

I. *Pacem à Tyrannis Eccleſiae redditam turbavit Montanus.* II. *Falſae Montani viſiones, & illi cohaerentes ſectae Tatianorum, ſeu Encratitarum, Severianorum, & Apoſtolicorum recenſentur.* III. *Montanus unde oriundus, cur Eunuchus dictus, quave ratione, & tempore haereſim invexerit.* IV. *Se Paracletum, & Deum Patrem appellari voluit.* V. *Ad eum unum omnem Eccleſiaſticam poteſtatem redactam, aſſeclae affirmabant.* VI. *Fugam in perſecutione, & nuptias damnabant.* VII. *Viſiones muliercularum magni habitae.* VIII. *In oppido Pepuzae imprimis Prophetiam, & arcana Myſteria exercebant.* IX. *Taſcodrugitarum, & Aſcitarum myſteria.*

I. JAm per annos aliquot poſt B. Polycarpi martyrium, quod Smyrnenſis Encyclica teſtata eſt, Tyrannorum perſecutiones deferbuerant, & virtutibus numeroque augeri coeperat Chriſtianus grex, quum princeps tenebrarum novo armorum genere fidem concutere aggreſſus eſt, ut cum evertere funditus Religionem non poſſet, ſplendorem tamen diſſidiis inteſtinis minueret. Id acutè vidit Euſebius, qui de haereſi Montaniſtarum acturus lib. 5. c. 14., haec praefatus eſt. *Ceterum hoſtis Eccleſiae Dei, qui ſemper virtuti infeſtus eſt, & malis delectatur, nec ullam unquam inſidiandi hominibus ſpeciem, atque occaſionem praetermittit, peregrinas quaſdam haereſes adversùs Eccleſiam pullulare iterum fecit.* Equidem peregrinas & falſas, longèque abhorrentes à Chriſtianorum dogmatum ſimplicitate & candore invexerat nequiſſimus ille hypocrita opinationes, quippe & ipſa Religionis ſacramenta, & ſanctiores virtutes, & illapſas divinitus prophetias uſque adeo deturpare auſus eſt, ut monſtruoſis ſacrificiis, & nefaria vitae ratione innumeras Gentium calumnias atque inſectationes commoverit.

II. Enimvero in Encyclica Smyrnenſi, atque in actis S. Ignatii ſat luculenter Eccleſiae docuerant, quanti ad fidem & Religionem facerent coelitus datae viſiones, ob quarum frequentiam B. Polycarpus nuncupatus eſt *Doctor propheticus*. Sacrum hoc & illuſtre Chariſma invidit Eccleſiae Daemon, & impoſturis ut dehoneſtaret ac fraudibus, nihil non attentavit. Nam ſicuti miracula quidem à Chriſto, & Apoſtolis perpetrata ſunt, calliditate tamen atque arte Simonianorum effectum eſt, ut magnum illud Religionis noſtrae ſacramentum magicae artis infamia aſpergeretur, ita frequentibus licet viſionibus ſanctiſſimi viri divinitus recrearentur, atque inde fides incrementum acciperet, interceſſerunt nihilominus Montaniſtae diabolicis ſuis prophetiae, ſacrificii, ceterarumque virtutum Chriſtianarum dehoneſtamentis, ne in fidei puritate proficeret recens Eccleſia, potiuſque inteſtinis diſſenſionibus concuteretur. Jam ab ipſo Polycarpi obitu incoeperant Tatiani, & Severiani haeretici, qui ſub exterioris ſanctimoniae larva, & continentiae fuco uſque adeo delituerunt, ut Encratitarum, ſeu Continentium appellationem ſortirentur, ad annum 173. ſcribente Euſebio in Chronico. *Tatianus haereticus agnoſcitur, à quo Encratitae*. De iis agunt Irenaeus lib. 1. c. 37., Epiphanius haereſi 46., Philaſtrius de haereſibus, S. Auguſtinus de haer. n. 64. De Severianis verò ſcribit Euſebius H. E. l. 4. c. 29. *Non multo poſtea Severus quidam, cum ſupradictae haereſi robur ac vires addidiſſet, in cauſſa fuit, ut illius Sectae homines ex ipſius vocabulo Severiani dicerentur*. Hi vino abſtinentes erant; integram mulierum ſtructuram à malo Daemone conditam, itidemque eam hominum partem, quae eſt infra umbellicum, à Poteſtate neſcio qua improba compactam arbitrabantur. Et ex his quidem, teſte Auguſtino ibid. num. 40., orti ſunt Apoſtolici ſive Apotacti, quaſi renunciatores: *qui ſe iſto nomine arrogantiſſimè vocaverunt, eo quod in ſuam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias habentes*. Ad hunc igitur modum jacta ſunt veteratoriae illius artis fundamenta, que improbos nebulones nunquam non edocuit, incautum & promiſcuum vulgus fallere ſub pietatis larva, & Religionis: & quam Montanus arri-

arripiens ſub prophetiae, & coeleſtium viſionum fuco, Chriſtianae Religionis puritatem multiplici labe conſperſit.

III. Phrygiae contermina eſt Myſia Aſiae, à Myſia Europea, quam alii Moeſiam vocant, diſcreta. In illius oppido, Ardabau dicto, ſortitus eſt natales ſuos Montanus, licet ex altero Phrygiae vico, Pepuza dicto, oriundus haberetur. Abſciſſum, & Semivivum appellat Hieronymus in epiſt. ad Marcellam, vel quia à natura fuerit Eunuchus, vel quia evirari à parentibus conſueverunt qui ad Sacerdotium Magnae Deae Matris deſtinarentur; vel denique propria voluntate caſtrari maluit, ut mulieres impoſturae ſocias citra criminationem facilius poſſet circumducere. Sed fortaſſe contemtus gratia id paſſus eſt appellationis apud Scriptores: ſiquidem quicumque è Myſia, contemtibiles habebantur, ſcribente Cicerone in Orat. pro L. Planco. *Quid in Graeco ſermone tam tritum, quàm ſiquis deſpicatui dicitur, ut Myſorum ultimus eſſe dicatur?* Et multò pridem Ariſtoteles lib. 1. Rhetor. annotavit, adagio dici: *Praeda Myſorum: de iis qui injuria affecti, illius ulciſci non curant.* Quemadmodum autem Montanus haereſim ſuam invexerit, Aſterius accuratè prodidit apud Euſebium ibid. cap. 16. Conſcius nimirum Haereſiarcha exiſtimationis venerationiſque, qua fideles proſequebantur Martyres, atque eos praeſertim qui Prophetiae dono, & viſionibus habitis excelluiſſent, ſive gloriolae ambitu, ſive obſeſſus à Daemone, à quo furore quodam ageretur, coepit de futurorum arcanis neſcio quid effutire obſcurum, & ludicrum. Et plebem ſanè rapuit novarum rerum appetentem, non inepta Prophetae ſimulatio, quam vitae auſteritas, & diſciplinae rigidioris uſus comitabantur. Quare brevi condidit Sectam circa ann. 172., ad quae tempora ortos eſſe Montaniſtas, Euſebius in Chronico prodidit. Unde Lugdunenſes Martyres in ſua Encyclica ann. 176., aut 177. data, ejus haereſis, velut novae ac recentis meminerunt. Socias interim, & facinorum conſortes Priſcam ſeu Priſcillam, & Maximillam adlegit, quae pariter ſeu turpi, ſeu daemoniaco ingenio abreptae, viris poſthabitis dimiſſiſque, quaſcumque divitias habebant, liberaliter

pro Montano erogarunt. Perfidiam igitur & errores longè lateque diſſeminarunt, quos in praeſentiarum recenſere haudquaquam gravabimur, ut earum quas ſubinde laudabimus, Encyclicarum ſcopum aſſequi facilè valeamus.

IV. Fidem Prophetiis ſuis, pretiumque facturus, jactitabat, ſibi uni cum plenitudine gratiam Spiritus Sancti eſſe conceſſam. *Adventum Spiritus Sancti* [ſcribit de hoc dogmate Auguſtinus haereſi 26.] *à Domino promiſſum, in ſe potius, quam in Apoſtolos fuiſſe aſſerunt redditum*, Iccirco aſſeclae Montanum ſuum vocabant Paracletum, atque adeo ipſam divini Spiritus plenitudinem, quam nemo praeter ipſum, à prima rerum origine fuiſſet expertus. Eò etiam dementiae proceſſit impoſtor, ut, referente Epiphan. haer. 41. n. 11., nedum ſe Paracletum, ſed inſuper Deum Patrem juſſerit appellari. *Pergit Montanus, infelix homuncio: Non Angelus, non legatus, ſed egomet Deus Pater acceſſi*. Quò facit & illud Tertulliani de Laudib. Virgin. cap. 1., ubi praedicationem Evangelii, & mirabili quodam gradu inſtitutam veritatis patefactionem deſcribens, aït. *Juſtitia primò fuit in rudimentis, natura Deum metuens: dehinc per Legem, & Prophetas promovit in infantiam: dehinc per Evangelium efferbuit in juventutem: nunc per Paracletum componitur in maturitatem*. Exprimit Tertullianus hoc loco, Montanum, quo tempore liber ille eſt conſcriptus, in vivis adhuc fuiſſe. Multò autem exſecrabilius deſcriptos à Montano juſtitiae ſtatus memorat Hieronymus in epiſt. ad Marcellam. *Aperta eſt blaſphemia dicentium, Deum primum voluiſſe in V. Teſt.*^to *per Moyſem, & Prophetas ſalvare Mundum: ſed quia non potuerit, corpus ſumſiſſe ex Virgine..... Et quia per duos gradus Mundum ſalvare nequiverit, ad extremum per Spiritum Sanctum in Montanum, Priſcam, & Maximillam inſanas foeminas deſcendiſſe, & plenitudinem, quam Paulus non habuerit,..... habuiſſe Montanum*.

V. Affinis huic errori erat alter, quo aſſeclae eam poteſtatem Montano adſcribebant, quae eſt in Epiſcoporum omnium collectione, totiuſque Eccleſiae compage. Id ex Tertulliano in cap. 21. lib. de Pudicit. dilucidè apparet. Agit eo loco de poteſta-

Digitized by Google

teſtate Eccleſiae, de jure ſummo, ac magiſterio, quod coetui Epiſcoporum divinitus eſſe collatum, nemo unus fidelium dubitabat. Id quantumcumque erat dignitatis & authoritatis ad ſolum Montanum cum plenitudine Paracleti commigraſſe, aſſeverat. *Eccleſia quidem*, inquit ille, *delicta donabit: ſed Eccleſia ſpiritus per ſpiritalem hominem, non Eccleſia, numerus Epiſcoporum*. Ubi quidem duo ſunt annotanda, quae ad eam qua de agimus diſputationem conducunt: alterum non denegaſſe Montaniſtas, jus poteſtatemque eſſe in Eccleſia: non tamen in Eccleſia, quae in numero Epiſcoporum pro dignitate ſplendeſcat; ſed quae tunc erat in Spiritu *per ſpiritalem hominem*, utique per Montanum, & aſſeclas; alterum verò, Tertullianum eo uſque non abnuiſſe, quin admitteretur, Eccleſiam exiſtere, quae ſuam authoritatem poteſtatemque exereret [de hac enim ſermo erat] in numero potiſſimùm Epiſcoporum: atque adeo vel ex illorum perſuaſione liquet, jus magiſterii Eccleſiaſtici apud Epiſcopos remanere, ſive ii demum in coetus & Concilia coëant, ſive per Orbem diſperſi in unum quidpiam ſubſcriptione conſentiant. Id verò, quod Montaniſtas, & Orthodoxos commiſſit, totum in poteſtate atque uſu Clavium verſabatur. Namque illi cum ſub larva pietatis ſeveriorem ſtrictioremque diſciplinam affectarent, temerè graviora peccata, atque imprimis adulterium, homicidium, & idololatriam, irremiſſibilia & immundabilia vocabant, atque ex phraſi Tertulliani in lib. de Pudicit. capp. 2. 9. & 20. inconceſſibilia dicebant. Condonandorum itaque hujuſcemodi delictorum facultas per eos Eccleſiae ſublata eſt, & Montano ejuſque Spiritui reſervata. Hanc adversùs Lapſos Montaniſtarum inclementiam deſcribit & carpit Hieronymus in epiſt. ad Marcellam. *Illi ad omne penè delictum Eccleſiae obſerrant fores: Nos quotidie legimus: Malo poenitentiam peccatoris, quàm mortem, & numquid qui cadet, non reſurget, dicit Dominus? & convertimini ad me filii convertentes, & ego curabo contritiones veſtras. Rigidi autem ſunt, non quod & ipſi majora non peccent; ſed hoc inter nos, & illos intereſt, quod illi erubeſcunt confiteri peccata, quaſi Juſti, nos dum poenitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur.*

VI. Ex

Digitized by Google

VI. Ex eadem rigidioris diſciplinae affectatione profluxit, ut mordicus inficiarentur, licere Chriſtianorum alicui in extremis Tyrannorum perſecutionibus ad mortem quaeſito fuga ſuae ſaluti conſulere. Atque in hanc rem librum de fuga conſcripſit Tertullianus. Ad haec, Montanus nuptias reſpuebat omnes, quod è repudio colligitur, quod faeminas in ſocietatem adſcitas maritis ſuis dare coëgit; & ex teſtimonio Apollonii apud Euſebium lib. 5. cap. 18. *Hic eſt, qui nuptiarum diſſidia docuit*. Apollonio concinit Theodoritus lib. 3. Haeretic. Fabul. cap. 1. Imò iſmet Apollonius ibid. narrat, eundem ſectatoribus ſuis tres Quadrageſimas neceſſariò obſervandas, & quae ſine piaculo violari non poſſent, indixiſſe.

VII. Quod autem novitiae hujus Religionis caput eſt, faeminarum viſiones tanti habebantur, ut qualitercumque probatas velut fidei veritatem, conſectarentur & crederent. Tertullianus in eo libro, quem de Anima ſcripſit, hinc potiſſimùm colligit, Animas noſtras materia concretas eſſe, & corporeas habere formas, quod ejuſmodi vidiſſent Montaniſticae Prophetiſſae. Quae autem eſſent hae viſiones, lubet ejuſdem Tertulliani verbis deſcribere. *Eſt autem ſoror apud nos revelationum charifmata ſortita, quas in Eccleſia inter Dominica ſollennia per Ecſtaſim in ſpiritu potitur; converſatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino: & videt, & audit ſacramenta, & quorumdam corda dignoſcit, & medicinam deſiderantibus ſubmittit. Jam verò prout Scripturae leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut allocutiones proferuntur, aut petitiones delegantur, ità inde materiae viſionibus ſubminiſtrantur. Fortè neſcio quid de Anima diſſerveramus, cum ea ſoror in ſpiritu eſſet. Poſt tranſacta ſollennia, dimiſſa plebe, quo uſu ſolet nobis renunciare quae viderit [nam & diligentiſſimè digeruntur, ut etiam probentur] inter cetera, inquit, oſtenſa eſt mihi anima corporaliter, & ſpiritus videbatur, ſed non inanis & vacuae qualitatis.*

VIII. Oppidum quidem Pepuza locus erat & futilibus hiſce viſionibus percelebris, & ad majora Sectae myſteria peragenda deſtinatus; ad quem undique confluebant Montaniſtae, novamque ſuam Jeruſalem appellabant, referente Epiphanio haereſi 48.

48. Scribit autem & Apollonius apud Euſebium, Tymium, neſcio quod aliud Phrygiae oppidulum, novae Jeruſalem nomine fuiſſe apud illos inſignitum. In iis igitur locis nonnullae peccatis oneratae mulierculae Prophetias viſioneſque quotidie jactitabant uſque adeo, ut ſive hoc furore revelationum, ſive praeconcepto in nuptias odio dementati aſſeclae, variaſque in Sectas diſpertiti, ad nefandos ritus ſint progreſſi, qui niſi à graviſſimis Scriptoribus literarum monumentis conſignati fuiſſent, omnem ſuperarent fidem. Cataphryges equidem illi horrendo crimine, dicuntur, vivum infantulum acubus aeneis toto corpore punxiſſe, & exceptum ſanguinem certo quodam feſto die, atque, ut Philaſtrius de haereſibus aït, ipſo die Paſchatis ſuis ſacrificiis adhibuiſſe. *Qui puer (* addit Auguſtinus de haereſibus cap. 26. *) ſi mortuus fuerit, apud eos habebatur pro Martyre; ſi autem vixerit, pro magno Sacerdote*. Tradit autem Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 16., eundem infantulum ab iis jugulatum, & in nefariam eſcam conceſſum. *Propterea*, ad haec ſubjungit S. Auguſtinus, *hactenus in perſecutionibus hoc ipſum nos facere Gentes ſuſpicabantur, eo quod & Montaniſtae, quamvis falsò, eodem tamen Chriſtianorum nomine vocabantur*. Idcirco Athanagoras, qui hoc eodem tempore Apologiam pro Chriſtianis ſcripſit, ad hanc labem à Catholicis avertendam prolixè adverſus Ethnicos diſputat. Quò reſpexit Epiphanius quoque haereſi 48. *In hac Montani, vel in ejus germana Quintillianorum, aut certè Priſcillianorum, & Pepuzianorum haereſi horrendum quiddam ac deteſtandum fieri dicitur*.

IX. Taſcodrugitae, ſive, ut alii malunt, Aſcodrugitae, ſive etiam nominibus aliis compellentur, deſcribuntur à Philaſtrio cap. 75., quod utrem inflatum in ſua Eccleſia ponant & cooperiant, eumque inſanientes potibus, & bacchantes circumëant. Idcircò appellat eos Aſcitas Auguſtinus, de haer. c. 62. *Aſcitae ſic appellati ſunt. Ἀσκὸς enim Graecè, latinè uter dicitur, quem perhibentur inflatum, & opertum circumire bacchantes, tanquam ipſi ſint Evangelii novi utres novo vino repleti*. Et Author Praedeſtinati. *Utrem ingentem juxta Altare ponunt, eumque vacuum inflant, & lin-*

Digitized by Google

linteaminibus velant, & adorant, quia confectum cruore Domini ibi adjiciunt, illud dicentes Evangelicum: vinum novum in utres novos injiciunt, & utraque conſervantur. Iis Montaniſtarum Sectis Epiphanius haer. 49. adjungit Artotyrìtas ità dictos, quod panem & caſeum in ſuis myſteriis adhiberent. Haec & id genus alia, quae chartis illinìre taedet, nefaria & ſceleſta commenta Montaniſtarum brevi temporis ſpatio à Phrygia per totam Aſiam uſque ad Africam pervagata ſunt, adeout in ipſamet Africa hujuſmodi homines plurimas Eccleſias jam haberent, & Thyatirenſe quidem oppidum, ex Epiphanio haer. 57. n. 13., ita haereſi adhaeſcrit, ut per annos 112. nullam admiſerit Catholicorum Eccleſiam.

ſ. II.

De Montani Aſſeclis: & an Alexander idem ſit atque Alexander Lucianeus.

SYNOPSIS.

I. *Theodotus praecipuus Montani ſectator: utriuſque exitus.*. II. *Themiſon Sectam ſua Encyclica propagavit, Catholiciſque Epiſcopis obſtitit, ne Maximillam per exorciſmos à Daemone liberarent*. III. *Alcibiades è ducibus Sectae unus*. IV. *Aeſchines, & Proclus duabus Montaniſtarum factionibus praefuerunt*. V. *Alexandri Montaniſtae facinora publicis Tabulariis inſcripta*. VI. *Idem is eſt atque Alexander impoſtor à Luciano deſcriptus*. VII. *Arcana utriuſque myſteria conſentiunt*. VIII. *Itidem implexae falſaeque utriuſque praedictiones*. IX. *Falſa ejus de Imperii exitu Prophetia*. X. *Diverſos eſſe non arguit, quod eorum alter idololatriam profiteri videretur*.

I. FUerunt ſane plurimi ex grege Montani, qui aut externa pietate illecti, aut fallendi ingenio ducti, ampliandae Se-

ctae operam navarent ſuam. Omnium fortè praecipuus fuit Theodotus, de quo verba facit Aſterius Urbanus apud Euſebium lib. 5. cap. 16., ubi monſtrandum ſibi ſumſerat, ex ejus perfidiae ducibus legi neminem, qui ſupplicium aliquod fuerit paſſus. *Nuſquam profectò*, inquit ille, *nec unquam. Imò longè alio mortis genere interiiſſe dicuntur Montanus, & Maximilla. Ambo enim, ut fama eſt, ab inſano ſpiritu incitati, laqueo ſibi gulam fregerunt: non quidem ſimul, ſed ſuae quiſque mortis tempore: atque ita inſtar proditoris Judae vitam finierunt. Sic etiam admirabilis ille Theodotus, qui primus Prophetiae illorum quaſi procurator quidam fuit, plurimorum ſermone perhibetur falſo mentis exceſſu abreptus fuiſſe, perinde ac ſi levaretur aliquando, & aſſumeretur in Coelum: cumque ſe totum fraudulentiſſimo ſpiritui permiſiſſet, ab eo in altum jactatus miſerabili exitu periiſſe. Et id quidem ita factum eſſe narrant.*

II. Themiſon alter Pſeudopropheta, & Maximillae Socius, cui videlicet, quum divinatoriam ſeu potiùs veteratoriam artem ſuam exerceret, fidus comes adſtabat, & plerumque intercedebat, ne Catholici Epiſcopi conſuetis Eccleſiaſticis exorciſmis Daemonem impedirent per eam loquentem, ut ibid. Aſterio proditum. Haud aliter apud Euſebium cap. 18. ſcripſerat Apollonius: *Praeterea Themiſon ſpecioſa avaritia obvelatus, qui confeſſionis ſignum non pertulit, ſed magna pecuniae vi erogata, vincula abjecit: cum ob eam cauſſam modeſtiùs deinceps, ac ſubmiſſiùs agere deberet, tanquam martyr ſe ſe efferens, auſus eſt exemplo Apoſtoli conſcripta epiſtola Catholica, eos quidem, qui fideliores ipſo exſtiterant, inſtruere; novae autem doctrinae patrocinari: ac poſtremo in Dominum, in Apoſtolos, & in Sacroſanctam Eccleſiam impiè loqui.* De Encyclicis Martyrum literis eadem tempeſtate emiſſis, deque illarum uſu & aeſtimatione paullò infra dicemus. Quae autem in Dominum, in Apoſtolos, & Eccleſiam impia pronunciaſſe Themiſon dicitur, ea ſunt quae mox ex Tertulliano, & Hieronymo enarravimus, Eccleſiam ſcilicet ad unum Montani ſpiritum eſſe redactam, qui & major in eo ſit, quàm in ullo Apoſtolorum fuerit, & ſalutem Gentium ſit operatus, quod ipſe

ſe Mundi Salvator haudquaquam compleverat. Quibus gemina ea ſunt, quae Spiritus nequam in Maximilla loquebatur. Nam cum Catholici Epiſcopi, referente ibid. Aſterio, Zoticus Comanenſis, & Julianus Apamenſis furenti Maximillae adjurationibus, & exorciſmis vellent obſiſtere, impedivit Themiſon; & Spiritus ore faeminae in haec verba erupit. *Arceor tanquam lupus ab ovibus. Non ſum lupus, ſed Verbum, Spiritus, & Potentia*. Itaque memoratam Themiſonis epiſtolam vel adversùs Epiſcopos illos datam conjicimus, vel contra Lugdunenſis Eccleſiae Encyclicam, quae Sectae hujus improbitatem hoc ex aliis argumento refutabat, quòd novam doctrinam, novamque Prophetiam edoceret: atque adeò eidem novitati ſuamet epiſtola patrocinari auſus Themiſon eas blaſphemias inſeruit, quas Maximillae vocibus Daemon effutierat, quaſque Hieronymus accuratè recenſuit.

III. Ducem hujus Sectae non ignobilem Euſebius lib. 5. cap. 3. exiſtimavit Alcibiadem, qui unà cum Theodoto, & Montano fallax ingenium in ea errorum palaeſtra exercuerit: nec dubitat, adversùs horum trium machinationes & novitiam doctrinam à Lugdunenſibus Martyribus Encyclicam fuiſſe exaratam.

IV. Aeſchines, & Proclus, ſive Patroclus, ut Theodoritus appellat, in eandem ſententiam iverunt. De his malo hîc habeas verba Appendicis ad Librum Tertulliani de Praeſcript. cap. 20., quam mea. *Acceſſerunt alii Haeretici, qui dicuntur ſecundum Phrygas: ſed horum non una doctrina eſt. Sunt enim, qui* κατὰ *Proclum dicuntur; ſunt qui ſecundum Aeſchinem pronunciantur. Hi habent aliam communem blaſphemiam, aliam blaſphemiam non communem, ſed peculiarem & ſuam: & communem quidem illam, qua in Apoſtolis quidem dicunt Spiritum Sanctum fuiſſe, Paracletum non fuiſſe: & qua dicunt, Paracletum plura in Montano dixiſſe, quam Chriſtum in Evangelio protuliſſe; nec tamen plura, ſed etiam meliora, atque majora. Privatam autem blaſphemiam illi qui ſunt* κατὰ *Aeſchinem, hanc habent, qua adjiciunt etiam hoc, ut dicant, Chriſtum ipſum eſſe Filium, & Patrem*. Neque verò mirum

eſt

eſt, hos ex Epicuri ara, & coenobio Pythagorae profugos homines in tantam erupiſſe doctrinae & ſcelerum impudentiam. Adeſſe ſibi, impuriſſimis ſcilicet terrae filiis, continuò adſtare, & futura revelare Divinum Spiritum exiſtimabant: qua perſuaſione fretus Tertullianus, corpoream animam & ad materiae rationes conformatam eſſe credidit, quòd furens faemina ejuſmodi videre ſibi viſa eſſet.

V. Alexander unà cum Themiſone inter praecipuos Montani aſſeclas ab Apollonio recenſetur, qui loco nuper citato ad hunc modum ſcribit. *Sed ne plurima loquamur, reſpondeat nobis Propheтiſſa de Alexandro, qui ſe martyrem praedicat, quocum ipſa convivatur; qui adoratur etiam à multis. Cujus latrocinia & reliqua facinora, pro quibus poenas dedit, nihil opus eſt nos dicere, praeſertim cum in Tabulario contineantur.* Agit itaque de celebri aliquo impoſtore, qui Priſcae, & Maximillae comes eſſet: atque adeò, ut Themiſon Maximillae, ſic Alexander Priſcillae ſociatus eſt. Ejus autem facinora in Tabulario fuiſſe deſcripta, Apollonius aſſeverat: more ſcilicet jamdiu invaleſcente, ut quotquot patrarentur inſignia facinora, ea tabulis inſcripta publicè proſtarent: qui verò ob eadem damnabantur, in iiſdem tabulis appellari ſuo nomine conſueverunt. Divino Redemtori crucifixionis cauſſa in titulo eſt appoſita, quo velut Regni uſurpator traducebatur. Et ex vita B. Martyris Cypriani novimus, ejus mortis cauſſam tabulis fuiſſe inſcriptam. Apud Romanos ſacro quodam loco haec tabularia recondebantur. Hinc Clodius, hoſtis Milonis, locum hujuſcemodi igne aboleri curaverat, ne ſcilicet ejus gravia ſcelera dignoſci ullo modo poſſent, quemadmodum illi objecit Cicero in Orat. pro Milone. Itaque ad hoc tabularium omnes Apollonius remittit, in quo deſcripta Alexandri latrocinia conſpiciebantur.

VI. Hic porrò Alexander Montaniſta latrociniis & impoſturis infamis, non eſt, opinor, ab eo diverſus Pſeudomante, cujus divinationes, vafritiemque in pecuniis per omne nefas corradendis, deſcribit in Dialogo ſub nomine Alexandri Pſeudomantis Lucianus. Tempus enim, locus, fraudes, divinandi artes,

tes, & ſiquae erant id genus alia ab Apollonio, & Luciano annotata, planè conſentiunt ad eandem perſonam deſignandam. Ac tempora quidem utriuſque correſpondent. Alexander enim Luciani jam ab anno 170. celebris erat: ſiquidem Marcus Aurelius Imperator, cujus dominatio in haec incidit tempora, Nebulonis hujus impoſturis circumventus eſt. Apollonii verò Alexander inter primores Montaniſtarum recenſetur. Eodem igitur uterque tempore vaticiniis divinationibuſque celebris erat. Loco etiam idipſum adſtruitur. Lucianus prodit, cum in Aſia minori divinationem exercuiſſe, atque impoſturae officinam Aboni in Ponto poſuiſſe narrat, ubi tantam nominis celebritatem adeptus eſt, ut Pontici, Paphlagones, Bithyni, Jones, Galatae, Cilices aliique Aſiae populi, velut Oraculum vivens, eundem admirarentur. In Aſia pariter Alexandrum Montaniſtam ob latrocinia multatum publicâ ſententiâ fuiſſe, teſtatur Apollonius, apud Euſebium lib. 5. cap. 18. *Quod verò ad Alexandrum pertinet, ut veritas omnibus noſſe cupientibus innoteſcat, judicatus eſt Epheſi ab Emilio Frontino Aſiae Proconſule non ob nomen Chriſti, ſed ob ea quae patraverat latrocinia, cum jam deſertor fidei eſſet. Deinde verò ementitus nomen Chriſti, dimiſſus eſt, cum Urbis illius Fideles feſelliſſet. Eccleſia verò ejus loci unde erat oriundus, ipſum non recepit, eo quod latrocinia exerceret. Siqui verò totum illius negotium ſcire deſiderant, praeſto eſt publicum Aſiae tabularium.*

VII. Alexander Montaniſta accuratiſſimè gregalium conſuetudinem obſervabat, commerciumque omne Catholicorum diffugiebat, ne ſacris exorciſmis ab Eccleſia adhibitis vires Daemonis in ipſo furentis attererentur, & maleſana fallendi libido coërceretur. Quapropter quum Epiſcopi, ut notat Aſterius Urbanus apud Euſeb. ibid. cap. 16., Maximillam alloqui, ejuſque ſpiritum examinare vellent, inhibuerunt Montaniſtae. *Refert praeterea* (Aſterius) *in eodem libro, Sanctiſſimos Epiſcopos ſpiritum illum, qui in Maximilla reſidebat, confutare conatos quidem fuiſſe, ſed ab aliis, qui ſpiritui favebant, prohibitos*. Imo quum idem Spiritus aliquando divinam ſibi potentiam arrogaret, Zoticus verò, & Julianus Epiſcopi blaſphemiam objurgare vellent,

The-

Digitized by Google

Themiſon, aliique os obturantes, mendacem illum & vulgi ſeductorem ſpiritum ab illis coargui vetuerunt. Quod pariter ab Apollonio narrari & certa fide aſſeri, prodit ibid. cap. 18. Euſebius. *Addit praeterea (* Apollonius *) Zoticum illum, cujus à priore ſcriptore facta eſt mentio, cum jam Maximilla Pepuzis ſe prophetare ſimularet, ſupervenientem Daemonium quo illa agitabatur, coärguere inſtituiſſe: verùm ab aliis qui idem cum illa ſentiebant, eſſe cohibitum.* Haec pariter ſolicitudo tenebat Alexandrum à Luciano deſcriptum. Is ſcenam acturus, quaſdam praemittebat initiationes arcanas: & velut in exercitiis Eleuſiniis Atticae Praeco ſub initium clamabat: *Foras profani*; ſic inquit Lucianus, *primo quidem die Athenienſium ritu denunciatio fiebat hujuſmodi: ſiquis impius, aut Chriſtianus, aut Epicureus Myſteriorum explorator acceſſit, diſcedat: Ceterum qui Deo credunt & parent, ſacris feliciter initientur. Sub hac protinus exigebantur, illo praeeunte, dicenteque: Foras pellantur Chriſtiani.*

VIII. Mox putidiſſimas impoſturas Lucianus aperit, quibus in edendis oraculis Alexander utebatur: multaque ſubinde in hanc rem ſcribit lectu digna, ut quae immaniſſimae fraudes ab hiſce Pſeudoprophetis adhibitae ſunt, in numerato habeantur. Haud aliter ſollenne apud Montaniſtas erat, dubiis contortiſque reſponſionibus interrogantes eludere. Quapropter Epiphanius haereſi 48. n. 3. ſcripſit. *At contra iſti vaticinare ſe jactant, neque certè cum animi firmitate praedicant, neque quae dicunt, intelligentia conſequuntur. Sed obliqua ſunt ac perplexa verba, nec recti omninò quicquam effutiunt.* Deſcribit haſce ineptias in ſuo Alexandro Lucianus, atque inter alia grave mendacium memorat, deſcriptum, opinor, in tabulario Epheſino, quum ex ejus Oraculi falſitate imperio detrimentum contigerit. Severianus Dux conſuluerat impoſtorem. Conſulti exitum ipſis Luciani verbis expendamus. *Itaque*, ſcribit ille, *quod Severiano redditum eſt, reſponſum ſcilicet ſuper expeditione in Armeniam ſuſcipienda, ex Autophonis erat. Adhortatus enim illum ad incurſum ejus regionis, ſic ait:*

Parthis, Armeniſque citato Marte ſubactis,

Digitized by Google

Romam Urbem repetes, & claras Tybridis undas
Vertice ſerta gerens radiis diſtincta ſerenis.

Denique poſtquam vecors ille Gallus perſuaſus incurſionem feciſſet, eveniſſetque, ut unà cum exercitu caederetur ab Othryade, hoc Oraculum à monumentis ſuſtulit, atque aliud in ejus locum ſubſtituit hujuſmodi.

Agmen in Armenios ne duc: neque enim expedit. iſthuc;
Ne tibi faemineis vir amictus veſtibus, arcu
Exitium immittat, vitaque & lumine privet.

Siquidem & hoc interim callidiſſimè fuerat commentus, ut poſterioribus ſubſtitutiſque reſponſis ea, quae perperam malèque eveniſſent, ſarciret ac mederetur. Ex quo non perperam colliges, Alexandrum oracula ſua ac divinationes in unum Codicem compactas habuiſſe: quod uſuvenerat apud Pſeudoprophetas de grege Montani. Ipſe Montanus ſcripſit Libros Propheticos, quorum breviuſcula fragmenta apud Epiphanium haer. 48. leguntur.

IX. Nequam idem Spiritus plura per Maximillam edixerat de ſtatu Imperii, atque Eccleſiarum: Quae omnia confutavit Aſterius in ſuo ſecundo libro, apud Euſeb. ibid. cap. 16., ubi legimus. *Poſtquam nonnulla ad falſam illam Maximillae Prophetiam convincendam interſeruit, tum tempus ipſum, quo haec ſcripta ſunt, deſignat: tum mulieris illius vaticinia commemorat, quibus bella & tumultus imminere praedixerat.* Luciani quoque Alexander, impurus terrae filius exitum Imperii praenunciare auſus fuerat, atque arte veteratoria praedicere, quae Lucianus ad hunc modum proſequitur. *Accipe jam facinus quoddam hominis ſceleſtiſſimi, unum inter omnia multò impudentiſſimum. Cum jam non mediocrem in Regiam aditum ſibi patefeciſſet, inque Aulam Caeſaream, praeſertim Rutiliano rem adjuvante atque approbante: cum bellum, quod in Germania gerebatur, maximè flagraret, Divo Marco cum Marcomannis, & Quadis conſerente, Oraculum divulgavit, quo jubebat uti duos Leones vivos in Danubium immitterent variis cum odoribus, ac ſacris quibuſdam magnificis. Sed praeſtat Oraculum ipſum referre.*

Gur-

Gurgitibus fluvii turgentis ab imbribus Iſtri
Immiſiſſe duos Cybeles edico miniſtros,
Monte feras alitas. Tum quantum alit Indicus aër
Florum, atque herbarum beneolentum: moxque futura eſt
Et victoria, pax & amabilis, & decus ingens.

Haec cum facta eſſent, quemadmodum ille praeſcripſerat, Leones quidem ſimulatque in hoſtium regionem enataſſent, Barbari, canes quoſpiam, aut Lupos eſſe rati, fuſtibus arcebant. At noſtrorum protinus maxima ſtrages conſecuta eſt viginti fermè millibus ſimul extinctis. His ſimilia ſunt ea, quae in Aquileja contigerunt, quum parum abfuerit, quin Urbs ea caperetur. At is ad id quod evenerat Delphicam illam reſponſionem, Croeſoque redditum oraculum frigidè ſanè detorſit, dicens: Deum quidem praedixiſſe victoriam: haud tamen explicuiſſe, utrum Romanorum futura eſſet, an hoſtium. Quoniam verò Alexandri artes eò collineabant omnes, ut divitias cumularet, ſic voti compos erat impoſtor, ut quotannis ad ſeptuaginta drachmarum millia corraderet, teſtante ibidem Luciano. Idipſum de Montaniſtis memoriae prodiderunt Aſterius, & Apollonius, qui aſſeverant, eos ab omnibus indiſcriminatim & munera, & veſtes pretioſas, & aurum, argentumque paſſim accepiſſe. Imo, teſte Apollonio, Alexander ob id potiſſimum ab Aſiae Proconſule judicatus eſt, quod latrociniis per impoſturam exercitis, ingentem pecuniae vim coăcervaſſet.

X. Neque verò Alexandrum Luciani diverſum facit à Montaniſta, quòd ille profiteri Idololatriam videretur. Namque Apollonius ſuum Alexandrum fidei deſertorem appellat, qui dum carceribus detinebatur, ementita fidei profeſſione, ſubſidia Chriſtianorum extorſerit, eorumque ope liberatus ad conſuetas reverſus ſit fraudes. Quid enim aliud à nequiſſimo eo nebulone exſpectandum erat, niſi ut ſeſe tempori accommodans, nunc Chriſtianus, nunc Gentilis in ſcenam prodiret. Atque haec dicta ſint de praecipuis Ducibus Montaniſtarum.

§. III.

De Apologiſtis Chriſtianae Religionis, qui eodem tempore floruerunt.

Synopsis.

I. *Apologiſtae Seculi ſecundi ex Hieronymo recenſiti.* II. *Calumnias Ethnicorum Sacerdotum, & imprimis Eumolpidarum rejecerunt Quadratus, atque Ariſtides.* III. *Utriuſque opuſcula ad Eccleſias tranſmiſſa, atque ab illis religioſè cuſtodita.* IV. *Criminationes infanticidii, & promiſcuae libidinis, quae facinora erant Gnoſticorum, ad omnes Chriſtianos deductae.* V. *Saeviebant plerumque Praeſides, ut pecuniam corraderent.* VI. *Religionem ex ſanioribus placitis Philoſophorum adſtruebant Apologiſtae.* VII. *Calumnias conſtantiae Chriſtianorum illatas diluit Melito.* VIII. *Juſtinus, & Tertullianus provocant ad criminum inquiſitionem, & examen.* IX. *Plerique omnes Libelli Apologetici in Orbem tranſmiſſi, verſique in alias linguas fuerunt.* X. *Id oſtenditur ex Epiſtola Melitonis ad Oneſimum, in qua & defenſio Religionis, & ſacrorum Librorum Canon traditur.*

I. VIx Religio Chriſtiana ſecundo ineunte Seculo in hominum mentes pervadere, ſuaſque agere radices coeperat, quum ſimul etiam dehoneſtari viſa eſt hinc improborum Chriſtianorum, & haereticalium Sectarum facinoribus, inde Gentium ludibriis, inſectationibus, calumniiſque, quas ex nefariis Montaniſtarum ſacrificiis, impuriſque conventiculis in univerſum Chriſtianum nomen Idololatrae traducebant. Ad Religionis igitur candorem atque innocentiam vendicandam diſertiſſimi ex noſtris ſacri Tractatores Apologias in vulgus emiſerunt, quibus & dogmatum ſimplicitatem propugnare, & quae ferebantur dehoneſtamenta à nomine Chriſtano depellere ſtuduerunt. Enimverò qui fuerint ſecundi hujus Seculi Apologiſtae, quantaque pollerent eruditione, prodit S. Hieronymus in epiſt. 84. ad Magnum, ubi illud ſibi ſumſerat demonſtrandum, ſanctos Patres etiam-

Digitized by Google

etiamſi Apoſtolicam ſimplicitatem conſectarentur, minimè tamen dubitaſſe editas pro Chriſtiana Religione Apologias ſumma dicendi arte, & utraque eruditione conſpergere. Sed ipſum audiamus Hieronymum ſuis verbis. *Curram per ſingulos. Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, & Athenienſis Pontifex Eccleſiae, nonne Adriano Principi, Eleuſinae ſacra inviſenti, librum pro noſtra Religione tradidit? Et tantae admirationi omnibus fuit, ut perſecutionem graviſſimam illius excellens ſedaret ingenium. Ariſtides Philoſophus vir eloquentiſſimus eidem Principi Apologeticum pro Chriſtianis obtulit contextum Philoſophorum ſententiis, quem imitatus poſtea Juſtinus & ipſe Philoſophus, Antonino Pio, & filiis ejus, Senatuique librum contra Gentiles tradidit, defendens ignominiam Crucis, & reſurrectionem Chriſti tota praedicans libertate. Quid loquar de Melitone Sardenſi Epiſcopo? Quid de Apollinario Hierapolitanae Eccleſiae Sacerdote, Dionyſioque Corinthiorum Epiſcopo, de Tatiano, & Bardaſſane, & Irenaeo Photini Martyris ſucceſſore?* Ceteros pergit Hieronymus recenſere, qui eandem provinciam Seculo ſequenti illuſtrandam ſuſceperunt.

II. Non obſcurè indicat Hieronymus, Chriſtianos praeſertim calumniis Sacerdotum fuiſſe petitos, & ſpeciatim ab Eumolpidis, ſeu Collegio illo Antiſtitum Eleuſiniorum Exercitiorum, & ab initiationum Praefectis, qui animadvertentes ſenſim imminui ingentes proventus, quos ex Populorum concurrentium turba captabant (ab eo enim tempore Eleuſinia decreſcere incoepiſſe, oſtendit Ariſtides Sophiſta in ſua Oratione, quae, Eleuſinia, inſcribitur) fortè Adrianum ſolicitarunt ad perſecutionis edicta contra Chriſtianos evulganda. Iccirco Quadratus Athenienſium Pontifex, Urbis ſcilicet autonomia praeditae, cujus cives pro veteri ſuperſtitione acrius fortaſſe decertabant: potuit Chriſtianorum tum ibi, tum in reliquis Atticae civitatibus degentium, cauſſam defendendam ſuſcipere: eaque occaſione veritatem Religionis Apologeticis ſcriptis vendicare. De quo Euſebius lib. 4. cap. 3. *Aelius Adrianus ſuſcepit imperium. Huic Quadratus obtulit orationem, quam pro defenſione Religionis noſtrae iccirco conſcripſerat, quod quidam malevoli homines vexare noſtros atque inceſſere conabantur. Exſtat hodieque apud pleroſque ex Fratribus haec oratio, quam nos etiam ha-*

habemus: ex qua & ingenium ejus viri, & rectam Apoſtolicae fidei doctrinam perſpicuè licet cognoſcere. Et paullò poſt. *Ariſtides quoque vir fidelis ex Religionis noſtrae ſectatoribus Apologeticum pro fide noſtra, perinde ac Quadratus, Hadriano Caeſari nuncupatum reliquit: qui quidem liber etiamnum ſervatur a plurimis*. Atque ex hiſce Apologeticis tantum bonae frugis acceſſit Religioni, ut Oroſius lib. 7. cap. 13. ſcribat. *Per Quadratum diſcipulum Apoſtolorum, & Ariſtidem Athenienſem virum fide, ſapientiaque plenum, & per Grabium legatum, libris de Chriſtiana Religione compoſitis instructus, atque eruditus, praecepit per epiſtolam ad Minucium Fundanum Proconſulem Aſiae datam, ut nemini liceret Chriſtianos ſine objectu criminis, aut probatione damnare*. Nicephorus lib. 3. cap. 21. legit *Granium*. Hic Proconſul eodem tempore literas ad Adrianum dedit, *quibus monebat iniquum videri, Chriſtianos nullo objecto crimine, tumultuoſis vulgi clamoribus, gratificandi ſtudio, indicta cauſa occidere:* ut aït Euſebius lib. 4. cap. 8. Et illius quidem Edicti meminit Juſtinus in ſua Apologia. Exſtat etiam inſcriptio apud Grutterum pag. 543. n. 6. *M. Granius ſerenus. Mil. Coh. V. Pr.* Ex quibus perſpici poteſt, Proconſulis nomen fuiſſe Granium familiae Romanae per ea tempora ſpectatiſſimae.

III. Interim Euſebius dùm exactam in hiſce Apologeticis ſervandis diligentiam commendat & ſolicitudinem, locum conjectandi facit, Athenienſem Eccleſiam ad alias ea ſcripta tranſmiſiſſe, ut operibus Virorum doctrina praeſtantium à calumniis vendicarentur. Et ſanè Quadrati Apologeticum libellum ad annum uſque 600. intantum aeſtimari conſueviſſe, ut ad dogmata ſtabilienda non ſemel ex eo teſtimonia ſumſerint ſacri Tractatores, docet Euſebius Primas Theſſalonicenſis, qui haereſes oppugnaturus, atque imprimis Andream Monachum, argumentum inde deſumit, quod legitur in Excerptis Photianis Cod. 162. ante finem. Orationis ab Ariſtide habitae argumentum diſcimus ex Martyrologio Romano, annotante ad diem 31. Auguſti, Ariſtidem, *quod Chriſtus Jeſus ſolus eſſet Deus, praeſente ipſo Imperatore luculentiſſimè peroraſſe*. Hujus quoque Apologetici fragmentum

de

de Dionyſio Areopagita adfert Uſuardus Monachus in ampliore ſuo Martyrologio, aſſeritque, extractum eſſe è Menologio Graecorum. Et ante ipſum Ado Viennenſis Archiepiſcopus in ſuo itidem Martyrologio idipſum annotaverat ad diem 3. Octob.

Porrò hujuſcemodi Apologetici exarati primum videntur circa annum 128., quo Adrianus hyemem Athenis tranſegit; primaque publica actio Chriſtianorum ſuſcepta eſt more judiciali pro Religione a calumniis Gentium vendicanda. Potuerunt ejus rei gratia ſacri Oratores celebrem adferre defenſionem in Areopag olim à S. Paulo adhibitam, de qua Actor. 17. Habuit enim illan Apoſtolus in medio Areopagi, ubi Actores in ſua, aliorumque judiciali defenſione ſtabant, ut illis eſt annotatum, qui Areopagiticas antiquitates elucidarunt. Quapropter Imperator veteris Areopagitici Tribunalis exemplo & actionem permiſit, & ultro defenſionem audivit, poſtquam edictum illud vulgaſſet, quod Juſtinus Martyr commemorat.

IV. Profanorum hominum calumnias, quarum cauſſa Imperatores, ac Praeſides Edictis exagitarunt Chriſtianos, recenſet Euſebius Hiſt. lib. 4. cap. 7., ubi geſta ſecundi hujus Chriſtiani Seculi enarrans, eas è putidiſſimis Gnoſticorum lacunis derivatas in univerſum Chriſtianum nomen obſervat, deque Gnoſticorum anteceſſoribus, & propagatione agens, haec ad rem ſcribit. *Hi magicas Simonis praeſtigias non clam, ut ille, ſed palam ac publicè tradendas eſſe cenſebant: & philtris arte magica curioſè elaboratis, paredris quoque, & ſomniorum immiſſoribus quibuſdam ſpiritibus, aliiſque hujuſmodi maleficiis tanquam maximis ac pulcherrimis rebus gloriabantur. Conſequenter enim docebant, quicumque ad perfectionem myſteriorum, ſeu potius flagitiorum, quae apud ipſos agebantur, pervenire vellent, eos turpiſſima quaeque perpetrare oportere: quippe qui Mundi hujus Principes & Rectores, ut ipſi vocant, aliter evitare non poſſent, niſi unicuique eorum debita munera per obſcoeniſſimam libidinem perſolviſſent. His igitur miniſtris uſus malignus ille Daemon primum effecit, ut ex fidelibus quicumque ab illis decepti eſſent, ad miſerabile exitium, tanquam captivi adducerentur. Deinde Gentibus à fide noſtra alienis amplam obtrectandi & calumniandi Evangelii materiam*

ſubminiſtravit : dum ab illis primum orta infamia , ad totius Chriſtiani nominis opprobrium diffunderetur . Atque hinc factum eſt , ut abſurda quaedam & impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis ſpargeretur , quaſi nefario concubitu cum Sororibus , & Matribus miſceri , & exſecrandis dapibus veſci ſoleremus . Intantum verò popularium animos ea calumnia pervaſit , ut in theatris poſtmodum publiciſque concionibus ſaepius conclamaretur : *Tolle impios*. Quod univerſum Smyrnenſem Populum aliquando exclamaſſe, narrat Smyrnenſis Encyclica . Diù ſubinde pervagata eſt hujuſce improbitatis fama , quam in Apologetico per integrum caput VII. exagitat Tertullianus , ab ejus calumniae commemoratione ipſo in limine exorſus. *Dicimur ſceleratiſſimi de Sacramento infanticidii , & pabulo inde, & poſt convivium inceſto : quod everſores luminum canes , lenones ſcilicet , tenebras, tum & libidinum impiarum inverecundiam procurent.* Perſeverabat calumnia eadem Minucii tempore, qui refert à Gentibus creditum, initiationem apud Chriſtianos fieri cum juramento , atque caede infantum , carniumque eſu . Sic enim ille pag. 9. *Jam de initiandis tyrunculis fabula tam deteſtanda quàm nota eſt . Infans farre contectus, ut decipiat incautos , apponitur ei , qui ſacris imbuatur . Is infans à tyrunculo farris ſuperficie , quaſi ad innoxios ictus provocato , coecis occultiſque vulneribus occiditur . Hujus , proh nefas ! ſitienter ſanguinem lambunt, hujus certatim membra diſpertiunt , hac foederantur hoſtia , hac conſcientia ſceleris ad ſilentium pignorantur : haec ſacra ſacrilegiis omnibus tetriora .* Quemadmodum verò lucernas extinguerent canes , & libidinibus promiſcuis locum darent , pergit enarrare Minucius . *Illic poſt multas epulas , ubi convivium caluit , & inceſtae libidinis fervor ebrietate exarſit , canis qui candelabro nexus eſt , jactu offulae ultra ſpatium lineae , qua vinctus eſt , ad impetum & ſaltum provocatur . Sic everſo & extincto conſcio lumine , impudentibus tenebris nexus infandae cupiditatis involvunt per incertum ſortis .* Et Tertullianus ſimiliter cap. 8. ibid. ſcripſerat . *Praeterea candelabra , & lucernae , & canes aliqui , & offulae , quae illos ad everſionem luminum extendant .* Imo Epiphanius haer. 26. de nefario hoc Gnoſticorum Sacramento adhuc perſeverante ſcripſit . *Haec itaque & talia introducentes Gnoſtici , Nicolaï haereſi copulati ,*

lati à veritate excidunt, non ſolum mentem eorum, qui ipſis fidem habent, evertentes, ſed etiam corpora, & animas per ſcortationes, ac multiplicem coïtum in ſervitutem adigentes. Ipſam enim ſuam Synaxim ac communionem turpitudine multiplicis coïtus polluunt, comedentes ac contingentes tum humanas carnes, tum immundicias, ut ne audeam quidem totum eloqui, niſi ſanè cogerer propter excellentem animi mei dolorem ab his, quae vanè ab ipſis fiunt, ſtupore perculſus. Legenda quae ibidem ſubjungit, ut quantùm incommodi primitivae Eccleſiae intulerint Sectae, & quamobrem Apologiſtae noſtri in ea refellenda calumnia laborarint, penitus intelligatur.

V. Acceſſit extorquendae pecuniae cupido, quae Praeſides Aſiae adversùs Chriſtianos incitabat, ut aurum ab iis corraderent qui carceres evadere, atque aſſeri in libertatem volebant. Hinc Ignatius probè agnoſcens Romanorum Chriſtianorum pietatem, epiſtolam ad eoſdem perſcripſit, qua, ne ejus liberationem procurarent, enixè rogat. Legimus nihilominus in actis paſſionis ejuſdem Martyris, quum Romam ex Oſtienſi Urbe proficiſceretur, occurriſſe illi obviam Romanos. *Aliquibus etiam in ſilentio, & ſeceſſu degentibus ſuum adventum nunciavit, qui oratione fervebant, & ajebant, ſe compeſcere populum, ne virum juſtum ad necem quaereret.* Eadem ope Piorum uſus eſt Alexander impoſtor, quum ob latrocinia, falſaque edita oracula in carceribus detineretur, fingeretque, ſe Catholicam fidem velle profiteri. Quod ſcribit Apollonius, apud Euſebium lib. 5. cap. 18. *Deinde verò ementitus nomen Chriſti dimiſſus eſt, cum Urbis illius fideles fefelliſſet.* Ac Praeſidum quidem auro inhiantium ſaevitiem reſpicit Melito in Apologetico ad Marcum Antoninum, cujus fragmentum recitat Euſebius lib. 4. cap. 26., ubi inter alia. *Perſecutionem nunc patitur piorum hominum genus novis per Aſiam decretis exagitatum.* Quod non de Imperiali novo edicto intelligendum eſt, quum aſſerat eodem loco Apologiſta, Marcum confirmaſſe Adriani reſcriptum ad Commune Aſiae, ne deinceps populares voces audirentur poſtulantium ad necem Chriſtianos ſolo titulo ejus profeſſionis. Nova illa in Chriſtianos ſae-

vi-

vities ab avaritia Praeſidum ſeu Aſiarcharum profecta eſt, quibus plectendorum reorum impiorumque hominum jura fuiſſe attributa, vel ex Apoſtolicis Actis cap. 17. perſpicuè deduci poteſt. Et ſanè motivum hujus perſecutionis illudipſum tradit Melito. *Impudentiſſimi namque delatores, & alienarum opum cupidi . . . . . palam diu, noctuque graſſantur, ſpoliantque homines innoxios.*

VI. Defenſionem inde auſpicantur Apologiſtae, quod Chriſtiani plurima profiterentur, quae verior puriorque Philoſophia admittebat, ut ibid. urget Melito. *Haec enim Philoſophiae Secta, quam profitemur, prius quidem viguit apud Barbaros.* Judaeos intelligit, aliaſque Gentes: qua in re cum Juſtino M. in priori Apologia conſentit. Quum deinde Philoſophorum, & Chriſtianorum ſententias ſimul comparaſſet, illorum qui juxta Platonis doctrinam poſtremum de hominibus judicium à Minoë, & Rhadamanto faciendum exſpectabant; horum verò, qui hoc generis humani judicium ante Tribunal Chriſti demum eſſe inſtituendum credebant, ad rem proſequitur. *Si hoc quiſquam incredibile eſſe nobis dixerit, aut ita fieri poſſe negaverit, error noſter ſaltim conſiſtet in eo, quod nos alii cuidam* (Chriſto nempe) *tribuimus, quod vos Ethnici Rhadamanto, & Minoï vindicatis, dum interim in re ipſa nihil peccaſſe, aut abſurdi ſtatuiſſe à vobis convinci poſſumus.* Hanc dogmatum collationem ex ipſis exoticae profanaeque eruditionis penetralibus collegerunt ſacri Apologiſtae, quemadmodum ex epiſt. citata Hieronymi advertimus, ut non eſſe irrationabilem Chriſtianam Religionem, oſtenderent, quae dogmata & rationi conſentanea, & à Principibus Philoſophiae non aliter admodum tradita complectebatur.

VII. Conſtantiam quoque in fide Gentes vitio vertebant Chriſtianis, eorumque propoſitum contumax & violentum appellabant, quum ob ſimplicem Chriſtiani nominis profeſſionem morti ultro ſeſe traderent, perinde ac qui deſperatione acti, mortem ſibi conſciſcunt. Hanc calumniam diluit Melito, ut in fragmento ejus Apologetici apud Euſebium legimus. *Unum illud à te petimus, ut cum hujuſmodi pertinacia praeditos homines*

per

Digitized by Google

per te prius examinaveris, tum deinde pro tua aequitate ſtatuas, utrum ſupplicio ac morte affici, an ſalvi & ſecuri degere mereantur. Conſtantia nimirum in Sectae ſuae profeſſione ſervanda potiſſimum gloriabantur Chriſtiani: at eam ignari Gentium Doctores non fidei virtutem, ſed contumax, inhumanum, & pertinax deſperati hominis propoſitum exiſtimabant. Quapropter in Encyclica Polycarpi ſola unaque ſententiae proferendae in B. Senem cauſſa fuiſſe traditur. *Proconſul . . . . . miſit Praeconem, qui in medio ſtadii ter pronuntiavit: Polycarpus ſe Chriſtianum eſſe pronuntiavit*. Quo audito ſtatim ad mortem poſtulatus fuit. Juſtinus quoque ipſo Apologiae ſuae initio advertit, Romae in aliquos à Praefecto Urbico animadverſum fuiſſe ob ſolius Chriſtiani nominis confeſſionem. Negat autem ipſe, Chriſtianos ob id poſſe culpari perinde ac, quod Deo exoſum eſt, ſibi manus inferrent; ſed facere id illos aſſerit, quòd Chriſtum velut Deum agnoſcerent, fideique defenſionem juraſſent quoties de illa rogarentur, etiam cum vitae diſpendio.

VIII. Juſtinus itaque id enixè ab Imperatoribus contendit, neminem juſtè ob ſolum confeſſum Chriſti nomen eſſe damnandum, ſed an ea ſit irrationabilis pertinacia, inquirendum attentiùs. Obſecrat proinde, inquiri jubeant diligenter, num Chriſtiani eorum de quibus incuſabantur, criminum rei eſſent, neque poenas obire & ſupplicia tam levi de cauſſa deinceps patiantur. Fidenter iccirco ſubjungit. *Aſt nequis haec dicta vocem ſine ratione prolatam eſſe exiſtimet, volumus in crimina Chriſtianis objecta inquiri, atque ſi ita ſe habere probata fuerint, pro eo atque par eſt puniri, ſeu potius [ipſimet nos] illa punire*. Et infra. *Ceterum eos, qui minùs conſentaneam praeceptis Chriſti agunt vitam, Chriſtianique ſolo nomine ſunt, à vobis quoque puniri optamus*. Praeſides ad eandem inquiſitionem Tertullianus in ſuo Apologetico cap. 7. provocat ad hunc modum. *Dicimur tamen ſemper (nempe graviſſimorum ſcelerum rei) nec vos, quod tandiu dicimur, eruere curatis. Ergo aut eruite, ſi creditis; aut nolite credere, qui non eruiſtis. De veſtra vobis diſſimulatione praeſcribitur non eſſe quod nec ipſi audetis eruere. Longè alind munus Carnificis in Chriſtianos imperatis,*

non

non ut dicant quae faciunt, ſed ut negent quod ſunt. Quaſi dicat: Illud ne objiciatis, confeſſos turpitudinem ſuam damnari Chriſtianos: adeo enim falſum eſt, ut ſaepe cruciatibus eoſdem cogatis nomen hoc abnegare. Quod quidem ſi non vacat ſcelere, ſceleris potiùs confeſſio eſſet qualitercumque extorquenda. Huic ſententiae congruit quod Cyprianus ad Demetrianum ſcribit. *Torquentur rei qui ſe negant crimine quo accuſantur, teneri, ut facinoris veritas, quae indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc verò cum ſpontè profitear ac clamem, & crebris & repetitis identidem vocibus Chriſtianum me eſſe conteſter, quid tormenta adhibes confitenti? Torqueri debui, ſi negarem*. Ea ſanè Chriſtianorum in ſacro hoc nomine profitendo conſtantia cauſſa fuit Juſtino, ut falſas crederet Gentium calumnias, atque ipſe Chriſtianae militiae nomen daret, & jusjurandum. Scribit enim in Apologia I. *Nam & ego ipſe Platonis diſciplinae ſectator, quum calumnioſè audirem Chriſtianos deferri; intrepidè autem ad mortem & alia, quae terribilia eſſe cenſentur omnia, adire conſpicerem, ſtatui ipſe mecum, fieri haudquaquam poſſe, ut illi in vitiorum pravitate, & voluptatum amore viverent*.

IX. Aliorum Apologiae ſecundo, & tertio Seculo editae laudantur ab Euſebio in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & à S. Hieronymo de Scriptoribus, ac velut publica Eccleſiae ſcripta commendantur. Neque verò inanis erit conjector, qui eaſdem miſſas opinetur ad omnes Orbis Eccleſias, ut Gentium ubique calumniis obviam iretur. Equidem ſi Melitonis Apologeticum fragmentum cum libellis ejuſcemodi à Juſtino, Tertulliano, atque ab aliis exaratis conferatur, unum omnium idemque argumentum apparebit, idem propoſitum, rationes, vendiciaeque Religionis eaedem; adeò ut non aliud diſcrimen obſerves, praeter nervoſiorem ſtylum in aliquibus, velut in Tertulliano, & Minucio, in aliis candidiorem minimèque fucatum. Quae argumenti ſimilitudo in primis illis Apologeticis non ambiguè docet, eundem omnes uſum habuiſſe in univerſali Eccleſia. Accedit, quod haec Apologetica ſcripta linguis originalibus Graeca, Latinaque olim conſueviſſe circumferri ſciamus. Namque de

Digitized by Google

de Apollonio Senatore ſcribit Euſebius lib. 5. cap. 21. Hiſtoriae. *Romae Apollonium quendam è numero Fidelium, qui in humanioribus literis, & in Philoſophia eximius habebatur, in judicium adduxit, ſuſcitato ei accuſatore homine quodam perditiſſimo, qui ad hujuſmodi flagitia idoneus imprimis miniſter Daemonis videbatur..... Martyr verò Deo acceptiſſimus, cum Judex multis precibus obſecraſſet, petiiſſetque ab illo, uti coram Senatu rationem fidei ſuae redderet, elegantiſſima oratione pro defenſione fidei ſuae coram omnibus pronunciata, capitali ſupplicio à Senatu damnatus eſt...... Porrò cuncta ab illo in judicio dicta, & quaecumque Perenni interroganti reſpondit, & orationem illam, quam pro fidei noſtrae defenſione in Senatu habuit, quiſquis noſſe voluerit, ex antiquorum Martyrum paſſionibus à nobis collectis poterit percipere*. Itaque defenſio illa Romae ab Apollonio habita, in Graecum tranſlata eſt, miſſaque ad Eccleſias; cui proinde in ſua Graeca collectione locum dedit Euſebius. Huc referas verba Anonymi, oppugnantis haereſim Artemonis, apud Euſeb. ibid. cap. 28. *Nam Irenaei quidem, & Melitonis, & reliquorum ſcripta quis eſt, qui ignoret, in quibus Chriſtum Deum ſimul, atque hominem praedicarunt?* Epiſtolam quoque Eccleſiarum Lugdunenſis, & Viennenſis Graecè fuiſſe tranſlatam, quemadmodum & alios Apologeticos libellos, dicemus iterum in ſequenti §. occaſione Montaniſticae Sectae, quam hiſce publicis documentis fuiſſe protritam, in comperto eſt.

X. Praetereunda tamen ſicco pede non eſt epiſtola Melitonis ad Oneſimum data, quam integram reſervavit Euſebius lib. 4. cap. 26. Petierat Oneſimus à Melitone, ut loca illa Veteris Tti colligeret, quae facerent ad demonſtrandam Salvatoris Noſtri divinam originem, traditaeque ab eo Religionis veritatem. Melito igitur, ut ſatisfaceret poſtulatis Oneſimi, quem fuiſſe Preſbyterum Martyrum infra ſtatuemus, excerpta quaedam teſtimoniorum conlegit, illiſque adjunxit hanc epiſtolam, ſcribens. *Quum pro amore, & ſtudio tuo erga Verbum Dei, ſaepius à me poſtulaveris, ut excerpta quaedam ex Lege, & Prophetis, quae ad Servatorem, & ad univerſam fidem noſtram pertinent, tibi componerem, quumque libros Veteris Tti accuratè cognoſcere concupiveris, quot numero*

mero, & quo ſint ordine conſcripti, id perficere omni ſtudio laboravi. Scio quippe quanto fidei ardore, & quanta diſcendi cupiditate flagres: teque praecipuè ob amorem Dei iſta omnibus rebus anteferre, pro comperto habeo, & aeternae ſalutis obtinendae cauſſa decertare. Expoſitis deinde ſigillatim Libris Veteris Tti, de opere ſuo Excerptorum ſubjungit. *Ex iis igitur excerpta collegi, quae in ſex Libros à me diſtributa ſunt.* Equidem vehemens ſolertia Eccleſiarum & accuratio, ut certus haberetur Canon Sacrorum Librorum, atque ab eo exploderentur Apocryphi, dubitare non ſinit, hanc Melitonis epiſtolam unà cum teſtimoniorum excerptis fuiſſe in Orbem tranſmiſſam. Id enim eleganter expreſſit Tertullianus in lib. de Pudicitia cap. 10., ubi ex communi Eccleſiarum judicio adſtruit, librum Paſtoris Sacro Canoni haudquaquam eſſe accenſendum. *Sed crederem tibi, ſi ſcriptura Paſtoris, quae ſola Moechos amat, divino Inſtrumento meruiſſet incidi; ſi non ab omni Concilio Eccleſiarum, etiam veſtrarum, inter Apocrypha & falſa judicaretur.*

§. IV.

De Primis Periodis Sectae Montaniſticae ſub Sotere, deque ejuſdem opere Encyclico.

SYNOPSIS.

I. *Schiſma in Eccleſiis Phrygiae exortum ob diſſenſionem in Prophetiis Montani dijudicandis.* II. *Diſſidium ad Anicetum Pont. videtur perlatum.* III. *Ecthesis, & Parecteſis diſcrimina, ex Aſterio, & Miltiade.* IV. *Patrum ejuſdem aevi Lucubrationes de vera, & falſa Prophetia.* V. *Quamobrem contigerit, ut Anicetus Pontifex Montaniſticas Prophetias & viſiones approbaret.* VI. *Primus fuit Soterus Pont., qui Montani Prophetias, & ſuborientem haereſim detexerit, condemnaritque.* VII. *Tempora Pontificatus Sote-*

Soteris, & propagatae Montaniſticae Sectae omnino reſpondent. VIII. *Prophetiae falſitate detecta, Martyrum ſuorum numero glorientur, & Sectam defendunt.*

I. SEctae Montaniſticae exordium non ab haereſi, ſed à Schiſmate, quod in Eccleſias Phrygiae invexit Montanus, omnino eſt repetendum. Cauſſam verò non ineptè quis fuiſſe eam aſſeveraverit, quod vir ad hypocriſim comparatiſſimus, qua ſpeciem rigidioris diſciplinae conſectabatur, jactabatque ſibi multa chariſmata, & praeſertim prophetiam divinitùs eſſe conceſſam, nominis celebritatem apud omnes fermè Eccleſias adeptus fuiſſet. Rem Aſterius Urbanus enarrat ipſo in limine Librorum adversùs Cataphrygas, & Schiſmatis atque haereſis originem, ſucceſſumque accuratè prodit. Fragmentum ejus operis apud Euſebium legimus, lib. 6. cap. 16. *Igitur obſtinata illorum coitio adversùs Eccleſiam, & nova pernicioſi Schiſmatis haereſis hanc habuit originem. Vicus quidam eſſe dicitur in Myſia .... in quo aiunt, Montanum quendam ex iis, qui fidelium numero recèns adſcripti fuerant, immodica primi loci cupiditate captum, primùm ſub Grato Aſiae Proconſule aditum in ſe adverſario Spiritui praebuiſſe: & Daemone repletum ſubito quodam mentis exceſſu* (Graecè παρεκστάσει) *concuti coepiſſe, & nova quaedam atque inaudita proloqui, haroliantem ac praedicentem futura, praeter morem atque inſtitutum Eccleſiae à Majoribus traditum, & continua deinceps ſucceſſione propagatum.* Hinc Montani prophetia, quòd contra ordinem, ſcilicet cum furore & concuſſione fieret, vix audiri in Eccleſia coepit, quum Sacri Doctores puritati fidei & candori proſpicientes, & veras prophetias dijudicare tunc aſſueti, coeperunt ſubdubitare, eſſetne jactata recèns prophetia à vero, an à falſo Spiritu profecta. Erant qui ad ſeverioris vitae rationem, quam Montanus affectabat, animum intendentes, praedictiones illas velut coeleſtes & à Spiritu Dei proficiſcentes, ſuſciperent. Alii autem emunctioris naris homines, inauditam novamque formam expendentes, qua Montanus prophetica verba effutiebat, eamque ad veras receptaſque in Eccleſiis prophetias

Digitized by Google

tias exigentes, id omne quidquid erat in vulgus à Montano jactatum, inter quiſquilias fraudeſque rejicerent. Hinc orta partium ſtudia, & animorum ſententiarumque colliſio, quae demum inſano Schiſmate Eccleſias Phrygiae diſtraxit. Rem paucis complexus eſt Aſterius. *Porrò ex his, qui tunc temporis adulterinos hominis ſermones audierant, alii quidem ut abrepticium, & Daemoniacum, ac Spiritu erroris actum, turbas in Populo excitantem indignabundi objurgabant, & loqui ulterius prohibebant. Quippe qui in mente haberent diſcrimen à Domino praenotatum, minaſque quibus jubemur adventum falſorum Prophetarum vigilanter ac ſolicitè obſervare. Alii verò, veluti Sancto Spiritu, ac prophetiae gratia elati inflatique mirum in modum, & diſtinctionis à Domino praemonſtratae penitus obliti, illum infatuantem, & adulatorem, vulgique ſeductorem ſpiritum ultro ad loquendum provocabant, capti ejus illecebris, & in fraudem inducti.*

II., Hoc Eccleſiarum diſſidium perlatum opinor fuiſſe ad Anicetum. Namque Epiphanius haereſi 48. §. 1. de Montaniſtis ſcribit. *Sub Antonini Pii, qui poſt Hadrianum imperavit, annum 19. emergere coeperunt.* Quo tempore, ut habet vulgaris Pontificum Chronologia, Romanam Sedem Anicetus regebat. Quum enim ante apertam haereſis promulgationem Montanus Schiſma in Eccleſias invexerit, quaeſtio primùm inſtituta fuerit oportet, an illius prophetia vera eſſet & Evangelica, an Pſeudoprophetia. In quo diſſenſerunt ſacri Tractatores, & ex mutua opinionum colliſione ortum eſt Schiſma.

III. Diſputationis cardo in eo totus verſabatur, an modus prophetandi à Montaniſtis adhibitus, cum ſtrepitu ſcilicet, furore, & mentis agitatione congrueret afflatui Divini Spiritus, ſeu, ut iis loquamur terminis, quibus contentionem hujuſmodi proponit Aſterius, an Prophetia illa eſſet Ecteſis, an Parecteſis. De Ecteſi, ejuſque ratione, quae erat certum prophetiae genus, nulla fuit inter Sacros Doctores dubitatio; ſiquidem inſigne illius exemplum in viſione S. Petri, quam Apoſtolica Acta deſcribunt cap. 10., unicuique perpendenti ſuberat. Quocirca Aſterius, ubicumque de Montaniſtarum propheticis verba

facit,

Digitized by Google

facit, ſemper appellat Parecthesim: & in eo verſatum fuiſſe diſſidium eo tempore agitatum, quo Montanus in ſcenam prodiit, indicat quoque Tertullianus. Inter Doctores enim qui primum de eo argumento ſcripſiſſe feruntur, Euſeb. lib. 5. Hiſt. cap. 17. commendat Miltiadem; & quum Aſterium inter praecipuos verae prophetiae defenſores recenſuiſſet adversùs Montaniſtas, Miltiadem aït eoſdem oppugnare *peculiari opere, quo docuerat non debere prophetam in Ectaſi loqui*. Floruit autem Miltiades ſub Commodo Imperatore, qui ad ann. Chr. 176. imperium auſpicatus eſt.

IV. Et ab eo quidem tempore frequenter in vulgus prodierunt Virorum doctorum lucubrationes de Prophetia. Soter enim Pontifex qui ſub ejuſdem ſchiſmatis tempora Pontificatum regebat, id eſt, circa ann. 164., ſcripſit adversùs Cataphrygas librum de Exſtaſi, adversùs quem Tertullianus libros VI. de Exſtaſi pariter evulgavit, fortaſſe Montaniſticam Exſtaſim verum eſſe Spiritus Sancti cariſma demonſtraturus. Librum ſeptimum addidit procul dubio adversùs Apollonium: qui ſimul omnes interciderunt. De Sotere enim & Apollonio ſcribit Author Praedeſtinati, ſeu Primaſius, ſeu quis alius, haer. 26., ubi agit de Montaniſtis. *Scripſit contra eos librum Sanctus Soter Papa Urbis, & Apollonius Epheſiorum Antiſtites. Contra quos ſcripſit Tertullianus Preſbyter Carthaginenſis*. Melito ſubinde, de quo Polycrates Epiſcopus apud Euſebium lib. 5. cap. 24. ſcribit, *Spiritu Sancto afflatum cuncta geſſiſſe*; referente S. Hieronymo de S. E. cap. 24., evulgavit circa ann. 170. librum de Prophetis; alterum de Prophetia, de Johannis Apocalypſi alterum, alterum de Eccleſia, atque alterum cui titulus: Clavis, de Diabolo. Hunc ea mente arbitror à Melitone vulgatum, ut quae mali Spiritus artes, quae fraudes in Pſeudoprophetia Montaniſtarum eſſent, palam certòque conſtaret. De Prophetia quoque librum edidit Clemens Alexandrinus. Quod argumentum alii etiam per ea tempora tractarunt publicis lucubrationibus, quorum nomina percenſere ne ſibi quidem licuiſſe, aït Euſebius lib. 5. cap. 27., ubi de iis quos appellavimus, verba faciens., ſubjungit. *Multorum etiam lucubrationes ad nos pervenerunt, quorum*

ne ipſa quidem nomina poſſumus recenſere.

V. Antequam verò Soterus Pontifex ſollenni decreto Ecthe-ſim, ſeu Parecthesim proſcripſiſſet, idemque ad Aſiae Epiſco-pos direxiſſet, incruduerant jam Montaniſtarum jurgia; reſque eò devenerat, ut demum coäctus fuiſſe videatur Anicetus So-teris ſucceſſor, ad Montaniſticas prophetias approbandas. Qua de re ſcribit Tertullianus in lib. adversùs Praxeam cap. 1. *Nam idem* (Praxeas) *tunc Epiſcopum Romanum agnoſcentem Prophetias Montani, Priſcae & Maximillae, & ex ea agnitione pacem Ec-cleſiae Aſiae, & Phrygiae inferentem, falſa de ipſis Prophetis, & Eccleſiis eorum aſſeverando, & Praeceſſorum ejus autoritates defen-dendo, coëgit & literas pacis revocare jam emiſſas, & à propoſito re-cipiendorum cariſmatum conceſſare.* Judicium itaque Aniceti non circa dogmata Montaniſtarum verſabatur, quae in apertum euſque minimè eruperant: ſed id tantùm reſpexit, quod in controverſiam venerat. Eccleſiae nimirum Aſiae & Phrygiae acri diſſidio diroque ſchiſmate inter ſe ſe collidebantur: eò-que intendens Pontifex, animos ut aliquantiſper deliniret, cen-ſuit, ſi quae ferebantur vera eſſent, Prophetiam Montani-ſtarum Ecthesim reipſa eſſe, non Parecthesim. Quum enim illi & Catholicos ſe ſe mentirentur, & ſanctioris vitae rationem praeſeferrent, non difficilè fuit probare apud Anicetum cariſ-mata illa, quibus tantopere gloriabantur: adeò ut Pontifex veram Ecthesim crederet, non inſanam Parecthesim. Non ita-que in jure aberratum eſt, ſed in facti veritate dijudicanda. In quo unicè Anicetum humanitus fuiſſe deceptum, liquet ex recitatis Tertulliani verbis, aſſerentis quod Praxeas, *falſa de ipſis Prophetis, & Eccleſiis eorum aſſeverando*, aut Zephirinum, aut Victorem impulerit revocare epiſtolas pacis. Falſa, aït, quoniam Tertullianus agebat Montaniſtarum cauſſam, quum ceteroquin & vera fuerint, quae Praxeas ad Romanum Pontificem detulerat, & ipſammet hypocriſim Montaniſtarum reſerarent. Id genus errata Supremos Eccleſiaſticos Judices non ſemel er-raſſe, & ob teſtimoniorum relationumque falſitatem variatio-nemve, in diverſas aliquando ſententias iviſſe, notius eſt ex Ec-

cleſia-

cleſiaſticis monumentis, quam ut exempla congeramus. Ipſe quondam Apoſtolus Paulus velut Moſaïcae legis obtrectator accuſatus, ſemel & iterum coäctus fuit ad alios Apoſtolos peregrinari, primò ad Petrum, Jacobum, & Johannem; mox ad Jacobum Evangelii ſui veritatem probaturus. Re autem accuratiùs explorata, ſincerus inſtitutionis Chriſtianae praedicator eſt deprehenſus.

VI. Succeſſor Aniceti Soterus Ecthesim Montaniſtarum primus videtur in dubium revocaſſe, ſub quo ſecunda illius Sectae periodo currente, hypocriſis Montani, Priſcillae & Maximillae innotuit, qui fuco rigidioris diſciplinae, Lapſis & graviorum criminum reis poenitentiam denegare, & unumquemque promiſcuè aſſeclam martyrii elogio mactare coeperunt. Quapropter Soterus priores controverſiae limites ſolerter expendens, de Ecthesi operoſius egit in libris adverſùs Cataphrygas editis, & Tertullianus Montaniſta factus ſex prioribus libris adverſùs Soterem decertavit, quemadmodum ex Authore Praedeſtinati, & S. Hieronymo annotavimus. Et cui ſane bono Tertullianus uſque adeò contra Soterem incaluiſſet, niſi reipſa Pontifex impoſturam Montaniſticam prae aliis reſeraſſet, & patefeciſſet Eccleſiis Haereſiarcharum hypocriſim, inania quae jactabantur cariſmata, putidamque Parecthesim, quam hactenus velut Ecthesim & prophetiam ex afflatu Divini Spiritus proficiſcentem venditaverant?

VII. Tempora etiam mirè congruunt. Nam ut Euſebius in Chronico, aliique poſt ipſum aſſeverant, Haereſiarcha Montanus agnoſci palam coepit poſt annum 170. quum ſcilicet impia dogmata per impoſturae Socios propagata, tueri, bellumque Eccleſiae Catholicae indicere non eſt veritus. Per ea autem tempora & ſedebat Soter, & Alexander Lucianaeus impoſturas exercebat. Quippe quae de Marco Imperatore, de Aquileja, & de attrito Romanorum exercitu Alexandrum praedixiſſe, narrat Lucianus, ea evenerunt omnia circa ann. 171. Scribit enim Capitolinus in Marco cap. 14. *Profecti itaque ſunt paludati ambo Imperatores* (Marcus Aurelius, & L. Verus) *Victovalis*,

& Marcomannis cuncta turbantibus . . . . . Nec parum profuit iſta profectio, cum Aquilejam uſque veniſſent. Nam plerique Reges & cum Populis ſuis ſe retraxerunt, & tumultus authores interemerunt. Quadi autem amiſſo Rege ſuo, non priùs ſe confirmaturos eum qui erat creatus, dicebant, quam id noſtris placuiſſet Imperatoribus . . . . Denique tranſcenſis Alpibus longius proceſſerunt, compoſueruntque omnia quae ad munimen Italiae atque Illyrici pertinebant. Teſte pariter Luciano, Aquilejam Imperatorum adventu diſcrimen in quo verſabatur, liberam evaſiſſe novimus. Promiſerat quidem fauſta omnia & fortunata Imperatori Alexander ille: ſed poſt adventum in Urbem Aquilejam exercitus peſte confectus fuit: qua de clade ibidem locutus videtur Lucianus. Certè de Aquilejenſi peſte ſcripſit Galenus in lib. de Praecognit. cap. 9. *Quare cum jam ex Urbe in hoſtes moviſſent, ac dum Aquilejae hibernarent, exercitum colligere & inſtruere decreviſſent, nuntios ad me miſerunt, quibus ut ad ſe venirem jubebant.* Et clariùs idem de Libris propriis cap. 2. ſcribit. *Verùm brevi poſt tempore ex Aquileja mihi literae ab Imperatoribus miſſae perferuntur, quibus illi me revocabant: ſtatuerant enim ex hibernis expeditionem contra Germanos facere . . . . Ceterum ego Aquilejam cum perveniſſem, peſtis, quantum antea nunquam, graſſari coepit. Unde Imperatores ſtatim Romam cum paucis militibus fugere coacti . . . . In itinere autem è vivis quum exceſſiſſet Lucius, Romam deportatus ab Antonino funeratuſque eſt.* Interim res ad Iſtrum fuiſſe compoſitas, quod Luciano quoque annotatum, narravit Capitolinus, de iiſdem Imperatoribus agens cap. 9. *Tranſcenſis Alpibus longiùs proceſſerunt, compoſueruntque omnia, quae ad munimen Italiae atque Illyrici pertinebant. Compoſito autem bello in Pannonia, urgente Lucio, Aquilejam rediret* (Marcus) *in Urbem deſtinatus eſt: ſed non longè ab Altino ſubito in vehiculo morbo, quem apoplexim vocant, correptus Lucius apud Altinum perit.* Haec ſanè omnia locum conjectandi faciunt, Alexandrum Montaniſtam, quem à Lucianaeo haudquaquam diverſum eſſe oſtendimus, jam tum impoſturis famam ſibi & nominis celebritatem comparaſſe: atque adeò juſto zelo Soterem excitatum commonuiſſe Eccleſias Aſiae, Ecthesim Cataphry-

phry-

phrygarum meram eſſe Parecthesim Encyclico ſcripto docuiſſe, ſententiam in Montaniſtas dixiſſe: unde ſacri ubique Gentium Tractatores Montani hypocriſim ſuſceperunt exagitandam.

VIII. Interim Montaniſtae à Sotere detecti, quum jactata ſua miracula & prophetias à malo Spiritu proficiſci, viderent fermè perſuaſum, aliam inіverunt doctrinae ſuae defendendae viam. Plurimi aeſtimabatur martyrium, eoque apud Eccleſias erat in pretio Martyrum cenſus, ut qui ob profeſſionem carceres, vel ſtigmatum ſignum aliquod publicae confeſſionis perpeſſi eſſent, Confeſſoris, Martyriſque titulo cohoneſtarentur, ampliſſimos ab Epiſcopis honores adepturi. Qua de re prolixiùs Cap. VI. diſſeremus. Id arripuerunt Montaniſtae, & infinitos Martyrum ſuae Sectae catalogos depraedicantes, vix non perſuaſerunt ſuam prophetiam, Ecthesin, & cariſmata. Hanc Montaniſtarum artem inſectatus eſt in ſuae confutationis Montaniſtarum lib. 3. Aſterius, atque inter alia ad rem ſcripſit, apud Euſeb. lib. 5. cap. 16. *Poſtquam verò in omnibus, quae ſuprà poſui, convicti nihil habent quod reſpondeant, ad Martyres confugere conantur: aſſerentes multos ſe Martyres habere, idque potentiae prophetici illius qui apud ipſos eſt, Spiritus, certiſſimum eſſe documentum. Sed hoc meo quidem judicio, nihil verius eſt. Nam & aliarum haereſeos Sectatores plurimos ſe habere Martyres praedicant: neque iccirco eis aſſentiemur, neque veritatem penes illos eſſe fatebimur. Primi certè, qui Marcionis haereſim ſequuntur, vulgò Marcionitae agnominati, quamplurimos habere ſe dicunt Martyres Chriſti. Et tamen ipſum minimè confitentur.* Nullo igitur delectu Martyres declarabant colebantque Montaniſtae, ut Apollonius ediſſerit ibid. cap. 18., ubi Alexandrum illum impoſturis, & corrogandis opibus deditum, magni ab illis fuiſſe habitum obſervat, generatimque de Montaniſtico martyrio ſubjungit. *Qui enim ab ipſis Prophetae, & Martyres dicuntur, eos non ſolùm à divitibus, ſed etiam à Mendicis, Pupillis, & Viduis pecunias corrogare demonſtrabimus.* Cetera quae ibidem diſputat Apollonius, lectu digna ſunt, quatenus ſecunda haec periodus Montaniſticae improbitatis ſub Pontifice Sotere, & ſub initia Pontificatus Eleutheri penitiùs introſpiciatur.

Digitized by Google

§. V.

De Encyclica Eccleſiarum Viennenſis, & Lugdunenſis ad Aſiae Phrygiaeque Epiſcopos data adversùs Montaniſtas.

SYNOPSIS.

I. *Exortae in Eccleſia haereſes fuerunt perſecutionum fomes.* II. *Novatorum nugae Religioni impoſitae.* III. *Quibus de cauſſis commota ſit perſecutio ab Aureliano.* IV. *Ejus Aevi Apologiſtae Chriſtianorum.* V. *Encyclicae memoratae argumentum & tempus.* VI. *Encyclica Soteris, & Antencyclica Montaniſtarum.* VII. *Diſcriminandae periodi Montaniſticae Sectae.* VIII. *Veroſimilior inde cauſſa Encyclicae ſcribendae contra Themiſonis Antencyclicam.* IX. *Continet Encyclica deſcriptionem veri martyrii.* X. *Qui Martyres inexercitati, & qui exercitati eſſent, repraeſentat.* XI. *Doctrinam hanc exemplis illuſtrat.* XII. *Agit de Exercitatis.* XIII. *Proponit ſententiam Martyrum circa Lapſos ad poenitentiam admittendos.* XIV. *Veri martyrii characteres ex ea Encyclica colliguntur.* XV. *Similiter & notae verae Prophetiae.* XVI. *Hujuſce Encyclicae characteres.* XVII. *Irenaeus cur Dominicus Curſor, idemque Presbyter delectus.*

I. ECcleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis Encyclica praeclariſſimum exemplar eſt ſaluberrimae hujus diſciplinae, qua in Eccleſia Chriſti, una cum fidei puritate vigor regiminis ſartus tectuſque cuſtodiebatur. Ad hanc verò Encyclicam accuratiùs pernoſcendam, juvat mentem intendiſſe ad priorum Haereſiarcharum impietatem nefarioſque conatus, quibus incredibile quantum incipienti Religioni nocuerint. Quum enim putidiſſima apud hominum vulgus inſomnia ſparſerint, eaque ſive ad doctrinam, ſive ad mores pertinentia per delatores innotuerint Religionis perſecutoribus, eò furoris devenerunt Gentes, ut in

thea-

Digitized by Google

theatris, circis, publiciſque conventibus prima Populi poſtulatio aliquando audiretur: *Chriſtiani ad Leones*. Cujus conclamationis ea vis erat, ut proteri, radicitus exſtirpari Chriſtianum nomen, ejuſque omnes profeſſores in cineres redigi flagitarent. Atque hinc ſiqua clades inſueta, ſi quod publicum incommodum Romana res perſentiſceret, continuò Sacerdotes & ſimulacrorum Antiſtites fanatico ſpiritu diſcurrentes, ejus calamitatis authores Chriſtianos aſſeverabant, Deorumque iram excitatam ea de cauſſa, quod Chriſtiani tolerarentur, nec penitus novitia haec Religio exſcinderetur. Scripſit propterea hoc ipſo tempore in Apologetico cap. 40. Tertullianus. *At è contrario illis nomen factionis accommodandum eſt, qui in odium bonorum & proborum conſpirant, qui adverſum ſanguinem innocentem conclamant, praetexentes ſanè ad odii defenſionem illam quoque vanitatem, quod exiſtiment omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe in cauſſa. Si Tyberis aſcendit in moenia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi Coelum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad Leonem*. De repetitis quotidie à Populo hiſce publicis poſtulationibus in lib. de Spectaculis cap. 27. idem Tertullianus ſcribit. *Illic quotidiani in nos Leones expoſtulantur, inde perſecutiones decernuntur, inde tentationes emittuntur*. Voce tentationis non ineptè utitur ille: ſiquidem multi ob cruentas vexationes Apoſtatae, & à fide extorres fiebant, delatiſque in Gentium notitiam Chriſtianorum arcanis plebem ad calumnias, & ad inſanam maledicendi pruriginem acuebant. In paſſione Savini Epiſcopi & Martyris apud Baluzium tom. II. Miſcellan. pag. 47. modus deſcribitur, quo populares hujuſcemodi poſtulationes fiebant. Sic enim habet. *Maximiano Auguſto quintodecimo Kalend. Maii in circo maximo miſſo ſexto Venetos vincente, pars major Populi clamabant, dicentes: Chriſtiani tollantur, & voluptas conſtat. Dictum eſt duodecies. Per caput Auguſti Chriſtiani non ſint*. Author deinde Geſtorum enarrat perſecutionem, ejuſque promulgata edicta: quae anno Chr. 303. contigerunt.

II. Erant imprimis Gnoſtici haereſeon atque enormium im-

pietatum magiſtri, qui quum Chriſtiani vellent & dici, & haberi, velut à Chriſtiana Religione imperata ea omnia credebant Gentes, quae ſibi ab Apoſtatis Sectarum deferri contingebat. Hac de calumnia Encyclicae de qua loquimur, authores ſcribunt apud Euſebium lib. 5. cap. 1. *Capti ſunt etiam quidam noſtrorum ſervi, qui Gentiles erant, quandoquidem Praeſes nos omnes requiri palam juſſerat. Qui Daemonis impulſu; quum tormenta reformidarent quae Sanctos perpeti videbant, militibus ad hoc ipſum eos incitantibus Tyeſtaeas quaſdam coenas, & incoeſtos Oedipi concubitus, & alia quae nec proloqui nobis, nec cogitare fas eſt, ac ne credere quidem ſuſtinemus apud homines unquam geſta, adversùs nos ementiti ſunt.*

III. Parthicum bellum in anguſtias metumque eodem tempore conjecerat reliquas provincias, quibus per utramque Aſiam dominabantur Romani. Iis propterea exoſum vulgo erat Parthicum nomen ob clades à Barbaris ſaepius illatas. Quamobrem Religionum Antiſtites per Urbes & oppida diſcurrentes, ſuperſtitioſam plebem uſque adeo excitarunt, ut creberrimae poſtulationes de Chriſtiana Religione abolenda ubique jam audirentur. His commotus Marcus Aurelius Antoninus anno imperii 17., Chriſti autem 177. vulgavit Perſecutionis edicta, de quibus Euſebius ſub initium libri v. ſcripſit. *Annus tunc agebatur ſeptimuſdecimus imperii Antonini Veri. Quo tempore quum in nonnullis terrarum partibus violentior adversùs noſtros perſecùtio commota eſſet ex incurſione popularium, innumerabiles prope Martyres per univerſum Orbem enituiſſe ex iis, quae in unica Provincia contigerunt, conjicere licet.* De fanatico populorum aſtu in Chriſtianos belli Parthici cauſſa excitato, haec Oroſius Hiſtoriarum lib. 7. *In diebus Parthici belli perſecutiones Chriſtianorum quarta jam poſt Neronem vice in Aſia, & in Gallia graves praecepto ejus extiterunt, multique Sanctorum martyrio coronati ſunt.* Accedebat illud etiam deſperatis penè rebus, quod Eccleſia interno malo ac diſſidio perturbaretur ſive in Prophetiis, ac cariſmatum notis & characteribus dignoſcendis, ſive ob vendicatam à quibuſdam ſeveriorem in eos diſciplinam, qui lapſi in haereſim eſſent,

qua-

quaſi Eccleſiae poteſtas in aliquibus condonandis criminibus coärctata foret, & imminuta; ſive in veris Martyribus dijudicandis; ſive denique ob conclamatas ubique in Chriſtianos calumnias, qui velut enormium ſcelerum rei petebantur ad mortem. Haec illis erat temporibus Chriſtianorum miſeranda conditio: unumque relictum videbatur remedium, quod collabeſcenti Religioni ex Antiſtitum qua Apologeticis, qua Encyclicis afferebatur.

IV. Apologiſtae equidem diſertiſſimi ſecundo, & proximo Chriſtiano Seculo Religionem ab hiſce calumniis & ſcelerum ſuſpicione vendicandam ſuſceperunt. Id egit imprimis Apollonius Romanae Urbis Senator, de quo Euſebius lib. 5. cap. 21. & Hieronymus in Catalago. Tertullianus quoque tum in Apologetico, tum in libris ad Nationes, & ad Scapulam eodem munere defunctus eſt. Et Melito quum animadverteret, impudentiſſimis delatoribus fidem à Plebe, & Judicibus adhiberi, vir declamatorii ingenii, ut de eo loquitur Tertullianus, adversùs illos Marco Aurelio Antonino Apologeticum obtulit, cujus nobile fragmentum reſervavit Euſebius Hiſtor. lib. 4. cap. 25. *Impudentiſſimi namque delatores, & alienarum rerum cupidi ex Imperialibus edictis occaſionem nacti, palam diu noctuque graſſantur, ſpoliantque homines innoxios.* Immerentes autem earum calamitatum eſſe Chriſtianos eorumque Religionem, praeclara hac animadverſione convincit. *Haec Philoſophiae Secta* (inquit Melito) *quam profitemur, prius quidem viguit apud Barbaros: Poſtea verò cum provinciis imperii tui illuxit, Principatu magni illius Auguſti, qui unus ex Majoribus tuis fuit, fauſtum proſperumque Imperio Romano omen exſtitit. Ex eo ſiquidem tempore maximis incrementis aucta eſt majeſtas Imperii Romani, cujus tu haeres & ſucceſſor adſpirantibus omnium votis potitus es, potieriſque deinceps unà cum Filio, ſi modò Sectam illam, quae cum Imperio educata, & cum Auguſto ſimul inchoata eſt, & quam Majores tui unà cum ceteris Religionibus coluerunt, tueri velis. Porrò Religionem noſtram bono publico adoleviſſe unà cum Imperio, quod feliciter coeptum fuerat, illud certiſſimo argumento eſt: quod jam inde à Principatu Auguſti nihil* ad-

Digitized by Google

adverſi, ſed contra omnia proſpera, & magnifica ex animi ſententia votoque omnium contigerunt. Soli ex omnibus Nero, ac Domitianus malevolorum quorundam conſiliis inducti Religionem noſtram criminari ſtuduerunt. A quibus deinceps falſa illa adverſum nos calumnia manavit ad poſteros, ut mos eſt vulgi, abſque ullo judicio hujuſmodi rumoribus fidem adhibere. Claudius Apollinaris, ejuſdem aetatis ſcriptor, libellum Apologeticum evulgavit obtulitque M. Aurelio Imperatori pro noſtrae fidei defenſione. Obtulit quoque Athanagoras Apologiam, ſeu legationem pro Chriſtianis M. Aurelio Antonino, & L. Aurelio Commodo. Libellum alterum iiſdem Imperatoribus oblatum fuiſſe, probat Mabillonius in Muſaeo Italic. Tom. 1. pag. 196. Illius fragmentum deſumtum ex hiſtoria Philippi Sidetae, edidit Dodvvellus ad calcem Diſſert. in Sanctum Irenaeum, ubi de Athanagora. *Scholae praefuit Alexandrinae primus, qui Hadriani floruit temporibus, atque Antonini, quibus etiam legatoriam orationem pro Chriſtianis inſcripſit. Religionem Chriſtianam in ipſo ſuo pallio profeſſus, & ſcholae Academicae praefectus. Hic cum ante Celſum in animo haberet, Chriſtianos ſcriptis oppugnare, luſtratis ea mente Scripturis, ut ſuſceptam oppugnationem inſtitueret accuratius, ita captus à Spiritu Sancto eſt, ut ad exemplum Magni Pauli ex perſecutore Doctor effectus ſit illius fidei, quam fuiſſet perſecutus. Hujus diſcipulus Clemens Strommateus, Clementiſque Pantaenus.* Apologiſtae alii à S. Hieronymo, atque ab aliis hiſtoriae Literariae Autoribus recenſentur, quos vide ſi lubeat.

V. Et par quidem ratio habenda eſt zeli & laborum, quos Eccleſiarum Antiſtites pro inteſtinis diſſidiis componendis ſuſceperunt. Quoniam verò non aliud praecipuum praeſentiuſque remedium ſuppetebat, quam ſcripta paſſim Encyclica in vulgus proferre, iis Eccleſiae & Epiſcopi fideles omnes admonere conſueverunt, ut à verſipelli Montaniſtarum doctrina caverent, certioraque dogmata, & diſciplinae ſtatuta conſectarentur. Namque quum Montaniſtae à commento novae prophetiae progrederentur ad ciborum delectum, ad plura jejunia, ad novos Martyrum gradus praeſcribendos, & ad ampliſſimos Chriſti Redem-

demtoris theſauros coarctandos; Lapſis, tametſi poenitentibus atque exorantibus, miſerationi aditus eſt intercluſus, deſperatique ad atrociora ſuſcipienda compellebantur. Inter Encyclica ſcripta illud prodiit de quo diſſerimus, nobiliſſimum Eccleſiae primitivae monumentum Viennenſis ſcilicet, & Lugdunenſis Eccleſiarum Encyclica, quam initio lib. v. recitat Euſebius, licèt non integram, quod eandem in libro de Paſſione Martyrum, ut ibi cap. 4. refert, jam inſeruiſſet. *Haec enim*, inquit Euſebius, *quicumque voluerit, cuncta poterit pleniſſimè cognoſcere ex ipſius epiſtolae lectione, quam quidem nos . . . . . in paſſionibus Martyrum à nobis collectis, integram inſeruimus*. In ea itaque more in Encyclicis ejuſdem aevi recepto, glorioſi Martyres recenſentur, qui martyrium pro fide conſummaverant: quae pars Encyclicae hodie deſideratur. Diſcrimen deinde aſſignatur Martyrum Exercitatorum, & inexercitatorum, cujus praeviae operationis neceſſitatem expendit. Notas poſtea veri, parati, atque exercitati Martyris juxta ejus rei theoriam praximque proponit Encyclicae author. Tandem occaſione illorum, qui fervente perſecutione lapſi fuerant, Eccleſiis denunciat judicium Martyrum de venia illis concedenda. Prophetiae autem ſupernaturalis atque Ecthesis à Parecthesi diſcrimina enarrat. Sub Pontificatu Soteris vulgata eſt, ſcribente Euſebio in praefatione lib. 5. *Igitur Sotere Romanae Urbis Epiſcopo per octavum Epiſcopatus annum vita functo, duodecimus ab Apoſtolis Eleutherus in ejus locum ſucceſſit. Annus tunc agebatur ſeptimus decimus Imperii Antonini Veri*.

VI. Soter Romanus Pontifex, referente Authore Praedeſtinati in haereſib. 26. & 86. ediderat Encyclicum ſcriptum adversùs Cataphrygas, deliriis Montaniſtarum circumventos, atque ut temporum ferebant mores, per Dominicos Curſores in omnes Mundi partes tranſmiſerat. Ejus enim praedeceſſor Anicetus, prima currente Montaniſmi periodo, hujuſmodi prophetias non improbaverat: ejuſque authoritate innixi Montaniſtae factis oſtenderant, pronum haereticis eſſe, bono etiam malè uti ad errores diſſeminandos. Re itaque dilucidiùs explorata, cognitiſque

eo-

Digitized by Google

eorum hominum fraudibus, Soter evulgatis Encyclicis, ut fidelium in Aſia Phrygiaque animos excitavit ad errores improbandos; ita Montaniſtarum furorem exacuit in tantum, ut Antencyclicam ederent, qua viros ſanctiſſimos perinde ac doctiſſimos ab Eccleſiae gremio abſtraxerunt, inter quos Tertullianus Aniceti fretus auhoritate, inſanas mulierculaum & Montani prophetias magni fecit, atque in libb. de Pudicitia, & adversùs Praxeam, doctrinam eam tuetur, atque adeo Aniceti ſucceſſores acerbè exagitat. Encyclica hujuſcemodi, atque Antecyclica ſcripta fuiſſe revera edita, diſſenſio ipſa quae tunc viguit, planè convincit: praeſertim cum ad ultimas Orbis, ut putabatur, habitabilis partes, in Galliam ſcilicet, atque Africam haec controverſia pervaſerit, animoſque fidelium mirum in modum diſtraxerit.

VII. Quum itaque authoritate Aniceti hinc fulcirentur Montaniſtae, inde Catholici per Aſiam & Phrygiam Epiſcopi Encyclicum Soteris decretum ſectarentur, Aurelius edicta perſecutionis vulgavit. Aït enim ad Imperatores in laudato fragmento Athanagoras. *Quod enim nunquam antea factum fuerat, perſecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Aſiam decretis exagitatum.* Apud Euſebium lib. 4. cap. 26. Sed ne in decretis hujuſcemodi contradictio videatur admitti, juvat animadvertiſſe varia diſcrimina, variaſque periodos Montaniſticae labis. Namque primùm per verſipellem hypocriſim, per jejunia, & affectatam ſeverioris diſciplinae obſervantiam, fucum faciebant. Ut autem ajebat Apollonius Epheſinus Epiſcopus apud Euſeb. lib. 5. cap. 18. *Actus Prophetae tamquam fructus examinandi ſunt: ex fructibus quippe arbor cognoſcitur.* Increbuerat apud Anicetum, & Eccleſiarum Antiſtites rumor de mirabilibus quibuſdam operibus quae à Montaniſticae perfidiae ducibus patrata ferebantur, de vitae ſeverioris ratione, deque quotidiana fermè abſtinentia victus. Et quae ars Alexandro profuit ad Aſiae populos dementandos, ut Luciano proditum vidimus; eadem commovere Anicetum potuit, adeo ut ſuppoſita operationum veritate, divino Prophetiae lumine eoſdem muneratos crederet, & Communi-

municatoriis literis ſuis decoraret. De primis enim Montaniſtarum motibus haec habet Tertullianus ipſo in limine libri de jejunio. *Hi Paracleto controverſiam faciunt: propter hoc novae prophetiae recuſantur, non quod alium Deum praedicent Montanus, & Priſcilla, & Maximilla; nec quod Jeſum Chriſtum ſolvant, nec quod aliquam fidei, aut ſpei regulam evertant, ſed quod planè doceant, ſaepius jejunare, quàm nubere*. Dum itaque rigidior Montani diſciplina diffamabatur, nondum invecto prophetiae novo commento, ſi jejunia, orationes, ceteraeque virtutes fuco vacaſſent, quod dijudicare ad eum pertinet, qui eſt cordium ſcrutator, non erat cur jactata ſubinde prophetia divinae largitati adjudicari non poſſet. Quod unicè aſſeruerat Anicetus, cui intima cordium penetrare minimè datum fuerat. Aſt verò in ſecunda haereſis illius periodo, quum Montanus novum prophetiae genus comminiſceretur, Soter tunc demum adversùs Cataphrygas Encyclicum Tomum evulgavit, in quo non Ecthesim, ſed parecthesim eſſe novam illam prophetiam declarabat. Quum verò iidem Montaniſtae quaecumque ad ſtatum perfectionis, & ad liberam uniuſcujuſque electionem pertinebant, docerent neceſſaria ad ſalutem eſſe, atque alia receptis fidei dogmatis adverſantia effutirent, Catholicae per Aſiam, & Phrygiam Eccleſiae & Doctores publicis ſcriptis haereticalia commenta adorti ſunt.

VIII. Quis Antencyclicam adversùs Catholicos, quos Pſychicos per ludibrium appellitabant, in vulgus emiſerit, nihil certi definiri poteſt. Re tamen maturè perpenſa, aſſerere conjectando poſſumus, id praeſtitum à Themiſone, qui Epiſtolam Montaniſticam, Catholicam ſeu univerſalem dixit, & quem Montani aſſeclae velut oraculum venerabantur. De quo Euſebius ex Apollon. haec refert lib. 5. cap. 18. *Praeterea Themiſon ſpecioſa avaritia obvelatus, qui confeſſionis ſignum non pertulit, ſed magna pecuniae vi erogata, vincula abjecit: cum ob eam cauſſam modeſtiùs deinceps ac ſubmiſſiùs agere deberet, tanquam Martyr ſe ſe efferens, auſus eſt exemplo Apoſtoli conſcripta epiſtola Catholica, eos quidem, qui fideliores ipſo exſtiterant, inſtruere: novae autem doctrinae patrocinari; ac poſtremum in Dominum, in Apoſtolos, & in ſacroſanctam Eccleſiam im-*

impiè loqui. Igitur Montaniſtae depoſita larva, ſcriptiſque publicis innoteſcente per omnem Aſiam doctrinae eorumdem impietate, non quidem abnuere poterant, eos eſſe ſuorum dogmatum haereticales ſenſus, quos Themiſon è Sectae principibus unus proponere palam non erubuerat evulgata in Orbem Antencyclica. Huic è contrà ut occurrerent Aſianae Eccleſiae, Denunciativam ſcripſerunt, electoque in Curſorem Dominicum Irenaeo tunc Presbytero, ad Occidentis Eccleſias tranſmiſerunt. Erant tunc pietate & doctrina celeberrimae Lugdunenſis, & Viennenſis Gallicanae Eccleſiae, ad quas imprimis denunciativam attulit Irenaeus, quaeque hujuſcemodi, de qua inſtituta à nobis diſputatio eſt, Encyclicam ediderunt. Rem ita ſe habuiſſe fidenter autumo. Quorſum enim Irenaeus homo Aſiaticus, Eccleſiiſque illis addictus, Lugduni commoratus eſt, niſi cauſſa muneris adimplendi, quod velut Eccleſiaſticus Curſor agebat? Encyclicae autem hujus inſcriptio erat, referente Euſebio lib. 5. cap. 4. *Servi Chriſti, qui apud Viennam, & Lugdunum Galliae degunt, Fratribus per Aſiam, & Phrygiam conſtitutis, qui eandem nobiſcum fidem ac ſpem habent Redemtionis, pax & gratia, & gloria à Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino Noſtro*. Aiunt Gallicani, Aſianos eandem ſecum fidem & ſpem habere, quum è contra Montaniſtae, ut Tertullianus dixerat, *nullam fidei, & ſpei regulam* tenerent. Quibus verbis vel in ipſa operis epigraphe commonſtrant, quibuſcum communicent, & quorum communionem deteſtentur. Separati enim jam tum erant Montaniſtae à Catholicis, quos velut animales impuroſque traducebant. Quoniam verò integra haec Encyclica aetatem minimè tulit, ut nec Aſianorum Denunciativa ad nos uſque pervenit, reſtat ut in illius partes conjectaneis inquiramus.

IX. Inter alia exercitamenta à puritate doctrinae aliena, quae admittebant Montaniſtae, unum erat ſanè praepoſterum, quo martyrii gloriam cum praerogativis annexis ſuorum aſſeclarum gregi adſcribebant, tametſi vel pecunia, vel turpiore alia ratione carceres & perſecutiones evaderent. Quin etiam permittebant indiſcriminatim omnibus, ſeſe offerre perſecutioni,

iti-

itidemque illicitis ſaepe mediis ſe ſe eximere, quos tamen Martyres omnes vocitabant, & non ultimo habebant Eccleſiaſtico gradu. Gallicanae Eccleſiae ſupponunt haec omnia ab Aſianis in Denunciativa fuiſſe expoſita. Iccirco rem aggrediuntur à praevia diſpoſitione martyrii, ipſoſque Martyres inexercitatos, imparatoſque, & Exercitatos, promtos, dignoſque accuratè diſcriminant. Expreſſio autem Exercitati eſt Athletica. Nullus enim ad agonum certamina admittebatur, niſi qui in Hellanodico [locus hic erat probandis Athletis deſtinatus] per 10. continuos menſes, & quidem praeſentibus ac decernentibus Judicibus, qui Hellanodicae dicebantur, dignus certaminis ſuſcipiundi judicaretur. De qua probatione agit non uno loco Pauſanias. Per eam itaque vocem tunc in Athletis nuncupandis uſurpatam, qua Exercitati probatique dicebantur ἐκκρίνεσθαι, veram Chriſtiani Martyris ideam proponunt Authores Encyclicae. Agentes enim de illis, qui propter fidei confeſſionem in carceribus detinebantur, aïunt. *Et promti quidem, & parati (διεκρίνοντο) erant Protomartyres, qui ſumma animorum alacritate ſollennem illam Martyrum confeſſionem ediderunt. Qui verò imparati & inexercitati, nec firmis adhuc erant viribus ad impetum tanti certaminis ſuſtinendum, tunc manifeſtè patuerunt. Ex quibus decem circiter collapſi, maximum nobis dolorem & incredibilem luctum attulerunt.* Et mox. *Comprehendebantur quotidiè qui digni erant, ut numerum eorum ſupplerent: adeout ex utraque Eccleſia praeſtantiſſimi quique, & quorum maximè labore atque induſtria res hic conſtitutae fuerant, ſimul omnes tenerentur.*

X. Supradictum diſcrimen ulteriùs Gallicanae Eccleſiae confirmant, atque ipſo experimento convincunt turpiſſimam inexercitatorum ſocordiam, qui interiori coeleſti dono fortitudinis deſtituti, omnique poſthabito exercitamento, quum ad periculum devenirent, ſolis Populi clamoribus perterrefacti à fide excidebant. *Foris autem*, verba ſunt Encyclicae, *manſerunt ii, quorum animis nec veſtigium ullum fidei, nec reverentia veſtis nuptialis, nec ſenſus timoris Dei impreſſus unquam inſederat: Filii ſcilicet perditionis, qui ſua ipſorum converſatione Religionem, quam profitebantur,*

Digitized by Google

tur, *infamaverunt*. Sub nomine veſtis nuptialis Baptiſmum intelligunt & ſollenne juramentum, quo profeſſi fuerant ſanguine etiam proprio Religionem tueri. Hinc inter alias veri Martyris notas potiſſimum conſiderabant indicia accuratioris obſervantiae juramenti illius, quod pro fide praeſtiterant. Quod quidem in exantlandis laboribus, atque in ſupremo certamine viriliter obeundo elucebat. Interim apparet ex iis ſolicitudo Eccleſiarum maxima, qua Martyrum paſſiones diſcutiebant, & quae in illis fortè occurrebant à receptis Martyrii characteribus aliena, ſeverè damnabant. Id quod in elegantiſſima exhortatione ad Martyres §. VII. num. 16. exponit prolixè Tertullianus.

XI. Exercitatorum & argumenta & exempla eadem profert Gallicanorum Encyclica, & inter alios Attalum laudat inſignis fortitudinis Martyrem. *Attalus, qui vehementer à Populo poſtulatus ad ſupplicium, utpote vir valde celebris, paratus ad certamen acceſſit, fretus conſcientia rectè factorum. Quippe in Chriſtianorum diſciplina ſolidè exercitatus, teſtis apud nos veritatis ſemper exſtitit*: Cenſum ſubinde exhibet illorum, qui praevia virtutum exercitatione parati, heroïcae fortitudinis & ſolidiſſimae fidei ſpecimina in agone praebuerunt. Quae ſunt praeclariſſima ſolertiae ab Eccleſiis adhibitae argumenta, in actis Martyrum ſive praeviis ſive conſequentibus examinandis, priuſquam eoſdem publicè venerandos colendoſque proponerent. Occurrebat inſuper haec Encyclica praepoſterae Montaniſtarum conſuetudini, qua nullo ſervato diſcrimine, Martyres quicumque demùm ii eſſent, declarabant, eos etiam aliquando, quos inter hominum turpiſſimam fecem par fuiſſet cenſeri.

XII. Veri atque exercitati Martyris exemplarī propoſito, deſcendunt Encyclicae Authores ad reliqua Montaniſtarum deliria refellenda. Ii delectum ciborum, & jejunia ad ſalutem eſſe neceſſaria hariolabantur: Lapſos autem in Idololatriam, etiam verâ ſubinde poenitentiâ tactos, atque indulgentiam quomodocumque deprecantes ab Eccleſiae foribus planè arcebant. Immane hoc utrumque illorum placitum improbat Encyclica noſtra.

Digitized by Google

ſtra. Et primum quidem quod attinet, proponit fortiſſimos duos Confeſſores, Attalum & Alcibiadem, de quibus ſcribit. *Alcibiades quidam unus ex illorum Martyrum numero, durum & ſqualidum vivendi genus ſectabatur: nullumque omninò cibum admittens, ſolo pane & aqua ad id uſque temporis veſci conſueverat. Cumque in carcere poſitus eandem vivendi rationem vellet retinere; Attalo poſt primum, quod in Amphitheatro confecerat certamen, revelatum eſt, non rectè neque ordine facere Alcibiadem, qui à Creaturis Dei minimè veſceretur, & aliis exemplum ſcandali fieret. Paruit itaque Alcibiades, & cunctis deinde cibis promiſcuè uti coepit, gratiam agens Deo.* Characterem etiam viſionis adjungit Encyclica hiſce verbis. *Neque enim Divina gratia eos praeſentiâ ſuâ deſtituerat, ſed conſolatorem habebant Spiritum Sanctum.* Quibus non obſcurè carpit inſanam Montaniſtarum opinionem, arbitrantium ipſum Paracletum eſſe Montanum: Notat inſuper, Attalum ſupernaturali viſione muneratum fuiſſe poſt labores fortiter in Amphitheatro toleratos pro fidei confeſſione; idque ſine interventu phanatici illius ſpiritus, quo Montaniſticae parectaſes contingebant: rectè proindè pſeudoprophetiae appellatae à Miltiade, qui adversùs Cataphrygas ad hunc modum ſcripſit. *Pſeudoprophetia autem in falſo mentis exceſſu, cujus comes eſt licentia, & audacia: à ſpontanea quidem imperitia initium ſumens, in amentiam autem, ut jam dixi, invol. .tariam deſinens. Hujuſmodi verò ſpiritu nullum unquam nec in Veteri, nec in novo Tto Prophetam afflatum poterunt demonſtrare.* Exſtat hoc Miltiadis fragmentum apud Euſebium lib. 5. cap. 17.

XIII. Lapſos in Idololatriam, quorum crimen inacceſſibile, immundabile, & peccatum ad mortem vocabat cum Montaniſtis Tertullianus in lib. de Pudicitia cap. 20., ad poenitentiam tamen admittendos eſſe convincit definitque juxta Martyrum ſententiam noſtra Encyclica. Quum enim annotaſſet, comprehenſos Chriſtianos quoſdam qui erant Cives Romani, atque adeò à Judicum & Edictorum animadverſione immunes Veteri Legum privilegio, ſaltem Principe inconſulto, mittendum eſſe aït ad Imperatorem qui illius hac de re ſententiam exciperet.

Erant adhuc in carceribus qui cruciatuum magnitudine lapſi in Idololatriam, deſeruerant fidem. Ceteri verò qui adhortationibus & exemplo docebant, conſtanter pro fide obeundam eſſe mortem, lapſos ad poenitentiam revocare ſtudebant, & ad gloriae Martyriique conſortium. Rem omnem paucis complectuntur Autores Encyclicae. *Enim verò hujus temporis mora nequaquam inutilis neque infructuoſa illis fuit: ſed per ipſorum tolerantiam immenſa Chriſti miſericordia tandem illuxit. Quippe mortua jam Eccleſiae membra, viventium ope atque auxilio ad vitam revocata ſunt: & Martyres gratificati ſunt iis qui fidem negaverant; ingentique gaudio Mater eadem virgo Eccleſia cumulata eſt, cum eos, quos tanquam extinctos abortu ejecerat, vivos jam ac reſpirantes reciperaret. Etenim per illos Sanctiſſimos Martyres hi qui fidem negaverant, rurſus in utero delineabantur, rurſus concipiebantur, & vitali calore reparato rurſus fidem confiteri diſcebant, cumque jam ad vitam revocati roboratique eſſent, Deo, qui non vult mortem peccatoris, ſed pro ſua benignitate ad poenitentiam potiùs invitat, mitiorem eis ſiccam infundente, ad Tribunal acceſſere, quo iterum à Praeſide interrogantur .... Ceterum ingens gloria acceſſit Chriſto per eos qui priùs quidem negaverant, tunc verò confitebantur fidem Chriſti praeter ſpem atque expectationem Gentilium. Hi ſiquidem ſeorſum interrogati ſunt quaſi mox abſolvendi. Qui cum ſe Chriſtianos confeſſi eſſent, reliquorum Martyrum numero adſcripti ſunt.* Quo loci Gallicanae Eccleſiae Apoſtatas appellant mortuos, Lapſoſque & peccatum & mortem per Idololatriae crimen admiſiſſe, haudquaquam diffitentur: quos tamen & ad poenitentiam ſuſceptos, & velut Martyres fuiſſe habitos depraedicant. Qua aſſertione Montaniſticum commentum radicitus convellunt, oſtenduntque, neque Idololatriae crimen, nec ſi quod erat eo gravius, quod appellabant ad mortem, irremiſſibile eſſe atque immundabile.

XIV. Ad haec Autores Encyclicae refellunt quoque judicium Montaniſtarum de martyrio, qui aſſeclas ſine probatione & examine indiſcriminatim omnes declarabant Martyres, atque ad Eccleſiaſticos gradus propriae Sectae evehebant cum iis praerogati-

rogativis, quae per haec tempora veris Martyribus concedebantur. Quapropter de veris Martyrum notis & characteribus ſubjungit Encyclica. ***Qui quidem Chriſtum aemulari, atque imitari*** *tantoperè ſtuduerunt, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe aequalem Deo, ut quamvis in tantum gloriae culmen evecti eſſent, nec ſemel atque iterum, ſed ſaepiùs Martyrium ſubiiſſent, & à beſtiis denuò in carcerem relati eſſent: quamvis ignium impreſſa veſtigia, quamvis vibices & vulnera toto corpore circumferrent, tamen nec ſeipſos Martyres praedicarent, nec à nobis ità ſe appellari paterentur. Verùm ſiquis noſtrum per literas, aut in familiari colloquio eos compellaſſet, objurgabant graviter atque increpabant. Martyris enim appellationem libentiſſimè concedebant Chriſto, utpotè fido veroque teſti, & primogenito mortuorum, vitaeque coeleſtis Principi & Autori. Eos quoque qui jam ex hac vita migraverant Martyres nobis commemorabant, aiebantque. Hi jam ſunt Martyres, quos in ipſa confeſſione Chriſtus aſſumi voluit, profeſſionem ipſorum morte tanquam annulo obſignans: nos verò viles atque abjecti Confeſſores. Simul profuſis lacrymis obſecrabant fratres, ut continuae ad Deum preces fierent, quo tandem ipſi perfectum finem adipiſci mererentur. Ac reipſa quidem virtutem Martyrum exhibebant, cum ingenti libertate ac fiducia Gentilibus reſpondentes: & egregiam animi indolem partim tolerantia, partim quod metus ac pavoris expertes eſſent, perſpicuè teſtabantur. Ipſam verò Martyrum appellationem à Fratribus ſibi oblatam, utpotè timore Dei conſtricti refugiebant.* Encyclica reſpicit hoc loco ad Themiſonem Montaniſticae factionis primipilum, qui quod pecuniâ redemerat Martyris nomen, illud ſuperbiùs jactitabat, ſuaeque Antencyclicae inſcripſerat.

Quin etiam & humilitate praecellere debere veros Chriſti Martyres, omnemque eorum gratiam & virtutem in applicatione Redemtionis, peccatori cuilibet impetranda, qui ſincero cordis propoſito ad poenitentiam feſtinet, proſequitur juxta Martyrum judicium Encyclica edocere. *Reprimebant ſub manu potenti* [iidem ſcilicet Martyres] *à qua nunc ſublimius elevati ſunt. Tunc verò omnium defenſionem ſuſcipiebant; neminem accuſabant: cunctos abſolvebant, neminem ligabant. Quin etiam pro illis, à quibus*

acerbiſſimè cruciati fuerant exemplo perfectiſſimi Martyris Stephani Deum precabantur : Domine, ne imputes illis hoc peccatum. Quod ſi ille pro lapidantibus exorabat, quanto magis pro Fratribus eum oraſſe credibile eſt ? Imo ampliſſimos Chriſtianae fidei triumphos in eo reponit Encyclica, quod lapſi qui pacis ac poenitentiae compotes fiunt, Daemonis & Mundi artes feſelliſſe viderentur. *Hoc enim maximum certamen fuit apud Diabolum ob ſinceram ac minimè fucatam caritatem, ut quos ille malignus ſerpens vivos jam ſe devoraſſe crediderat, eliſis faucibus revomere cogeretur. Neque enim faſtu & arrogantia intumuerunt adversùs lapſos, ſed ea quibus abundabant bona indigentibus liberaliter ſubminiſtrabant, materna quaedam miſericordiae viſcera geſtantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum ſalute coram Deo fundentes. Vitam petierunt, & largitus eſt Deus: quam etiam illi proximis ſuis communicarunt, ubique victores ad Deum profecti. Cumque pacem dilexiſſent, pacem nobis commendaſſent, ipſi cum pace migraverunt ad Deum: non dolorem Matri, non Fratribus diſſidium ac bellum, ſed gaudium, & pacem, & concordiam, caritatemque omnibus relinquentes.* Quibus ut ideam perfectiſſimi Martyris proponunt Autores Encyclicae, ita inflatos ac temulentos improbant Montaniſticos Martyres, eorumque ſimul refellunt dogma, quo lapſis quibuſdam fructum Redemtionis denegabant. Qua de cauſſa, opinor, iis Encyclicam inſcripſerunt, *qui eandem nobiſcum fidem, ac ſpem habent Redemtionis:* cujus nimirum applicationem reis quorumdam criminum fieri poſſe pernegabant. Rationes deinde, exempla, & quae ſunt alia id genus documenta congerunt multa, quibus Eccleſias per Orbem reliquas à Montaniſtarum deliriis abſterreant. Qui ſcopus eſt Encyclicarum, ut ibidem diſſerere pergunt. *Atque haec de Beatorum illorum affectu erga eos qui lapſi fuerant, ad legentium utilitatem hìc poſita ſunt propter eos, qui inhumano ac truci animo praediti, inclementer adversùs Chriſti membra poſtmodum ſaevierunt.*

XV. Novam autem Montaniſtarum prophetiam mirè exagitant Gallicanae Eccleſiae, dum veros Martyres Divino Spiritu animatos commendant exemplo Attali, cujus viſionem divinitùs

tùs habitam, & qui ex ea conſecuti ſunt, gratiae effectus deſcripſerant. Ea verò traditur potiſſima ratio verae Prophetiae dijudicandae, quòd ea miraculis plerumque comprobetur. Alia in ſuis quiſque epiſtolis congeſſerant Martyres eodem tempore, quas cum Encyclica ad univerſas Aſiae Eccleſias Gallicani direxerunt. Etenim Euſebius cap. 3. lib. 5. id memoriae prodidit. *Ceterum cum Montanus, & Alcibiades, & Theodotus tum primum in Phrygia opinione hominum tanquam Prophetae celebrari coepiſſent (multa quippe divinae gratiae miracula in pluribus Eccleſiis etiam tum fieri ſolita, fidem pluribus faciebant, eos quoque prophetare) cumque illorum hominum cauſſa diſſenſio orta eſſet, qui in Gallia erant Fratres privatum de his judicium ſuum religioſum imprimis, & cum recta fide conſentiens, rurſus eidem epiſtolae ſubjunxerunt, prolatis interfectorum apud ſe Martyrum variis epiſtolis, quas illi dum in vinculis adhuc eſſent, partim ad Fratres in Aſia, & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanae Urbis Epiſcopum ſcripſerant, pro pace Eccleſiarum fungentes.*

XVI. Porrò in hac Encyclica characteres omnes ſcriptorum ejuſcemodi deprehenduntur. Et primò quidem eſt reſponſiva ad denunciationes ab Aſianis Eccleſiis factas, quae diſſidium expoſuerant à Montano, Alcibiade, ac Theodoto inductum, unà cum novae prophetiae commento, cum dogmatis deligendorum ſuperſtitiosè ciborum, & abnegandae Eccleſiaſticae poteſtatis circa applicationem Redemtionis graviorum criminum reis faciendam. II. Dominici Curſoris delectus inſtitutus eſt, idque officii geſſit Irenaeus Preſbyter Doctor, qui ea mente ab Eccleſiis Aſiae aſſumtus ex multis fuit, ut non tantùm enarrando, ſed qua pollebat ſacra doctrina apud Occidentales Montaniſticam impietatem in odium invidiamque adduceret, & confutaret. III. Apparet Encyclicae character, quod per eam denunciativam, ut in aliis conſuevit, Gallicanae primum, dein reliquae Occidentis Eccleſiae continuò manus dederunt, oſtenderuntque communem Chriſtiani Orbis conſenſionem in Montaniſticis deliriis improbandis. Hinc teſte Photio in Bibliotheca Cod. 14., Apollonius librum edidit adversùs Cataphrygas,

Digitized by Google

& epiſtolas hauddubiè Encyclicas ſuper damnatione Montani, ejuſque Prophetiae. Laudat illas Serapion Antiochenus, atque apud eam Eccleſiam tradit fuiſſe aſſervatas. *Atque ut ſciatis qualiter univerſa quae in terris eſt, Fraternitas operationem illam ſimulatae factionis, quae nova Prophetia nominatur, averſata atque abominata eſt, Beatiſſimi Patris Claudii Apollinaris qui Hierapolitanae Urbis in Aſia Epiſcopus fuit, literas ad vos miſi.* Earum fragmentum legitur apud Euſebium lib. 5. cap. 19. IV. Ad eandem publici ſcripti notam indicandam directus eſt Irenaeus cum ipſa Encyclica, aliiſque cum epiſtolis Martyrum ad Eleutherum, ut ex Euſebio annotatum, quatenus publicum illud Eccleſiae judicium ab Irenaeo Doctore confirmaretur etiam diſputatione.

XVII. Ac praeſentia quidem Irenaei Preſbyteri & Dominici Curſoris, emolumenti plurimum & neceſſitatis habebat. Nam cum Anicetus prima currente Montaniſticae haereſis periodo, prophetias illorum ea conditione probaſſet, ſi nimirum Prophetarum acta veritati niterentur: Soterus autem illas abſolutè damnaverit; ad ulteriores improborum hominum thecnas & cavillationes, potiſſimum quoad poenitentiam omnino denegandam lapſis, ſolertia & Pontificum & Doctorum neceſſaria erat, ne illi ſub obtentu epiſtolae Decretalis Aniceti, qui de controverſiis circa lapſos & ciborum delectum, nondum ſua tempeſtate excitatis, nihil planè decreverat, ſimplices ac ignaras popularium mentes à recta fide abducerent. Igitur Irenaeus Doctor Preſbyter, qui Gallicanas Eccleſias adversùs eorum inſaniam praemunierat, à Pothino Lugdunenſi, & à Martyribus atque Eccleſiis miſſus eſt ad Eleutherum cum epiſtolis quae prodierant, omnibus. Pothinus autem, & Eccleſiae laudatae Irenaeo Romam proficiſcenti Diaconicam tradiderunt, cujus fragmentum recitat ibidem Euſebius, ut publicis documentis conteſtata Irenaei fidelitate ac doctrina, cum Eccleſias ad comprimendam Montani factionem impellerent, tum Eleutherum ad ulteriora ſubſidia Eccleſiis Aſianis porrigenda adducerent. Fragmentum quod ſupereſſe diximus, eam exhibet Diaconi-

cae formam, quae per ea tempora uſuveniebat. Sic enim habet ibid. cap. 4. *Te per omnia, ac perpetuò optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has literas ut ad te perferret, fratrem & collegam noſtrum Irenaeum hortati ſumus. Quem quidem, ut commendatum habeas, rogamus, utpotè aemulatorem Teſtamenti Chriſti.* Nemo enim certiùs & luculentiùs aperire impietatem Montaniſtarum poterat, quàm Irenaeus homo Aſiaticus, qui ſuiſmet oculis illorum vitae rationem perſpexerat.

§. VI.

De Epiſtolis Martyrum, atque earum apud Eccleſias omnes aeſtimatione.

Synopsis.

I. *Martyres ſuam de controverſiis ſententiam ferre conſueverunt.* II. *Virorum doctrina aut pietate praeſtantium poſtrema monita plurimi aeſtimata.* III. *Martyres ante obitum Literis ſua monita complectebantur.* IV. *Martyrum nomina iis Literis inſcripta.* V. *Confeſſoris, aut Martyris titulus qua ratione concederetur.* VI. *Confeſſoris gradus & laudes ex Cypriano expenduntur.* VII. *Periculoſus Eccleſiae habitus eſt lapſus Martyrum.* VIII. *Autoritas Literis Martyrum attributa ab Eccleſiis.* IX. *Id in cauſſa Lapſorum definienda expenditur.* X. *Officia Archidiaconi in hiſce Literis deſcribendis, cuſtodiendiſque.* XI. *Varia earum Literarum genera ſecernuntur.* XII. *Eadem ſcripta Martyrum à Conciliis, & à Patribus fuere laudata ad autoritatem ſuis placitis conciliandam.*

I. QUoniam Lugdunenſis, & Viennenſis Eccleſiae non obſcurè aſſeverant, ſe Encyclicae evulgatae annexuiſſe judicium Martyrum in cauſſa Montaniſtarum publicatum, necnon epiſtolas quae ad Eleutherum conſcriptae fuerant,

rant, ſimul equidem docent, inter Eccleſiaſticos mores fuiſſe receptum, ut in gravioribus controverſiis Martyres, Confeſſoreſque publicum judicium ſuum interponerent, quod non exiguae foret autoritatis. Ejus rei nonnulla documenta tetigimus in I. Noſtra Diſſertatione de Lit. Encyclicis. Accuratiorem nunc hujuſce argumenti tractationem aggredimur, quum id res ipſa poſtulare videtur. Praeſertim cum Themiſonis epiſtola ad omnes Fideles inſcripta, atque ad Eccleſias directa fuerit, ut Pſeudomartyris cauſſae conſultum iretur, atque eluderetur Encyclicae Soteris autoritas. Ex quo factum eſt, ut Aſianae Eccleſiae excitarentur omnes ad ſubtiliores Montaniſtarum theenas publico ſcripto patefaciendas. Tanti apud Eccleſias momenti fuit ſimplex etiam falſi Martyris tentamentum & audacia.

II. Magnorum clariſſimorumque virorum illud ſemper pretium fuit, ut quò celebritate nominis praeminerent magis, eò quiſque vehementiùs illorum monita & documenta in extremis neceſſitatibus etiam expeteret. Et hoc Platonis ingenium adversùs Socratem fuiſſe, hanc voluntatem illuſtriores doctrina viros tenuiſſe, accepimus. Ipſe Redemtor paucis ante obitum horis legali & myſtica Coena peracta, Sermonem illum diviniſſimum habuit praeceptis monitiſque plenum, quod refert Evangeliſta Johannes cap. 14. & ſeqq. Petrus etiam Apoſtolus in epiſtola 2., quam paullò ante obitum ſcripſit, ſalutaribus monitis totus abundat, illiſque pondus addere videtur ſuimet obitus praedictione, quam expreſſit cap. 1. v. 13. *Juſtum autem arbitror quandiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commotione: certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Christus ſignificavit mihi*. Haud aliter Paulus ut Aſianos fideles in fide ſolidaret, quos & Apoſtolicis ſudoribus converterat, & prae ceteris ſua doctrina perfuderat, Epiſcopos ad Milevitanum Concilium evocans, ſuiſque monitionibus erudiens, Actor. 21. & 25. ſubjungit. *Et nunc ecce ego ſcio, quia ampliùs non videbitis faciem meam vos omnes, per quos tranſivi praedicans Regnum Dei*. Et Romae in vinculis poſitus epiſtolas edidit plurimas, ac de iis ſcribit ad Philippenſes cap. 1. v. 12.

Scire

Digitized by Google

Scire autem vos volo, Fratres, quia quae circa me ſunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ità ut vincula mea manifeſta fierent in Chriſto in omni Praetorio, & in ceteris omnibus.

III. Rationem eandem conſectati ſunt Apoſtolici viri, atque in vinculis conſtituti, anteaquam glorioſum martyrii exitum conſummarent, id genus epiſtolas dirigebant Eccleſiis. Hujuſmodi ſunt Ignatianae epiſtolae VII. ſincerae quae ſuperſunt, minimèque interpolatae, quas partim in vinculis poſitus, partim quum Romam pugnaturus cum beſtiis ex Principum edicto deduceretur, ad varios fideles conſcripſit. De quibus Acta martyrii S. Ignatii: quae quum narraſſent iter S. Martyris uſque Smyrnam, nec non occurſum B. Polycarpi Smyrnenſis, haec ſubjungunt. *Apud quem diverſatus ſpiritualium cariſmatum ipſum participem fecit, ſuiſque vinculis gloriatus illum hortabatur, ut ſe in ſuo propoſito adjuvaret. Et verò univerſam quidem Eccleſiam idem communiter orabat [namque omnes Aſiae Urbes, & Eccleſiae per Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos Sanctum ſalutabant cunctis ad ipſum feſtinantibus ut aliquam partem ſpiritalis cariſmatis participarent] Praecipuè autem S. Polycarpum, ut citiùs per feras è Mundo ſublatus in conſpectum Chriſti prodiret. Atque haec ita loquebatur, & ita conteſtabatur ſuam in Chriſtum caritatem tantùm extendens, ut pulcra confeſſione, & eorum fervore, qui pro ejus certamine ſimul Deum orabant, Coelum obtenturus eſſet, & Eccleſiis, quae ipſi per ſuos Praefectos occurrerunt, mercedem rependeret, miſſis ad eas literis gratias agens, quae ſpiritalem cum oratione, & exhortatione gratiam ſtillabant.* Hoc Ignatii factum tum quoad Aſiae Praefectos Eccleſiarum obviam illi properantes, tum quoad epiſtolas huc & illuc tranſmiſſas, habuiſſe ante oculos Lucianum, plurimi autumant, quando in Dialogo Pellegrini, qui igne erat concremandus, eundem introducit ſcribentem paullò ante ſupplicium hortatorias epiſtolas ad diverſos rerum ejus intimè conſcios. In Pellegrino enim traducit Lucianus mores Chriſtianorum, atque imprimis eos, qui inſignes, praeclari, communeſque erant, non acturus proinde de hac epiſtolarum conſuetudine, quae à Martyribus ſupplicium obituris conſcribebantur, niſi id in

mo-

mores Chriſtianorum fuiſſet ubique receptum, ut praeſertim in epiſtolis Ignatianis perſpicuum eſt. Ceteri verò Epiſcopi etiam in carceribus conſtituti & martyrio proximiores, epiſtolas hujuſcemodi exarabant. Euſebius lib. 8. Hiſt. cap. 10. integram adducit eam, quam Philea Thmuitarum in Thebaïde Epiſcopus hortatoriam ad ſuae Paroeciae fideles conſcripſerat. Id quoque egiſſe Dionyſium Alexandrinum alioſque novimus, quorum infra exempla aliquot commendabimus. Quin etiam haec conſuetudo poſt ſecundum Chriſtianum Seculum eò devenit, ut propter diſciplinae abuſus viſum fuerit Conciliis aliquibus ei modum imponere, certaſque rationes praeſcribere & terminos hujuſce autoritatis exercendae.

IV. Ut autem hae epiſtolae vim autoritatis majorem adipiſcerentur, inſcribi illis conſuevit Martyris nomen: quod quidem erat Orthodoxae confeſſionis index, & character. Ipſe Ignatius Theophori titulum ſuis inſcripſit. Et Encyclica Lugdunenſis apertè innuit, adjunctas illi fuiſſe epiſtolas Martyrum, ut de ea loquitur Euſebius. *Epiſtolas varias Martyrum, quas illi partim ad Fratres in Aſia, & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Romanae Urbis Epiſcopum ſcripſerant.* Themiſon etiam Montaniſta ſuae Antencyclicae & nomen addidit, & titulum Martyris. Quamquam diſcrimen temporum eſt accuratè obſervandum. Primò enim ſcribentes nequaquam titulum Martyris appoſuiſſe propria manu videntur, ſed Eccleſiae ipſae, quarum erat de eo dijudicare, conſueverunt inſcribere. Lugdunenſes enim Martyres oblatum ſibi ultrò eum titulum ſubmiſsè rejecerunt, taciteque carpunt ſuperbiam faſtumque Montaniſtarum, qui ejus honoris uſurpationem indiſcriminatim & promiſcuè concederent omnibus, ut ſuo jam loco annotavimus. Sed invaluit decurſu temporis, ut ipſi Encyclicarum autores publicorumve quorumvis ſcriptorum ſibi Martyris, aut Confeſſoris nomen adſcriberent. Quod imprimis perſpicere eſt in actis Concilii Carthaginenſis à Rebaptizantibus ſub S. Cypriano habiti, in quo plurimi leguntur ſubſcripſiſſe cum titulo Martyris, aut Confeſſoris.

V. Mos

V. Mos cohoneſtandi viros ſanctimonia praeclaros atque adhuc ſuperſtites titulo Confeſſoris aut Martyris, ex ipſa Gentilium agoniſtica palaeſtra in Eccleſiam hauddubiè profluxit. Quemadmodum enim ad publicos ludos admittebatur nullus, qui in palaeſtra probatus antea idoneuſque judicatus non fuiſſet ſubeundi fortiter certaminis: ſic in agone Chriſtiano accuratè obſervatum eſſe, prodit laudata Lugdunenſis Encyclica. Et non aliter atque apud Gentes erant primae, & ſecundae notae Agoniſtae, nimirum qui victores aleae, & qui victoribus proximiores declarabantur, quorum ſingulis ſua proemia attributa ſunt: haud aliter Chriſtiana Eccleſia athletas ſuos, qui nequidquam frendentibus idololatris aut fidem conſtanter profiterentur, aut pro eadem ferro Tyrannorum peterentur, ſubirentque ſupplicium, aut Confeſſoris, aut Martyris titulo cohoneſtare conſuevit. Haec honoris nomina eorumque uſus deſignantur in memorata ſaepius Encyclica, ubi occurit *prima comprehenſio*, & *prima*, ac *ſecunda confeſſio*. Is enim Martyr ferebatur, qui perpeſſis cruciatibus, quorum ſtigmata, & veſtigia in corpore geſtabat, ſuperſtes & liber dimittebatur: Confeſſor verò, qui de fide coram Judice interrogatus, ſpretis minis, conſtanti fortique animo ad quaelibet ſubeunda compertus agnituſque paratiſſimus, abſque inflictis vulneribus liber evadebat. Cyprianus in epiſt. 15. perſpicuè docet, fuiſſe ſuo tempore qui Martyres, & qui Confeſſores dicerentur. *Literas feci*, aït ille, *quibus Martyres, & Confeſſores conſilio meo, quantum poſſem, ad Dominica praecepta revocarem*. Et ante Cyprianum Encyclica Lugdunenſis apud Euſeb. ibid. cap. 4. *Quid jam opus eſt referre numerum Confeſſorum, qui poſtea ſuperfuerunt?* Quocirca Author operis de ſimplicitate Clericorum, quod legitur inter opera Cypriani, ſcribit. *Confeſſio exordium gloriae eſt, non meritum coronae: non perficit laudem, ſed initiat dignitatem*. Expreſſiùs in epiſt. 52. laudatus Cyprianus. *Moyſe tunc adhuc Confeſſore, nunc autem & Martyre*. Et Victor Tunnenſis in Chronico, ubi de Archimimo Chriſtiano. *Qui cum fortis atque invictus maneret, jubet eum ſubire ſententiam capitalem ..... ſed ille ut columna immobilis, Chriſto ſolidante fortis effectus, Confeſſor rever-*

vertitur glorioſus, & ſi Martyrem invidum hoſtis noluit facere, Confeſſorem tamen noluit violare. Numerabantur ad commendationem vulnera, & confeſſiones, atque inde tituli duplicati: velut in Sancti Maximini paſſione legimus. *Bis Confeſſor eſt; tertiò Martyr erit per gladium.*

VI. Doctrinam hanc mirificè illuſtrat locus S. Cypriani in epiſt. 58. ad Lucium, demonſtratque titulum Confeſſoris eſſe non exigui aut vulgaris honoris argumentum, nec gloria Martyribus debita eum vacare. Lucius Romanus Pontifex & Confeſſor exilio multatus ab Imperatore fuerat, ſed Deo Eccleſiam miſerante, liber ad ſuam ſedem regreſſus eſt. Id illi per epiſtolam gratulatus eſt Cyprianus, deque eo argumento inter alia ſcribit. *Et nuper quidem tibi, Frater cariſſime, gratulati ſumus, quum te honore geminato in Eccleſiae ſuae adminiſtratione Confeſſorem pariter, & Sacerdotem conſtituit divina dignatio. Sed & nunc non minùs tibi, & omnibus tuis, atque univerſae Fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria, & laudibus veſtris reduces vos denuò ad ſuos fecerit benigna Domini & larga protectio, ut paſcendo gregi Paſtor, & gubernandae navi Gubernator, & Plebi regendae Rector redderetur: ut appareat relegationem veſtram ſic divinitùs eſſe diſpoſitam, non ut Epiſcopus relegatus & pulſus Eccleſiae deeſſet, ſed ut Eccleſiam major rediret. Neque enim in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas, quia morte fruſtrata de camino ignis incolumes exierunt; aut non conſummatus Daniel exierit in ſuis laudibus, quia qui Leonibus miſſus fuerat ad praedam, protectus à Domino vixit ad gloriam. In Confeſſoribus Chriſti dilata martyria non meritum Confeſſionis minuunt, ſed magnalia divinae protectionis oſtendunt. Repraeſentatum id videntes in vobis, quod apud Regem fortes atque illuſtres pueri praedicaverunt: ipſos quidem paratos eſſe ardere flammis, ne Diis ejus ſervirent, aut imaginem quam fecerat, adorarent: Deum tamen quem colebant, potentem eſſe, ut eos de camino ignis eximeret, & de Regis manibus, ac de poenis praeſentibus liberaret. Quod invenimus in confeſſionis veſtrae fide, ut in Domini circa vos protectione nunc geſtum, ut cum vos parati fueritis & prompti omnes ſubire ſupplicium: Dominus tamen vos poenae ſubtraheret, & Eccleſiae reſervaret. Regre-*

dientibus vobis breviata non eſt in Epiſcopo Confeſſionis dignitas, ſed magis crevit Sacerdotalis authoritas, ut Altari Dei aſſiſtat Antiſtes, qui ad Confeſſionis arma ſumenda & facienda martyria non verbis Plebem, ſed factis cohortaretur, & virtutis exemplo. In hoc teſtimonio vides in laudem verti titulum Confeſſionis, quippe qui ad martyrium diſponeret, & aequalis gloriae meritum obtineret. Vides inſuper perſeverantem receptamque doctrinam in Encyclica Lugdunenſi propoſitam, ut exercitatorum Martyrum & Confeſſorum haberetur ratio, & non ſine accurato examine iis titulus concederetur, qui *promti paratique* deprehendebantur. Tanti ſcilicet habita eſt ſententia per Encyclicam ab Eccleſiis lata. Hoc de argumento dignae ſunt quae legantur Cyprianicae epiſtolae 9. 10. 15. 30. 37. 51. & 80., in quibus gradus illi pleniſſimè deſcribuntur.

VII. Quaedam igitur haud vulgaris ea erat laus & gloria, quae Confeſſoribus & Martyribus adſcribebatur, imò & quidam in Eccleſia gradus. Varius autem eorumdem cenſus erat apud Montaniſtas. Tertullianus poſt Doctores arbitrabatur collocandos. Scribit enim in opere de Praeſcript. cap. 3. *Quid ergo, ſi Epiſcopus, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus à regula fuerit: ideo haereſes veritatem videbuntur obtinere?* Ex quo perſpicere eſt, tantumdem in controverſiis valuiſſe apud fideles judicium Martyrum, quantum eorumdem lapſus à fidei regula communi dolore audiebatur. Et Lugdunenſis quidem Encyclica lapſum quorumdam ita commemorat, ut quae inde jactura illata Religioni fuerit, non ambiguè diſſerat. Hinc Pontius Diaconus in vita Cypriani, Sanctiſſimi Antiſtitis Apoſtolicum zelum èx eo potiſſimùm commendat, quòd diligentiùs Martyribus ad ſupplicium fortiter obeundum excitandis incubuiſſet. *Quis*, inquit ille, *tot Confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſervatos, incentivo tubae coeleſtis animaret?* Ipſe Cyprianus in epiſt. 47. gravanter ſe accepiſſe ſcribit, Maximum Romanae Eccleſiae Presbyterum, & Nicoſtratum Archidiaconum Novatiano adhaeſiſſe, quod mala hinc non contemnenda perſentiſceret oritura. Et in epiſtola ad Cornelium

Pon-

Pontificem aſſeverat, Novatianum Schiſma à nonnullis probatum iri, quod eidem publicis Literis Confeſſores aliqui nomen dediſſent ſuum. *Hinc quoſdam Fratres noſtros error induxerat, quòd ſibi communionem Confeſſorum ſequi viderentur.*

VIII. Sed ad ea jam aggredientes quorum gratia inſtituta diſputatio haec eſt, quo in pretio eſſent judicia Confeſſorum & Martyrum ſive oretenus ſive ſcriptis evulgata, diſquiramus. Encyclica Ludgunenſis fidem illas apud Eccleſiam obtinuiſſe, nitidè atteſtatur, commemorans & *proprium privatum judicium* Martyres voluiſſe proferre; eoſque aſſeverat Euſebius alias dediſſe inſuper ad Eleutherum epiſtolas *pro pace Eccleſiarum quaſi legatione fungentes*. Quid ita? aut quorſum Martyres judicium de nova Montaniſtarum prophetia tulerunt, de ciborum delectu, de ſinceris veri martyrii characteribus, niſi ea illis attributa fuerit autoritas, qua pacem Eccleſiarum publicis ſcriptis judiciiſque poſſent reſarcire? Tertullianus adv. Praxeam cap. 1. ſatis commonſtrat, quo in loco Martyrum teſtimonia haberentur. Quoniam enim Praxeas Romano Pontifici denunciaverat Montaniſtas, fueratque omnino auditus: *Praxeas*, inquit ille, *de jactatione martyrii inflatus, ob ſolum & ſimplex ac breve carceris taedium &c.* Cyprianus etiam adinſtar magiſterii habuit epiſtolas Martyrum in Schiſmate Novatiani editas pro Cornelio, & Eccleſia Catholica. Et quantum ſanè momenti fuerint eaedem in cauſſa Lapſorum, agnovit ipſe Cyprianus, zelumque illorum inſigni elogio mactat, ſcribens in epiſt. 25. *Coronas veſtra manu ſertas inde hùc tradidiſtis, & de poculo ſalutari Fratribus propinaſtis. Acceſſit ad Confeſſionis exordia glorioſa & militiae victricis diſciplinae tenor, quem de Epiſtolae veſtrae vigore perſpeximus, quam modo ad Collegas veſtros in Confeſſione vobiſcum Domino copulatos, ſolicita admonitione miſiſtis; ut Evangelii ſancta praecepta, & tradita nobis ſemel mandata vitalia, forti ac ſtabili obſervatione teneantur. Ecce alius gloriae veſtrae ſublimis gradus; ecce iterum cum confeſſione geminatus promerendi Dei titulus: ſtare firmo gradu, & in hac acie qui Evangelium conantur irrumpere, & praeceptis Domini ſubmovendis manus impias inferentes, fidei robore ſubmovere; prae-*

praebuiſſe ante initia virtutum, nunc & morum MAGISTERIA praebere. Et paucis interjectis: *Laetor igitur & vobis, fortiſſimi ac fideliſſimi Fratres, & quantum gratulor Martyribus iſthic honoratis ob virium gloriam, tantùm gratulor pariter & vobis ob Dominicae etiam diſciplinae gloriam.*

IX. In controverſia Lapſorum, atque in iis quas *M*ontanus protrudit, novitatibus refellendis plurimum contulerunt Martyrum & Confeſſorum epiſtolae. Quemadmodum enim poſt *E*ncyclicam Lugdunenſem, & latum in eaque comprehenſum judicium Martyrum, palam innotuit Montani factio, novaeque prophetiae commentum ubique fuit deteſtatum: ita celebris controverſia de Lapſis, quae tertio Chriſtiano Seculo *E*ccleſias diſtraxerat, atque in atrox & dirum ſchiſma eruptura eſſe videbatur, epiſtolis *M*artyrum ad *E*ccleſias miſſitatis, fuit penè compreſſum. De iis epiſtolis *M*artyrum loquitur Novatianus in epiſt. 31., quam utpote Romanus Archidiaconus, Apoſtolica Sede tunc vacante, ſcripſerat ad Africanas *E*ccleſias, exſtatque inter Cyprianicas. Laudat verò Novatianus Confeſſorum perinde, ac Romani Cleri epiſtolas, cujus nomine inter alia ſcribit. *Quamquam Confeſſorum quoque, quos hic adhuc in carcerem dignitas ſuae confeſſionis incluſit, & ad certamen Evangelicum ſua fides in confeſſione tam glorioſa ſemel coronavit, literas habeas conſpirantes cum Literis noſtris, quibus ſeveritatem Evangelicae diſciplinae protuliſſent, ac illicitas petitiones ab Eccleſiae pudore revocarunt*. *E*piſtolas igitur *M*artyrum adjunxerat Romanus Clerus epiſtolae ſuae, ut Cyprianus, & Africani Antiſtites utrumque judicium cognoſcerent, & remedia capeſſerent. Autoritatem judicii à *M*artyribus lati expendit eo loco Clerus Romanus. *Niſi hoc feciſſent, diſciplinae Evangelicae ruina non facilè ſarciretur; praeſertim cum nulli magis tam congruens eſſet tenorem Evangelici vigoris illibatum, dignitatemque ſervare, quàm qui ſe cruciandos excarnificandoſque pro Evangelio furentibus tradidiſſent, ne martyrii honorem meritò perderent, ſi in martyriis praevaricatores Evangelii eſſe voluiſſent. Nam qui quod habet, non cuſtodit in eo, ex quo illud poſſidet, dum id ex quo poſſidet, violat, violat illud quod poſſidet.* Eòdem reſpexit

xit Carthaginenſis Synodus, quae ut decreto edito de rebaptizatione Haereticorum vires adderet, juſſit Epiſcopos, quotquot illud ipſum ſuo calculo, voto, & interlocutione approbaturi erant, exprimere non gradum tantummodo Epiſcopi, ſed etiam Martyris, aut Confeſſoris: quatenus apud Fideles & Epiſcopi dignitas, & Confeſſoris Martyriſve autoritas ad perſuadendum valerent. Id quod in aliis controverſiis perſpicere eſt ex Hiſtoria Euſebii, qui paſſim has epiſtolas Martyrum commemorat.

X. Porrò Romani Archidiaconi, currente Interpontificio, ſumma erat per id tempus poteſtas unà cum Archipreſbytero: quae deinde ejuſdem Sedis Primicerio, & Conſiliario communis facta eſt. Non aliter verò ac Dominicus Curſor ex ordine Diaconorum aſſumebatur, penès quoque Archidiaconum erat munus epiſtolas conſcribendi, aut ſaltem recognoſcendi & ſubſcribendi. Idem exemplaria illarum duo exarabat, alterum in ſcrinio Apoſtolicae Sedis reſervandum, ut ſiquae fraus in epiſtolis ad Eccleſias directis interveniret, facilè exemplarium & Codicum collatione deprehendi poſſet. Inter alia hujus rei documenta ſuis locis proferenda, inſigne illud eſt quod ex epiſtola Vigilii petitur, ubi agit de Judicato à ſe conſcripto in cauſſa Trium Capitulorum, & Ruſticum, ac Sebaſtianum Romanos Diaconos & officii praevaricatores condemnat. Legitur illa in Actis Synodi V. Collat. VII., atque in ea Pontifex. *Nam dum occaſionem euntis ad Siciliam reperiſſes, & Judicatum noſtrum, laudeſque ejus, ubi etiam Filii noſtri Diaconus, Primiceriuſque tecum manifeſtum eſt ſubſcripſiſſe*. Ruſticus itaque delator Judicati & proditor, velut Archidiaconus, unà cum Primicerio eidem ſubſcripſerat. Quod à Vigilio conſuetudo Apoſtolicae Sedis appellatur. Proſequitur enim ad hunc modum. *Quomodo etiam in Palatio, ut Fratri noſtro Mennae, ad quem ſcripſeramus; celeriter traderetur, inſtiteris, nulli habetur incertum: itaut Filio noſtro Surgentio Primicerio petenti Schedam ipſam Judicati noſtri, ut apud ſe pro loco ſuo ſecundùm conſuetudinem retineret* (ubi animadverte morem & diſciplinam retinendi duplicis exemplaris ejuſdem ſcripti) *per*

mul-

multos dies dare noluiſſes, donec exemplaria per plurimos Sacerdotes, & Laicos, ſed & per glorioſum Virum Tyrannum Magiſtrum militum, alioſque Laïcos in Africam Provinciam deſtinares; quod in Eccleſia noſtra à Diacono nunquam factum eſt: ac nobis neſcientibus ejus exemplaria deſtinares. Ac de iſtiuſmodi Diaconi miniſterio in chartis publicis aſſervandis evulgandiſque exemplaribus, cum multa alibi ſunt diſputanda, tum ſatis hoc loco erit exemplum Novatiani nuper laudati, qui quum epiſtolas Martyrum, editas in cauſſa Lapſorum pro ſuo munere adſervaret, ſuae epiſtolae ad Africanos majorem ut fidem conciliaret, eas annexuit. Et Eccleſiae Lugdunenſis, atque Viennenſis Encyclicam adversùs Montani Sectam in Orbem emiſſurae, quas retinebant ejuſdem argumenti epiſtolas Martyrum, ad Eccleſias direxerunt legendas.

XI. Hinc ab eo tempore paſſim auditae vulgataeque ſunt epiſtolae Martyrum, eaeque in varia genera etiam diſcretae. Dogmaticae enim aliae erant, & hortatoriae: cujuſmodi ſunt epiſtolae Ignatii ſeptem, Martyrum Lugdunenſium, & illorum, quorum in controverſia de Lapſis judicia ad Cyprianum, & ad Africanas Eccleſias Novatianus direxit: quaſque Salutem appellitabant vulgò Africani, quemadmodum in Diſſertatione I. annotatum à nobis eſt. Erant remiſſivae aliae dictae, quibus ſcilicet Martyres lapſis poenitentibus indulgentiae beneficium interpellabant. Erant etiam communicatoriae à Martyribus ſcriptae. Non ſecùs enim ac Epiſcopi varias dabant pro re ipſa epiſtolas, dabant etiam Martyres, ea interim invaleſcente perſuaſione, quod eandem illae autoritatem nanciſci deberent. Quocirca dum, ut pronum erat, abuſus obreperent in Eccleſiaſticum ordinem plurimi, eam facultatem Illyberitana Synodus Martyribus abrogavit Can. 25. *Omnis qui attulerit literas Confeſſionis, ſublato nomine Confeſſoris (eo quod omnes ſub hac nominis gloria paſſim concutiant ſimplices) Communicatoriae ei dandae ſunt Literae.* Et Synodus Arelatenſis Can. 9. *De his, qui Confeſſorum Literas offerunt, placuit ut ſublatis, alias accipiant communicatorias.*

XII. Itaque eò aeſtimationis hujuſcemodi Martyrum epiſtolae devenerunt, ut cum ceteris Sanctorum PP. epiſtolis, & earum-

Digitized by Google

dem Tomis Encyclicis aſſervarentur, atque in controverſiis velut norma Eccleſiaſticae traditionis haberentur. Quae eſt ſolidiſſima defendendae fidei methodus, accuratè obſervata in Concilio Gen. Epheſino Actione VI., ubi quum Nicaenum Symbolum recitatum fuiſſet, Epiſcopi Epheſini monuerunt. *Quoniam verò aliqui ſimulant quidem eam confiteri, eique conſentire, malè autem interpretantur ſenſuum veritatem, ſicut eis placet, & circumveniunt veritatem, opus fuit ex Sanctis, & Orthodoxis Patribus comparare teſtimonia, quae ſatisfacere valeant, quomodo intellexerint eam, & praedicare confiſi ſint: ut palam ſit, quia omnes rectam & immaculatam habentes fidem, ſic intelligunt, & interpretantur & praedicant eam*. Ad hanc Epiſcoporum poſtulationem Petrus Primicerius Alexandrinus, cui ex officio Sacrorum Codicum cuſtodia erat contradita, ad argumenti illuſtrationem nonnulla capitula protulit, eaque etiam ex Martyrum opuſculis aſſeverat fuiſſe excerpta. *Prae manibus habemus Codices Sanctorum Patrum, & Epiſcoporum, diverſorumque Martyrum; ſelegimus autem ex eis parva capitula, quae, ſi placet, relegantur*. Utique non ſecùs ac Patrum & Epiſcoporum, erant Martyrum Codices non aliud quàm Tomi Encyclici, in quibus illorum collectae epiſtolae ſolerter cuſtodiebantur. Eundem Patrum, Epiſcoporum, & Martyrum cenſum, eoſdemque gradus enuntiant Baſilius, & ſocii Monachi in Libello adversùs Neſtorium, quem Imperatori Theodoſio obtulerunt, ubi ſcribunt, Tom. 1. Concil. pag. 1335. *Porrò autem inter alia Dei beneficia non immeritò cenſenda eſt veritatis cognitio, & odium falſae cognitionis: quo nimirum explorata perſpectaque habemus fidei myſteria, jam inde ab initio à Sanctis Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, & Epiſcopis . . . . . . tradita*. A Martyribus quidem in ſuis hauddubiè epiſtolis, quas ſententiam ſuam in unaquaque controverſia dicturi, in Orbem emiſerant, & Eccleſiae religiosè ſervaverant. Atque hac, reor, de cauſſa vel ipſae Martyrum paſſiones, & confeſſiones tanta diligentia aſſervatae leguntur, ut ad fidem, & diſciplinam ſtabiliendam continuò eſſent in promtu. De quo loquuntur Acta Saturnini Preſbyteri, & Sociorum apud Baluzium pag. 56. *Qui Religionis Sanctiſ-*

Digitized by Google

ctiſſimae fide exultat, & gloriatur in Chriſto, quique Dominica veritate gaudet, errore damnato, ut Eccleſiam Catholicam teneat, Sanctamque communionem à profana diſcernat, Acta Martyrum legat, quae neceſſariò in Archivo memoriae conſcripta ſunt, ne ſeculis tranſeuntibus obſoleſceret gloriā Martyrum, & damnatio Traditorum. Servari ea in Archivo memoriae, dictum concinnè & appoſitè. Nam quemadmodum in Imperio Archiva erant publica, in quibus Acta Proconſularia condebantur, ne memoria exciderent: Unde *M*agiſtri memoriae inter dignitates Domus Auguſtae leguntur fuiſſe: Eadem ferè ratione Chriſtianorum Eccleſia accuratè deſcribi juſſit *M*artyrum acta, atque ad fidem faciendam incredibili ſolicitudine aſſervavit: imo & viros probitate inſignes ubique habuit, iiſdem ſcribendis, cuſtodiendiſque conſtitutos. Confer ſis celebrem Carthaginenſem Collationem, in qua laudata fuiſſe Acta *M*artyrum, & Collatio ipſa non ſemel inſinuat, & S. Auguſtinus in Breviculo Collationis ejuſdem luculenter enarrat.

§. VII.

De Martyrum Presbyteris, eorumque in perſecutionibus munere.

SYNOPSIS.

I. *Inſtitutio Presbyterorum Doctorum, è quibus aliqui Martyrum curam gerebant.* II. *Illorum neceſſitas, & officia.* III. *Quomodo Agonothetae apud Gentes inſtituerentur, & quae eſſent conciones Agonales.* IV. *Eundem ferè ritum SS. Paulus, & Polycarpus adhibuere.* V. *Moris exempla ſuggerit Encyclica Lugdunenſis.* VI. *Eodem ſaepè officio ipſi Epiſcopi functi ſunt.* VII. *Plerumque tamen Presbyterorum Doctorum aliquem ad id deligebant.* VIII. *Quemadmodum Presbyteri, ac Diaconi Martyrum gerere ſe ſe deberent, exponit Cyprianus.* IX. *Eorumdem multiplex ſolicitudo pro vario Martyrum gradu, & conditione.* X. *Quomodo*

Antiſtites Martyrum appellati. XI. *Qui eorum zelus pro fide Chriſtiana.* XII. *Ad Eccleſiaſticas dignitates ſaepe evecti.* XIII. *Geſta eorum qui Martyres erant declarandi, referebant Epiſcopis.* XIV. *Conciones ad Martyrium exhortatorias literis mandabant.* XV. *Praeſertim id obtinuit, inſtante aut fervente Perſecutione.* XVI. *Quae fuerit hujuſcemodi Libellorum apud Martyres vis, & autoritas.*

I. ANtiochena Eccleſia, quae ab Apoſtolis ipſis fundata, & Chriſtianam diſciplinam edocta fuit, nonnullos habuit Doctores Preſbyteros, ex quorum numero fuit ipſe Paulus Apoſtolus. Haec conſtitutio ceteras per Orbem Eccleſias paullatim ita pervaſit, ut ex Originalibus, Matricibus, & Apoſtolicis Eccleſiis nulla fuerit, quae ſuum Doctorum Presbyterorum Collegium non haberet, cui illi dumtaxat cooptabantur, quos & doctrinae fama, & morum probitas commendaret. Porrò inter alia quae obibant, munera unum in perſecutionibus erat potiſſimum excitare Martyres, ut virili fortique animo hoſtibus Religionis obſiſterent, & quatenus opus eſſet, martyrium pro fide conſummarent. Id genus miniſterii prae ceteris commendavit Encyclica Lugdunenſis, ex qua novimus, Pothinum Epiſcopum Lugdunenſem, Attalum, & Sanctum, qui Diaconus erat, apud Martyres innumeros quos perſecutio vexabat, impigrè munus iſtud fuiſſe executos. Monebant fortes & exercitatos, ut à ſuſcepto conſilio nullatenus deflecterent, deſides atque haeſitantes ad martyrium accendebant: Lapſos verò ſalutaribus monitis ad meliorem frugem adducere laborabant. Quae ſparſim laudata Encyclica commemorat, ea etiam commemorant antiqua monumenta quae in hac diſputatione congeremus.

II. Hujuſcemodi Presbyterorum inſtitutio per ea tempora fuit apprimè neceſſaria. Nam quum nonniſi exercitati, promti, paratique Confeſſores gloria & laude martyrii cohoneſtarentur, eſſe debuit qui exercitatos aut faceret, aut cognoſceret: quique apud Epiſcopos teſtaretur promerita uniuſcujuſque, titulo Martyris, aut Confeſſoris, aliiſque conceſſis vulgò praerogativis poſt

poſt diſcrimen cumulanda: qui denique martyrii cauſſam, opera, verba, confeſſionem Literis mandans, omniaque ad examen revocans, dignos qui anniverſariae commemorationis honore afficerentur, pro munere dijudicaret. Accedit, quod quum plurimi ex Gentibus vel Martyrum praedicatione, vel miraculis converſi, & in carceribus ob id detenti, baptiſmum expeterent, peropportuni aderant Doctores Presbyteri, qui eos & inſtruerent in fide, & ſalutari lavacro regenerarent, atque Evangelicis monitis ad Chriſtianum agonem communirent. Denique quum Martyres ſaepè in fidei controverſiis etiam Encyclicas evulgarent, ſuamque ſententiam exprimerent, adfuerit illis oportet Doctor aliquis, qui non tam exciperet, quàm moderaretur ſcriptionem: media etiam fidei, diſciplinaeque conſentanea ubi opus erat, ſuggereret.

III. Agonem Chriſtianum ſummopere commendatum in Encyclica Lugdunenſi novimus non ſine quadam analogia ad illorum temporum mores. Qui in agonalibus decertaturi nomen dederant, niſi ſub Gymnaſiarcha in Palaeſtris rudimenta agoniſtica aliquandiù excepiſſent, atque exercùiſſent, nequaquam admittebantur. Hujus rei gratia publici erant, & privati ludorum Praefecti, qui exercitandis parandiſque agonothetis operam impendebant. Publici erant Hellanodicae, qui publicum Gymnaſium Hellanodicon dictum regebant: privati erant Athlothetae, Peodotribae, & Alipepetae. De his Pauſanias ediſſerit in Eliacis, & Praefectorum ſolicitudinem, praeviaque ſcholarium exercitia pandit, nequis iners ad publicos ludos cum ſollenni exprobratione, & Populi adſtantis nauſea admitteretur. Hinc laudatas paſſim à Veteribus Scriptoribus conciones & hortationes agonales legimus. Recolit eas Aelianus lib. 6. de Anim. cap. 1. *Homines ut benè ac fortes ſint, hortatione egent, & oratione ſuaſionis plena, quae & metum tollat, & addat animos.* Hùc reſpiciebant voces acclamantis Populi, quarum formulam memorat Ovidius lib. 10. Metamorph.

Adjiciunt animos Juveni clamorque, favorque,
Verbaque dicentium: Nunc, nunc incumbere tempus.

Dionyſius pariter Halicarnaſſ. vim, & efficaciam hujuſcemodi concionum eleganter exprimit in epiſtola de conſcribenda Hiſtoria. *Ipſe Agothetam vidi, qui ante certamen hortando alios, quaſi ipſemet certavit*. Et mox. *Ut enim generoſiſſimi milites, auditis Ducum orationibus, maximè de victoria commendanda nituntur: ſic & qui hortatorias in certamine orationes Athletae accipiunt*. Quid in Agone Olympico cum Athletis jam paratis probatiſque ſuo adhuc tempore factum fuerit, Philoſtratus enarrat in vita Apollonii lib. 5. cap. ult. hiſce verbis. *Eleenſes cum Olympicorum certaminum tempus propinquaret, Athletas ſuos dies triginta in ipſa Elide jubebant exerceri. Deinde in unum congregatos ſic alloquebantur: Itis in certamen, ò Cives, & viri eſtis, vincere potentes. Cùm verò in Olympicum campum veniſſent, ad eoſdem certatores his verbis utebantur. Si jam ſufficienter elaboraſtis, ut in Olympicis certare poſſitis, nec ignavi quippiam, aut humiliter eſtis facturi, audenter ſtadium intrate. Qui verò non ita paratus eſt, quocumque vult, abeat.* Noſtri etiam SS. Patres eandem conſuetudinem memorant, quos inter Baſilius M. ſerm. 2. de Jejunio ſub initium ſcripſit. *Qui Athletis exercendis, puerisque ad hujuſmodi certamina inſtituendis Praefecti ſunt: ſi quando in ſtadiis certaturos producunt, hortandi gratia multa diſſerunt de neceſſario tolerandis laboribus, deque coronis. Adeòque multis perſuadent, ut dum victoriae gloriam ambiunt, corpora ſua contemnant*. Et S. Hieronymus ad Julianum ſub fin. *Et Athletae ſuis incitatoribus fortiores ſunt, & tamen monet debiliores, ut pugnet, ille qui fortior eſt*.

IV. Eadem actio, ſolicitudo, & ſtudium in Agone Chriſtiano fuit penès Epiſcopos, & Presbyteros. Ad eos enim imprimis pertinuit, fideles non intermiſſis exercitamentis ad fortitudinem, atque ad ſervandum fidei ſuſceptae propoſitum adhortari, quatenus ſive externis perſecutionibus, ſive internis hoſtibus, Mundo ſcilicet, Concupiſcentiae, & Diabolo fortiter alacriterque obſiſterent. Atque in hoc ſanè ex ſtadii legibus & publicis ludis formam Chriſtiani Praeſules mutuarunt. Quod inſignia duo loca B. Pauli, & Encyclicae Lugdunenſis apertè teſtantur. Ille in epiſtola ad Hebraeos, qui quod Chriſto nomen dediſ-

dediſſent, multa domi patiebantur incommoda, hortatoriam concionem inſtituit, adinſtar earum, quae Agonales dicebantur. Eos icciroo ut ad tolerantiam excitet, imprimis fortiſſimos veteris Teſtamenti Heroas commendat, qui exantlatis laboribus, gloriae coronam fuerant adepti. Ipſum deinde ſupremum Ducem noſtrum, & exemplar proponit Chriſtum Dominum, cujus fortitudinem imitarentur; ac tandem concludit cap. 12. v. 1. *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. Aſpicientes in Autorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit Crucem, confuſione contemta, atque in dextera Sedis Dei ſedet. Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem: ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Id verò ut aſſequantur, è veſtigio monet: *Perſeverate in diſciplina.* Nimirum in exercitamento ſub Praepoſitis, ad quos dixerat curam animarum pertinere. Propius abludit Encyclica Lugdunenſis ab eo more, proponitque veros & exercitatos Martyres hiſce agoniſticis verbis: *Aequum ſanè erat, ut fortiſſimi Athletae, qui multiplex certamen ſubierant, atque inſignem victoriam retulerant, inſignem immortalitatis coronam exciperent.*

Eadem cohortatione uſus eſt Polycarpus, Smyrnenſes ſuos ceteroſque fideles alloquens, adhortanſque ut Epiſcopis, ac Preſbyteris hiſce obaudiant. Recolit inſignia fortiſſimorum exempla Martyrum, qui viriliter pro fide & Religione paſſi fuerant, ſuamque concionem claudit verbis illis, quae apud Euſebium Hiſt. lib. 3. c. 36. leguntur. *Obſecro vos omnes, ut pareatis Praepoſitis veſtris, omnemque patientiam exerceatis, quam ſpectaviſtis non ſolùm in Ignatio, Rufo, & Zoſimo viris beatiſſimis, ſed etiam in aliis civibus, atque inquilinis veſtris, & in ipſo praecipuè Paulo, ceteriſque Apoſtolis, pro certo habentes, quod hi omnes non fruſtra cucurrerunt, ſed in fide & juſtitia ingreſſi ad locum ſibi à Deo debitum pervenerunt, quandoquidem & paſſionum ejus participes extiterunt.* Nullus dubito, quin Smyrnenſium Praepoſiti, quos laudat Polycarpus, quique paſſionum Chriſti participes effecti, verbo, & exemplo praeiverant, aliqui fuerint Doctores Preſbyteri, adhortandis ad conſtantiam Confeſſoribus deſtinati.

M 4 V. Quos

V. Quos laudat Encyclica Lugdunenſis, nimirum Pothinus Epiſcopus, Attalus, & Sanctus Diaconatu inſignitus, eodem munere defuncti ſunt, ceteroſque Martyres, & Confeſſores in carceribus conſtitutos confirmare allaborarunt. Quod & exemplo praeſtitit Maturus Neophytus, atque extra carceres ipſo in agone Alexander. De iis loquitur memorata Encyclica. *Praecipuè tamen vulgi, ac Praeſidis, & militum furor univerſus incubuit in Sanctum Diaconum Viennenſem, & in Maturum Neophytum quidem illum, ſed generoſiſſimum nihilominus pugilem Chriſti: in Attalum quoque Pergamenum, qui columna, & firmamentum Eccleſiae noſtrae ſemper fuit.* Ii nimirum Presbyterorum Doctorum munera implentes, promtos paratoſque fecere Martyres, quos in carceribus ſocios habebant. Agonotheta quoque aderat ipſe Alexander, qui nutu, geſtu, fronte, totoque habitu eoſdem Martyres dum torquerentur, animabat: non ſecus ac in publicis ludis geſtu manibuſque Agonothetae ad victoriam excitabantur pugiles, ut infra ex Tertulliano accuratiùs. Certè de Alexandro ſcribit Encyclicae Autor. *Alexander quidam natione Phryx, profeſſione medicus, qui plures jam annos moratus fuerat in Galliis: vir omnibus notiſſimus ob amorem Dei, & eximiam in praedicanda fide libertatem (quippe Apoſtolicae gratiae minimè expers erat) Tribunal adſiſtens, cum illos ad confeſſionem nutibus hortaretur, cunctis qui Tribunal circumdabant, tamquam parturiens videbatur.* Obiter animadverti hoc loco velim, duo non fruſtrà in hac Encyclica annotari, nimirum & Alexandrum Phrygem eſſe, atque interna Apoſtolica gratia praeditum. Carpunt enim Autores non ambiguè commentum Montani, qui per Phrygiam docuerat, ſibi uni, nullique ceterorum mortalium Spiritum Sanctum eſſe datum. Hujus in Alexandro coeleſtis gratiae effectum produnt, deſcribuntque ejus admirabilem fortitudinem in ferendis cruciatibus, quos ad vulgi excandeſcentis tumultum eidem intentavit Praeſes. *Alexander verò nec ingemuit unquam, nec vocem ullam protulit, ſed interiùs mente in ſe collecta colloquebatur cum Deo.*

VI. Equidem Presbyteri Martyrum dignitas vel ex eo elucet,

cet, quod ſollenne hoc miniſterium Epiſcopi ipſimet obire haud detrectaverint. Obierat illud in carcere Pothinus Epiſcopus, qui non alia de cauſſa ferocientis Populi iram tulit. Saepiſſimè in ſinceris Martyrum Actis Epiſcopos idipſum egiſſe legimus. De Savino Epiſcopo & Martyre plura habet ſincera ejus paſſio apud Baluzium Tom. 2. Miſcellan. pag. 47. *Et devulgatus eſt ei Savinus Epiſcopus vir eloquentiſſimus, & delimato ſermone clarus in omnibus divinis inſtructionibus gratia D. N. J. Chr. repletus*. Comprehenſus eſt Savinus, Diaconis duobus comitibus & ſociis pro more Epiſcoporum ejus aevi. Sed ut omnia inſigni uno exemplo contrahamus, mentem juvat referre ad elogium, quo Cyprianum Romanus Clerus mactavit in epiſtola, quae inter Cyprianicas num. 31. legitur. *In quo loco maximas tibi, atque uberes gratias referre debemus, & reddimus, quod illorum carceris tenebras literis tuis illuminaſti: quod ad illos veniſti; quod modò introire potuiſti, quod illorum animos ſua fide, & confeſſione robuſtos tuis allocutionibus, literiſque recreaſti; quod felicitates eorum condignis laudibus perſecutus, accendiſti ad multum ardentiorem coeleſtis gloriae cupiditatem; quod pronos impuliſti; quod, ut credimus, & optamus victores futuros viribus tui ſermonis animaſti. Ut quamquam hoc totum de fide confitentium, & de divina indulgentia venire videatur: tamen in martyrio ſuo tibi ex aliquo debitores facti eſſe videantur*. Vides in hoc Cypriani encomio expreſſa munera Doctoris Martyrum, eaque Agonotheticis ſimillima: niſi quod illi marceſcibilem & mox perituram, hi verò immarceſcibilem atque immortalem adipiſcerentur coronam. Ad eos itaque Doctores pertinebat, Confeſſores in carceribus convenire, eoſque nunc adhortationibus, nunc ſcriptis ad martyrii gloriam provocare. Cyprianus, velut Primas Carthaginenſis vix à Romano Clero inſtantis perſecutionis commonefactus, extemplo ad Succeſſum ſcripſit epiſt. 80., eundemque jubet, Epiſcopis omnibus intimare, ut ferventiùs atque inſtantiùs Plebes ſuas pararent virtutum exercitio, ne inter cruciatus à fide deſiſcerent. *Haec peto per vos & Collegis noſtris innoteſcant, ut ubique hortatu eorum poſſit Fraternitas corroborari, & ad agonem ſpiritalem praeparari: ut ſinguli ex noſtris non ma-*

gis

gis mortem cogitent, quàm immortalitatem: ut plena fide, ac tota virtute Domino dicata gaudeant magis, quàm timeant in hac confeſſione, in qua ſciunt Dei & Chriſti milites non perimi, ſed coronari.

VII. Saepe tamen Epiſcopi qui hoc officio defungebantur, rebus ita exigentibus è Presbyterorum Doctorum numero deligebant aliquos, quibus ſimul cum Diacono Martyrum haec ſolicitudo mandaretur. Acta Sancti Saturnini Presbyteri, & Sociorum apud Baluzium Miſcellan. Tom. 2. pag. 58. n. 3., id perſpicuè atteſtantur. *Ibat etiam Presbyter Saturninus numeroſa vallatus progenie liberorum, cujus partus partem ſibi ſociam martyrio deſtinavit, partem ſui nominis pignus Eccleſiae relinquebat. Hos agmen Dominicum ſequebatur, in quo fulgebat coeleſtium ſplendor armorum, ſcutum fidei, lorica juſtitiae, ſalvationis galea, & gladius bifrons ſermo Dei: quorum praeſidio fulti ſpem victoriae promittebant.* Vides Sanctiſſimum Presbyterum promtos paratoſque fideles ad proximum martyrii certamen pro ſuo munere parantem. Clariùs num. 8. commendata eſt Saturnini cum fortitudo, tum officium & dignitas. *O admiranda ſatis, ac praedicanda Presbyteri Doctoris divina reſponſio! Legem ſanctiſſimam etiam in tormentis Presbyter praedicat, pro qua libenter ſupplicia ſuſtinebat.* Eorum munera prolixiùs enarrata fuerunt à S. Cypriano in epiſtolis ad Presbyteros Carthaginenſes datis, quibus plura de Martyrum inſtructione curaque demandat, ipſaque rei tractatione commonſtrat, fuiſſe ex illis Presbyteris aliquos ad haec miniſteria praepoſitos. In epiſt. 81. datam ob id ſaepius normam recolit, atque imminente perſecutione, ut prudenter ſe ſe gerant, commonefacit. *Vos autem, Fratres cariſſimi, pro diſciplina quam de mandatis Dominicis à me ſemper accepiſtis, & ſecundùm quod me tractante ſaepe didiciſtis, quietem & tranquillitatem tenete: nec quiſquam veſtrum aliquem tumultum de Fratribus moveat, aut ultrò ſe Gentilibus offerat: apprehenſus enim & traditus loqui debet; ſiquidem in nobis Dominus poſitus illa hora loquatur: qui nos confiteri magis voluit, quàm profiteri.* Ubi Evangelicas illas martyrii rationes conſectandas demonſtrat, de quibus Eccleſiae Smyrnenſis Encyclica pridem diſſeruerat.

VIII.

VIII. Idem Cyprianus leges, & moderamen in adeundis carceribus ſervandum à Presbyteris deſcribit, ne ſaevis carcerum cuſtodibus injiciant ſuſpicionem, in maximam fidelium detentorum jacturam, & accedentium Doctorum poenas ludibriumque. Sic enim ad Presbyteros epiſt. 5. ſcripſit. *Conſulite ergo, & providete, ut cum temperamento hoc agi tutiùs poſſit: ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud Confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis Diaconis per vices alternent: quia mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam.* Epiſcopale hoc officium, Presbyteris demandatum, alibi ſollenne vocat Cyprianus, diligentiamque, & ſolertiam in eo adhibendam hiſce verbis commendat in epiſt. 37. ad Presbyteros Carthaginenſes. *Quamquam ſciam vos, Fratres cariſſimi, literis meis frequenter admonitos eſſe, ut glorioſa voce Dominum confeſſis, & in carcere conſtitutis omnis diligentia praebeatur; tamen identidem vobis incumbo, nequid ad curam deſit iis, quibus ad gloriam nihil deeſt. Atque utinam loci, & gradus mei conditio permitteret, ut ipſe nunc praeſens eſſe poſſem, promtus, & libens ſollenni miniſterio cuncta circa fortiſſimos fratres noſtros dilectionis obſequia complerem: ſed officium meum veſtra diligentia repraeſentet, & faciat omnia, quae fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei & virtutis illuſtravit divina dignatio.* Cyprianus ſollenne hoc miniſterium vocat proprium officium, quod Epiſcoporum eſſet ordinarium, Presbyteris verò quodammodo delegaretur. Glorioſam etiam vocat illorum confeſſionem, qui corde impavido, menteque benè conſcia Chriſtum confeſſi fuerant, atque ob id glorioſae confeſſionis ſtigmate accepto in carceribus detinebantur, martyrium aliquando eadem animi firmitudine conſummaturi.

Sed quae eſſent peculiaria munera Presbyteri, & Diaconi Martyrum, & quae illis leges ab Anteceſſoribus ſuis latae fuiſſent, aperit in epiſt. 11. ad Martyres ipſos directa. *Solicitudo loci noſtri*, inquit, *& timor Domini compellit fortiſſimi ac beatiſſimi Martyres admonere vos literis noſtris, ut à quibus tam devotè, & fortiter ſervatur fides Domino, ab eiſdem Lex quoque, & diſciplina Domini ſervetur. Nam cum omnes milites Chriſti cuſtodire oporteat*

teat praecepta Imperatoris ſui, tum eos magis praeceptis ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum ceteris facti eſiis & virtutis, & timoris Dei. Et credideram quidem, Presbyteros, & Diaconos qui illic praeſentes ſunt, monere vos, & inſtruere pleniſſimè circa Evangelii Legem, ſicut in praeteritum ſemper ab Anteceſſoribus noſtris factum eſt: ut Diaconi ad carcerem commeantes, Martyrum deſideria conſiliis ſuis, & ſcripturarum praeceptis gubernarent. Praeceptorum nimirum adinſtar erant, & Conſiliariorum Diaconi illi, & Presbyteri, qui fideles in carceribus ob confeſſionem fidei detentos ſalutaria ex ſcripturis, & prudentialia praecepta edocerent; quatenus & propoſiti tenaces eſſent, & modum coram Judicibus ſervarent reſpondendo, ne adversùs ceteros Religionis profeſſores irritarentur. Id quod ipſemet Cyprianus in epiſt. 6. ad Presbyteros Carthaginenſes recolit, quum attemperationis hujuſcemodi deſcribit rationes. *Quando etiamſi Martyres per calorem gloriae ſcripturam minùs contemplantes, contra legem Dei plus aliquid cuperent, à Presbyteris, & Diaconis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in praeteritum factum eſt.* Haec conſuetudo ipſi Religioni coaeva fuit, ac indeſinenter ſervata, ut fidelium pro fide comprehenſorum, eorumque animarum curam Epiſcopi aliquando, aliquando Presbyteri gererent, cetera verò ad vitae ſuſtentationem Diaconi ſuppeditarent,

IX. Atenim ea, de qua diximus, ſolicitudo fideles quoque illos reſpiciebat, qui poſt glorioſam confeſſionem, exceptaque verbera, aut vulnera, carceres evaderent liberi. Et vel inde accuratione majori erant illi in cenſum referendi, quòd per eadem tempora Montaniſtae aſſeclis ſuis gloriam martyrii, ejuſque titulos, & praerogativas indiſcriminatim, & promiſcuè largirentur. Quapropter Cyprianus Presbyteros ſolicitè admonet inſtituendi delectus. *Habeatur interim quantum poteſt, & quo modo poteſt pauperum cura, ſed qui tamen inconcuſſa fide gregem Chriſti non reliquerunt. Ut his ad tolerandam penuriam ſumtus per veſtram diligentiam ſuggeratur: ne quod circa fidem tempeſtas non fecit, circa laborantes neceſſitas faciat. Confeſſoribus etiam glorioſis impertiatur cura propenſior.* Quumque illi in triplici gradu eſſent, nimirum

mirum Stantium, Confeſſorum & Martyrum, mandat Cyprianus Preſbyteris, ut ſedulò naviterque diſquirant ſingulorum fidem, confeſſionem, aerumnas, ceteraque ad conditionem uniuſcujuſque pertinentia, juxta quam titulos, & honores adipiſcerentur, atque alia vitae ſubſidia. Rogat etiam, ut illos commoneant, ne ideò gloria intumeſcerent, ſed divinam erga ſe miſerationem agnoſcerent. *Subminiſtrentur eis*, proſequitur Cyprianus, *quaecumque ſunt neceſſaria, modo ut ſciant ex nobis, & inſtruantur, & diſcant, quod ſecundum Scripturarum magiſterium Eccleſiaſtica diſciplina depoſcat, humiles, & modeſtos, & quietos eſſe debere, ut honorem ſui nominis ſervent, & qui glorioſi voce fuerint, ſint & moribus glorioſi: faciant ſe dignos, ut in omnibus Dominum promerentes, ad coeleſtem coronam laudis ſuae conſummatione perveniant. Plus enim ſupereſt, quàm quod tranſactum videtur, cum ſcriptum ſit: Ante mortem ne laudes hominem quemquam. Et iterum. Eſto fidelis uſque ad mortem. Et Dominus quoque dicat: qui toleravit uſque ad finem hic ſalvabitur. Imitentur Dominum, qui ſub ipſo tempore paſſionis non ſuperbior, ſed humilior fuit ..... Haec ſingula, oro vos, inſinuate Fratribus noſtris: Et quia is exaltabitur, qui ſe humiliaverit, tunc eſt, ut inſidiantem adverſarium metuant, qui fortiorem magis aggreditur, & acrior factus hoc ipſo, quod victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur. Dominus faciat, ut & ego iterum illos maturè videre, & ſalutari exhortatione componere mentes eorum ad ſervandam gloriam ſuam, poſſim.* Quibus apertè Cyprianus ſugillat Montaniſtici gregis Martyres, qui ut procul omni jure titulis cohoneſtabantur, ita inſoleſcere ſubindè, & ſuperbiùs jactare ſe ſe conſueverant.

X. Atque ab hiſce muneribus inſignia profluxerunt nomina in Preſbyteros, & Diaconos. Vulgò qui ſollenne hoc miniſterium obirent, dicti ſunt Preſbyteri Martyrum; Diaconi autem Martyrum, qui corporali eorum miniſterio incumberent. Antiſtites etiam vocavit eoſdem Cyprianus, quod nimirum velut mactandis victimis praepoſiti, quae per mortem ob Chriſti confeſſionem ſubeundam verum eſſent ſupremo numini holocauſtum. Eo ſanè nomine compellavit Celerinum Preſbyterum, qui in carceri-

ceribus detentus, ceteros ad martyrium parabat: incitabatque. Sic enim loquitur in epiſt. 21. *Et nunc ſuper ipſos* (Martyres intellige, & Confeſſores) *factus Antiſtes Dei*. De Rogatiano pariter, qui eodem munere in carceribus fungebatur, ſcribit ad ipſos Martyres in epiſt. 5. *Ut ſequamini in omnibus Rogatianum Presbyterum, glorioſum ſenem, viam vobis ad gloriam temporis noſtri religioſa virtute, & divina dignatione facientem, qui cum Feliciſſimo Fratre noſtro, quieto ſemper, & ſobrio, excipiens ferocientis populi impetum, primum hoſpitium vobis in carcere praeparavit, quemadmodum veſter, nunc quoque vos antecedit, quod conſummetur in vobis, aſſiduis orationibus Dominum deprecemur, ut initiis ad ſumma pergentibus, quos confiteri facit, faciat & coronari*. Accedit, quod interdum eò charitas Eccleſiae adversùs Martyres proceſſerit, ut vel in ipſis carceribus ſuppeditare illis Chriſtiana ſacra elaboravit. Qua de re inſignis eſt locus in Collat. Carthagin. die III. apud Baluzium pag. 332. *Nam fervente perſecutione etiam in carcere doceantur baptizati Martyres; & illic à Chriſtianis celebrata Sacramenta, ubi Chriſtiani propter eadem Sacramenta tenebantur incluſi*.

XI. Miniſterium hoc Presbyterorum ex eo etiam capite introduci oportuit, ut cum Martyres ipſi ſobrii, quieti, & prudentes eſſent, tum illi, quoties calumniis imepetebatur fides, candorem ejus, & ſimplicitatem defenderent. Acta Saturnini Presbyteri de eo multa habent: & pridem illud ipſum adverterat Encyclica Lugdunenſis, ubi de Vectio Epagatho. *Qui immenſa quadam caritatis copia ergà Deum ſimul, & proximum exuberans, qui adeò diſtrictam, & ſeveram vivendi rationem ſuſtinuerat, ut quamvis adhuc juvenis, Zachariae tamen ſenioris elogio aequaretur: inceſſerat quippè in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela: ad omne genus obſequii, ac miniſterii proximo exhibendum promtiſſimus, zelo Dei, ac fervore Spiritus plenus*. Atque eae fuerunt dotes in eo requiſitae, ut ad miniſterium illud proveheretur, quod impigrè, & accuratè executus eſt. Fervente deindè perſecutione, & exaeſtuante calumnioſis clamoribus populo, Vectius idem apologiam pro Chriſtianis evulgare haudquaquam

Digitized by Google

quam veritus eſt. *Hic, cum eſſet hujuſmodi adeò injuſtum adverſum nos judicium pati non potuit: ſed indignatione commotus poſtulavit, ut ſibi quoque liceret pro Fratribus cauſſam dicere, palamque oſtendere, nihil nos impium, aut irreligioſum reperiri. Verùm, cum illi, qui circa Tribunal aſtabant, adverſum eum inclamaſſent (erat quippè inter ſuos clarus) & Praeſes ipſe petitionem alioquin juſtiſſimam aegrè ferret, idque unum ex eo quaereret, eſſetne Chriſtianus: ille, Chriſtianum ſe eſſe, clariſſima voce profeſſus, in Martyrum numerum relatus eſt. Advocatus quidem Chriſtianorum Judicis elogio appellatus; habens autem in ſeipſo Advocatum Spiritum Sanctum multò abundantiùs, quàm Zacharias. Quem quidem caritatis exuberantia declaravit; quippe qui ſuſtinuerit pro Fratrum defenſione morti ſemet objicere. Fuit enim, & eſt germanus Chriſti diſcipulus, ſequens agnum quocumque ierit.*

XII. Saepe qui hoc miniſterio defuncti fuerant, ſubinde ad Eccleſiaſtica ſublimiora officia, & miniſteria evecti fuerunt. Cyprianus in epiſt. 35. ad Presbyteros Carthaginenſes ſcribit, ſe illis cooptaſſe inſigni loco Numidicum Presbyterum Martyrum, quod in ſuo miniſterio numeroſum Martyrum agmen ad Deum perduxiſſet. *Admonitos vos, & inſtructos ſciatis, divina dignatione ut Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthaginenſium numero, ut nobiſcum ſedeat in Clero luce clariſſima confeſſionis illuſtris, & virtutis, ac fidei honore ſublimis, hortatu ſuo copioſum Martyrum numerum, lapidibus, & flammis necatum, ante ſe miſit, ... Et promovebitur quidem, quum Deus permiſerit, ad ampliorem locum.* Ejuſdem conditionis erat Presbyter ille, qui ad Epiſcopatum quendam evectus fuit, deluſo Valentino competitore, quem rabies ſubinde, & furor eò adegerunt, ut haereticalem Sectam in Eccleſiam inveheret. Loquitur de eo Tertullianus adv. Valentinum cap. 4. *Speraverat Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio. Sed alium ex Martyrii praerogativa loci potitum indignatus, de Eccleſiae authenticae regulae abrupit.*

XIII. Ut autem ad munera eorum Presbyterorum redeat oratio, non ii tantùm praeparare ad agonem Martyres, ſed eorum ſingula geſta perſpicere, & Epiſcopis referre debebant, quatenus

nus ſiqui Martyres conſummati eſſent, conſuetis Eccleſiae honoribus cumularentur. Qua de re audiendus iterum Cyprianus ſuis verbis epiſt. 37. ad Presbyteros Carthaginenſes. *Corporibus etiam omnium, qui etſi torti non ſunt in carcere, tamen glorioſo exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia, & cura propenſior. Neque enim virtus eorum, aut honor minor eſt, quo minus ipſi quoque inter beatos Martyres aggregentur. Quod in illis eſt, toleraverunt quidquid tolerare parati, & promti fuerunt. Qui ſe tormentis, & morti ſub oculis Dei obtulit, paſſus eſt quidquid pati voluit. Non enim ipſe tormentis, ſed tormenta ipſi defuerunt. Sicut ſcriptum eſt: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Coelis eſt. Confeſſi ſunt. Qui toleraverit uſque in finem, hic ſalvus erit, dicit Dominus. Toleraverunt & ad finem uſque incorrupta, & immaculata virtutum ſuarum merita pertulerunt. Et iterum ſcriptum eſt. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitae: uſque ad mortem fideles, & ſtabiles, & inexpugnabiles perſeverarunt. Cum voluntati, & confeſſioni noſtrae in carcere, & vinculis accedit & moriendi terminus, conſummata martyrii gloria eſt. Denique & dies eorum, quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus*. Sequitur eo loci Cyprianus ſententiam Lugdunenſis Encyclicae, quae pridem illud ipſum de fidelibus inter vincula defunctis, ſublatiſque definierat. *Qui in carcere ſuffocati interierint, quos ſcilicet Deus, qui ſuam in omnibus gloriam oſtendit, hoc mortis genere defungi voluerat*.

XIV. Praeſtabit etiam & illud annotaſſe, Epiſcopos nimirum, & Presbyteros, quò Martyres faciliùs pararent, conciones ſcripto tradere conſueviſſe, ut quae inter adhortandum dicenda forent, in promtu ſemper haberentur. Libros pariter quandoque edebant, in quibus velut ad quaſdam dogmatum, & virtutum claſſes redigebant ſimul collecta ſacrarum ſcripturarum teſtimonia, ad docendum inſtruendumque idonea. Hujuſcemodi fuiſſe videtur opuſculum Tertulliani ad Martyres. Concionem quippe hortatoriam, atque agoniſticam ſtylus ipſe oſtendit, & tum fortè emiſſam, quum acceſſus Presbyterorum ad carceres publico

blico edicto fuit interdictus. Concionem ipſam, & opuſculum ſic aggreditur Tertullianus. *Inter carnis alimenta, Benedicti Martyres deſignati, quae vobis & Domina Mater Eccleſia de uberibus ſuis, & ſinguli Fratres de opibus ſuis propriis in carcerem ſubminiſtrant, capite aliquid & à nobis, quod faciat ad Spiritum quoque educandum.* Martyres deſignatos vocat, in quos nimirùm ſententia capitis à Praeſide lata jam fuerat. Proſequitur autem. *Carnem enim ſaginari, & Spiritum eſurire non prodeſt. Imò ſiquid infirmum eſt, curatùr; aequè quod infirmius eſt, negligi non debet.* De concionis hujus analogia quadam ad Agoniſticas, perſpicuè loquitur infra. *Nec tantus ego ſum, ut vos alloquar. Verumtamen & gladiatores perfectiſſimos non tantùm Magiſtri, & Praepoſiti ſui, ſed etiam idiotae, & ſupervacuè quique adhortantur de longinquo: ut ſaepè de ipſo populo dictata ſuggeſta profuerint.* Sed clariùs ſuſceptum orationis, & argumenti genus exprimit, quum & neceſſitatem Martyribus, ut ſint exercitati, & certaminis agoniſtici rationes inculcat. *Proinde vos, Benedicti, quodcumque hoc durum eſt ad exercitationem, virtutem animi, & corporis deputate. Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo Agonothetes Deus vivus eſt: Xyſtarches Spiritus Sanctus: Corona aeternitatis: Brabium Angelicae ſubſtantiae politia in Coelis, gloria in ſecula ſeculorum. Itaque Epiſtates Veſter Chriſtus Jeſus, qui vos ſpiritu unxit, & ad hoc ſcamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem à liberiore conditione ſeponere, ut vires corroborentur in vobis. Nempe enim & Athletae ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, ut robori aedificando vacent: continentur à luxuria, à cibis laetioribus, à potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur: Quantò plus in exercitationibus laboraverint, tantò plus de victoria ſperant. Et illi, inquit Apoſtolus, ut coronam corruptibilem conſequantur. Nos aeternam conſecuturi, carcerem nobis pro palaeſtra interpretemur, ut ad ſtadium tribunalis, benè exercitati, incommodis omnibus producamur. Quia virtus duritiâ exſtruitur, mollitiâ verò deſtruitur.* Origenis quoque ad Martyrium exhortatio eſt hortativa ſimul, & catechetica, in qua ita ad virtutis, & martyrii deſiderium inflammat, ut plurima quoque adversùs Idolorum, & Mundi vanitatem à Martyribus ge-

neroſè poſthabendam ſuppeditet. Et ante Origenis, ac Tertulliani tempora, Melito Sardenſis collectionem teſtimoniorum elaboravit, quibus fidei ſimplicitas, & Religionis noſtrae veritas demonſtrabatur. Excerpta ad Oneſimum ſimul cum epiſtola direxit, in qua referente Euſebio lib. 4. Hiſt. cap. 26. ſcribebat. *Cum pro amore, & ſtudio tuo erga Verbum Dei, ſaepiùs à me poſtulaveris, ut excerpta quaedam ex Lege, & Prophetis, quae ad Servatorem, & ad univerſam fidem noſtram pertinent, tibi componerem.* Non inanis conjector fuerit, qui ſuſpicetur, Oneſimum fuiſſe Presbyterum Doctorem, erudiendis illis deſtinatum, qui in carceribus conjecti fuerant ſuſpicione Religionis inſimulati; proindeque poſtulaſſe Catecheticam à Melitone inſtitutionem. Haud ſecùs enim Cyprianus ad petitionem Quirini tres libros teſtimoniorum edidit, ipſoque in limine ſcopum aperit inſtitutae ſcriptionis. *Pro fide, & devotione tua, quam Domino tuo exhibes, Fili cariſſime, petiſti, ut ad inſtruendum te, excerperem de Scripturis Sanctis quaedam capitula, ad religioſam ſectae noſtrae diſciplinam pertinentia. Lectionis divinae ſucciactam diligentiam quaerens, ut animus Deo deditus, non longis, aut multis Librorum voluminibus fatigetur, ſed eruditus breviario praeceptorum coeleſtium, habeat ad fovendam memoriam ſuam ſalubre & grande compendium: ut quia tibi plenum dilectionis obſequium debeo, feci quod petiſti, ut laborarem ſemel, ne tu ſemper laborares.* Inſtitutio in libris illis à Cypriano elucubratis omninò didaſcalica eſt, & quoddam velut promtuarium eorum omnium, quae fidelibus ad honeſtatem, ad virtutem, ad martyrii conſummationem viam comparare poſſent. Quamobrem edoctus Quirinus, ita ſe ſe cum Martyribus geſſit, ut ipſimet Confeſſores, ac Martyres in epiſt. 78. ad Cyprianum de illo ſcripſerint. *Agunt ergò tibi nobiſcum damnati maximas apud Deum gratias, Cypriane dilectiſſime, quod literis tuis laborantia pectora recreaſti ..... Fecit autem & proſecutum miniſterium tuum, ut Quirini dilectiſſimi noſtri.* Et in epiſt. 79. *Accepimus itaque, Frater deſideratiſſime, id, quod à Quirino, & à teipſo miſiſti, ſacrificium ex omni opere mundo.* Opuſcula id genus alia apud Patres ejuſdem aevi facilè reperias.

XV.

XV. Id moris autem eo potiſſimum tempore invaluiſſe videtur, quo ſaevientibus Tyrannis, cuilibet interceptus erat acceſſus ad carceres, imo & à congreſſibus Chriſtiani omnes arcebantur. Quod in hac ipſa Aurelii perſecutione contigit, de qua appoſitè ſcribit Encyclica Lugdunenſis. *Adeò, ut non ſolùm ab aedibus, à balneis, à Foro arceremur, verùm etiam interdictum fuerit, ne quis noſtrum quocumque demum loco appareret*. In tanta enim rerum anguſtia non aliud Epiſcopis, & Preſbyteris Martyrum ſuppetebat, quàm tacitis libellis jacturas utcumque ſarcire. Fecit id procul dubio memoratus nuper Tertullianus in opuſculo ad Martyres, & quum eos convenire haudquaquam integrum eſſet, ſcriptis praeſtitit, quod verbo facere debuiſſet. Et Origenes per epiſtolam adhortatus eſt Patrem, ut fortiter martyrium ſuſtineret, quemadmodum ſcribit Euſebius lib. 6. Hiſt. cap. 2. *Literas ad Patrem miſit, quibus illum ad martyrium vehementiſſimè cohortabatur, his inter cetera verbis eum admonens: Cave, mi Pater, ne noſtrâ cauſâ ſententiam mutes*. Quod quidem, eodem annotantę Euſebio, tantùm apud illum valuit, ut audaci, conſtantique animo martyrium ultrò ſubierit. Ejuſdem conſuetudinis veſtigia in pluribus Cypriani epiſtolis relucent, ubi ſpecimina antiquae Athleticae concionis incredibili dicendi vi exhibentur, magno legentium ad conſtantiam, ad fortitudinem, & virtutum incitamento. Acceſſus ad carceres Chriſtianis magna ſeveritate inhibitus fuerat. Quod per eadem tempora in epiſtolá ad Domitium, & Didymum ſcripſit Dionyſius Alexandrinus. *In hunc uſque diem non ceſſat Praefectus noſtros, qui praeſentiae ipſius exhibentur, partìm interficere crudeliſſimè, partìm tormentis dilaniare . . . . interdicens, nequis ad eos accedat, & perſcrutetur, num quis videatur accedere*. In hiſce Chriſtiani gregis ambagibus officio ſuo ne deeſſet Cyprianus, epiſtolas plurimas edidit ad Confeſſores, ac Martyres, tyrannicis vinculis obſtrictos. Prima legitur num. 9. ſaeviente perſecutione evulgata, quando plurimi duce Mappalico nequidquam profugi, conſtantes in fide manſerunt. Agoniſtica tota eſt, & Olympicarum adinſtar. Haec autem de Mappalico annotat. *Vox*

N 2 *ple-*

Digitized by Google

plena Spiritu Sancto de Martyris ore prorupit, cum Mappalicus Beatiſſimus inter cruciatus ſuos Proconſuli diceret. Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis, & fidei teſtimonio dixit, Dominus implevit. Agon coeleſtis exhibitus, & Dei ſervus in agonis promiſſi certamine coronatus eſt. Adjunctis autem agoniſticis nonnullis argumentis, ceteros ut eum coronatum victoremque Athletam ſequantur, ſic adhortatur. *Hunc igitur agonem per Prophetas ante praedictum, per Dominum commiſſum, per Apoſtolos geſtum, Mappalicus ſuo, & Collegarum nomine Proconſuli repromiſit. Nec fefellit in promiſſo ſuo vox fidelis: pugnam, quam ſpopondit, exhibuit: & palmam, quam meruit, accepit. Iſtum nunc Beatiſſimum Martyrem, & alios participes ejuſdem congreſſionis, & comites in fide ſtabiles, in dolore patientes, in quaeſtione victores, ut ceteri quoque ſectemini, opto pariter, & exhortor.* Epiſtola ſeptima ad Rogatianum, atque ad reliquos in carcere cum ipſo detentos, ad mores informandos, atque ad virtutis incrementum comparatiſſima eſt. Rogatianum inſtituit Presbyterum Martyrum, & quomodo exercendi ſint, qui ob fidem captivi erant, luculenter edocet. Ejuſdem ut eloquentiae, ſic argumenti ſunt epiſtolae 16., quae ad Confeſſores Romae detentos inſcribitur, & 56. Tibari plebi, dum inſtaret perſecutio, tranſmiſſa; & haec non interruptam habet agonis ſecularis allegoriam. Aliquando & illud contigit, ut Martyres è carceribus ſimiles epiſtolas ad alios pariter comprehenſos Martyres ſcriptitarent: Quo titulo Cyprianus epiſt. 25. ad Confeſſores Romanos potiſſimùm eos commendat, quòd nimirum hortatorias hujuſcemodi epiſtolas ad alios conſcripſiſſent. *Acceſſit ad confeſſionis exordia glorioſa, & militiae victricis auſpicia diſciplinae tenor, quem de epiſtolae veſtrae vigore perſpeximus, quam modo ad Collegas veſtros in confeſſione vobiſcum Domino copulatos, ſolicita admonitione miſiſtis.* Et mox. *Praebuiſſe ante initia virtutum, nunc & morum magiſteria praebere.*

XVI. Reſtat, ut quanti facerent Martyres hortatorias haſce, & quaſi olympicas conciones, perſpiciamus. Quod quidem teſtatiſſimum fecerunt ipſimet in epiſtola ad Cyprianum num. 26.,

Digitized by Google

26., ubi, ut alia omittamus, ad rem ſcribunt. *Inter varios, & multiplices, Frater, dolores nobis conſtitutis propter graſſantes multorum per totum penè Orbem ruinas, hoc praecipuum nobis ſolatium ſupervenit, quod acceptis literis tuis erecti ſumus, ac dolentis animi moeroribus fomenta ſuſcepimus. Unde intelligere jam poſſumus gratiam Divinae Providentiae, forſitan non ob aliam cauſſam nos tandiu clauſos vinculis carceris reſervare voluiſſe; niſi ut inſtructi, & robuſtiùs animati literis tuis, voto proniore ad coronam deſtinatam poſſemus pervenire. Illuxerunt enim nobis literae tuae, ut in tempeſtate quadam ſerenitas, & in turbido mari exoptata tranquillitas, & in laboribus requies; ut in periculis, & doloribus ſanitas, ut in denſiſſimis tenebris candida lux & refulgens. Ita illas animo ſitiente perbibimus, & voto eſuriente ſuſcepimus, ut ad certamen inimici, ex illis non ſatis paſtos, & ſaginatos gaudeamus. Reddet tibi Dominus pro iſta tua caritate mercedem, & hujus tam boni operis repraeſentabit debitam frugem. Non minùs enim coronae mercedem condignus eſt qui hortatus eſt, quàm qui paſſus eſt: non minùs laude condignus qui docuit, quàm qui & fecit: non minùs honorandus eſt qui monuit, quàm qui dimicavit: niſi quoniam nonnunquam magis gloriae cumulus redundat ad eum qui inſtituit, quàm ad eum, qui ſe docilem diſcipulum ſubminiſtravit. Hic enim fortaſſis hoc, quod exercuit, non habuiſſet, niſi ille docuiſſet.* Conſule cetera, quibus Martyres ſummam aeſtimationem ſuam, atque obſequium erga literas Epiſcoporum hujuſmodi obteſtantur. Epiſtola etiam hortatoria legitur Phileae Epiſcopi, quam in carcere ſcripſit ad ſuam Eccleſiam. Euſebius autem Hiſt. lib. 8. cap. 10. integram reſervavit.

Digitized by Google

§. VIII.

De judicio Eccleſiarum Orbis, Encyclicis adverſùs Montaniſtas ſubſcribentium.

SYNOPSIS.

I. *Judicium Gallicanorum Martyrum, & Epiſcoporum adverſus Montaniſtas, ab Eleuthero Pont. approbatum.* II. *Quae fuerit ratio Encyclicae evulgandae.* III. *Poſt ejuſdem acceptationem ubique Montaniſtae Haeretici audiunt.* IV. *Ejus confirmandae gratia Synodus Hierapolitana celebratur.* V. *Apollinaris Hierapolitani adverſùs Montanum diſputationes.* VI. *Altera Synodus eadem de cauſſa celebrata ſub Sota Achillarum Epiſcopo.* VII. *Fuerit ne Sota Epiſcopus Achillarum, an Anchialis.* VIII. *Altera Synodus ab Apollonio Epheſi Archiepiſcopo habita.* IX. *Doctores ab Epheſiis delecti, qui Montaniſtas diſputando refellerent.* X. *Ex illis fuerunt Zoticus, & Julianus Epiſcopi, & Aſterius Urbanus.* XI. *Apollonius imprimis Pepuzianos, unam ex aliis Montani Sectis, exagitabat.* XII. *Serapion Antiochenus alteram, coäcta Synodo, Encyclicam in eadem cauſſa vulgavit.* XIII. *Eccleſiae totius perſuaſio circa haereſim Montani expenditur.*

I. QUum poſt judicia Apoſtolicae Sedis, Encyclicae Lugdunenſis, & Epiſtolarum à Martyribus ejuſdem Provinciae conſcriptarum, Montaniſtae, & generatim omnes novae Prophetiae aſſertores, fraudis ubique, erroris, & hypocriſis inſimularentur, atque acta circularia in praecipuis Eccleſiis ſuſcepta fuiſſent, anathematiſmis etiam Conciliorum ab Eccleſia Chriſti eliminati fuerunt. Quae tertia eſt periodus Montaniſticae Sectae, ab hypocriſi Montani exordientis, tum in apertum Schiſma Eccleſiarum Aſiaticarum, denique in dogmatum nefandam colluviem erumpentis. Chriſtiana Reſpublica hoc

Digitized by Google

hoc debuit Martyribus Lugdunenſibus, qui ipſo perſecutionis tempore ab Irenaeo hauddubie commoniti, antequam Gallicanae Eccleſiae Encyclicam ſuam vulgarent, publicis ſcriptis falſam Montani pietatem redarguerunt, cum apud Eccleſias Aſiaticas, tum apud Pontificem Eleutherum. Hoc judicium ſubinde ſuis Encyclicis Literis annexuerunt Gallicani. Quocirca Eleutherus, & poſt ipſum nonnullae Synodi anathematiſmos in Montanum, & aſſeclas intorſerunt. Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 3., ubi Encyclicae Lugdunenſis fragmentum refert, ſimul etiam notat, epiſtolas à Martyribus fuiſſe conſcriptas, quarum exemplaria ad majorem fidem conciliandam Encyclicae ſunt adjuncta. *Ceterum cum Montanus & Alcibiades, & Theodotus, tunc primum in Phrygia opinione hominum tanquam Prophetae celebrari coepiſſent . . . . . cumque illorum hominum cauſa diſſenſio orta eſſet, qui in Gallia erant Fratres, privatum de his judicium ſuum, religioſum imprimis, & cum recta fide conſentiens, rurſus eidem epiſtolae ſubjunxerunt, prolatis interfectorum apud ſe Martyrum variis epiſtolis, quas illi, dum in vinculis adhuc eſſent, partim ad Fratres, in Aſia, & Phrygia degentes, partim ad Eleutherum Rom. Urbis Epiſcopum ſcripſerant, pro pace Eccleſiarum quaſi legatione fungentes*. Perſpicis equidem ex Hiſtoriae Euſebianae ordine, Martyres primum epiſtolis ſuis pullulantem Montani Sectam Aſianis denunciaſſe, necnon Eleuthero Pontifici, lupos ſub ovina pelle graſſantes, palam feciſſe: tum verò Lugdunenſem, & Viennenſem Eccleſias, ut ſchiſma jam invectum apud Aſianos conſopirent, non tantùm Encyclicam ſcripſiſſe, ſed eaſdem epiſtolas Martyrum rurſus tranſmiſiſſe. Quibus omnibus adhaerens Eleutherus, firmavit judicium Soteris, & novis detectis erroribus anathema dixit. Equidem eo ſedente Pontifice, Montanum unà cum aſſeclis proſcriptum ab Eccleſia fuiſſe, teſtis eſt idoneus Tertullianus, qui ſub initium libri de jejunio ſcribit. *Novitatem igitur objectant, de cujus inlicito praeſcribant: aut haereſim judicandam, ſi humana praeſumtio eſt; aut pſeudoprophetiam pronunciandam, ſi ſpiritalis indictio eſt, dum quaque ex parte anathema audiamus, qui aliter adnuntiamus.*

II. Sed quoniam Encyclicum hujuſmodi decretum eſt Chriſtiani II. ſeculi nobiliſſimum monumentum, quod Eccleſiarum omnium conſenſionem, ejuſque vim, & Magiſterium poteſt demonſtrare, juvat rerum ordinem intimiùs pernoſcere, & quo demum loco à fidelibus magiſterium hocce habitum fuerit, ad noſtram de Encyclicis Literis ſententiam ſtabiliendam, indagare. Poſt communicatorias ab Aniceto Pontifice datas Montano, atque illis Aſiae Eccleſiis, quae ipſius Montani prophetiam Divino Spiritui adjudicabant, facti oculatiores Aſiae Epiſcopi Apollonius, Apollinaris, aliique retulerunt fraudes impoſtorum ad Soterem, qui, re exploratâ, prophetiam Montaniſticam & novam dixit, & parecthesim eſſe pronunciavit. Sed quum nihilominus Montaniſtae non tam prophetiam pertinaciùs defenderent, quàm nova regulae fidei ſuperinducerent dogmata, miſſus eſt ab Aſianis Irenaeus Presbyter ad Occidentis Eccleſias, nova commenta adversùs fidem, à Montaniſtis invecta, enarraturus. Res ex voto contigit. Gallicanae Eccleſiae Lugdunenſis, & Viennenſis Encyclicas ea de re in Orbem vulgarunt, annexo judicio, quod Martyres pridem emiſerant. Ratum id omne habuit Eleutherus, & non errores ſolùm, ſed etiam Montanum,& impoſturae conſcios anthemate confodit. Haec quum intellexiſſent Aſiani, Synodos coëgerunt plurimas, emiſſa judicia confirmaturi. Quod in Tractu pariter Antiocheno factum eſt, ubi Serapion Patriarcha Encyclicum Tomum edidit, in quo monumenta Encyclicarum eouſque in cauſſa hujuſcemodi vulgata collegerat.

III. Vulgatis igitur cum denunciativis, tum Peremtoriis Encyclicis, per Europam, & Aſiam, ac per Antiochenum Tractum, paſſim coëunt in Synodos Epiſcopi, atque commune in Montaniſtas judicium ingeminant. Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 16. fragmentum reſervavit Anonymi, quem eſſe Aſterium Urbanum, plurimi autumant, quique hiſtoriam integram ſcripſit motuum omnium Montani, errorum, actorumque adversùs eundem. Is inter alia prodit, poſt ſecundam periodum, in qua prophetia Montaniſtica velut nova, & parecthesis improbata fuit,

Aſiae

Aſiae Eccleſias omnino honorem Prophetis, ac Propheriſſis illis denegaſſe, ut propterea velut rabidi canes coeperint maledictis inceſſere Catholicam Eccleſiam. *Univerſam verò, quae per Orbem terrarum ſparſa eſt, Eccleſiam, idem ille arrogantiſſimus Spiritus maledictis appetere eos docebat, eo quod nec honorem, nec aditum ullum ad ipſam pſeudopropheticus Spiritus reperiret.* Ac tum primùm immani diſſidio à Catholicis diſtracti Montaniſtae, nova invexerunt in Religione commenta. Quapropter ſubjungit ibid. Aſterius. *Nam cum fideles, qui in Aſia erant, ſaepius, & in plurimis Aſiae locis hujus rei cauſſa conveniſſent, novamque illam doctrinam examinaſſent, & prophanam, atque impiam judicaſſent, damnataque haereſi, iſti ab Eccleſia, & fidelium communione expulſi ſunt.* Haec quum certa ſint, ſupereſt, ut Concilia illa recenſeamus, quae ſuo judicio communem in Montaniſtas ſententiam firmaverunt. Sanè Eleutherum imprimis Romanam Synodum indixiſſe, tum infra, quum de Blaſto, & Florino, accuratiùs diſputabimus, tum apertè ſupponit Tertullianus, commemorans Anathematiſmos ab Eleuthero in Montaniſtas evulgatos.

IV. Prîma autem occurrit Hierapolitana Synodus, de qua haec habet Libellus Synodicus num. 5. *Synodus Divina, & Sancta Provincialis Hierapoli Aſiae celebrata ab Apollinario Sanctiſſimo hujus Epiſcopo, aliiſque viginti ſex Epiſcopis: quae abdicavit, & extirpavit Montanum, & Maximillam pſeudoprophetas, qui blaſphemè, utpote à Daemone obſeſſi, ſicut idem Pater dicit, vitam commutarunt. Cum iiſdem verò & Theodotum Coriarium eadem Synodus condemnavit.* Hierapolis Civitas erat Phrygiae, & Coloſſopolitanae Urbi proxima, de qua in ſuperioribus actum eſt. Coeperant Montaniſtae virus ſuum in ea regione diſſeminare. Ad ejus itaque regionis Antiſtites imprimis ſpectabat, ſimul convenire ad novitiae illius Sectae examen inſtituendum. Eorum quoque potiſſimum intererat, Encyclicas reliquarum Eccleſiarum lectitare, probare, & exſtirpandae domeſticae haereſis cauſſa, contendere ſolicitudine omni, & zelo.

V. Equidem Apollinarem ſingulares in hac cauſſa labores ſuſcepiſ-

Digitized by Google

ſcepiſſe, docet Euſebius, quum lib. 4. cap. 27. ſcribit. *Apollinaris verò licet penès multos multa exſtent opera, haec tamen ſola ad nos pervenerunt. Oratio ad ſupradictum Imperatorem.* (M. Aurelium) *Adversùs Gentiles libri quinque. De veritate duo. Duo item adversùs Judaeos. Et alii, quos poſtmodum ſcripſit contra Cataphrygum haereſim, quae quidem non longè poſtea maximos tumultus excitavit: tunc temporis verò primum enaſci coeperat, Montano cum falſis vatibus ſuis adhuc erroris ſui fundamenta jaciente.* Primus igitur Apollinaris in lucem protraxiſſe, & coärguiſſe videtur fraudes Montani, ſociarumque feminarum. Id enim apertè inſinuat Euſebius, quum narrat, Apollinarem ſcripſiſſe adversùs Montanum eo tempore, quo ille coepit haereſim ſuam vulgare, quae non longè poſtea in Eccleſiis Aſiae tumultus, & diſſidia excitaverit. Et quum ſubinde prodierint Encyclicae, atque anathema in Montaniſtas proclamaretur, Synodum congregavit ſuam Apollinaris, atque in ea Montanum, & Theodotum anathematiſmis confodit.

VI. Aliam eodem tempore Synodum, adversùs Montaniſtas celebratam ſub Sota Achillarum Epiſcopo, memorat Libellus Synodicus hiſce verbis. *Synodus divina & ſacra particularis congregata à Sanctiſſimo Achillarum Epiſcopo Sota, aliiſque XII. Epiſcopis: quae refutatum Theodotum Coriarium abdicavit. Montanum item cum Maximilla, qui octingentas ſeptuaginta octo Aeônas docebat, ſeque ipſum pro Spiritu Sancto venditabat.* Fuit & haec totius Phrygiae Synodus provincialis, non inutiliter poſt Hierapolitanam coācta, quum ſinguli, & univerſi Epiſcopi, poſt evulgatas Encyclicas, & prolatum Orbis judicium, eniti ſimul deberent, ut quae ibi enata haereſis fuerat, ibi quoque radicitùs exſtirparetur, ſublatoque ſchiſmate, amicè ſimul omnes ad fidei candorem ſervandum Eccleſiae conſpirarent. Achillarum autem haec Synodus habita & celebrata eſt, quòd poſt Univerſalis Eccleſiae Encyclicas quilibet Epiſcopus vel in Eccleſia ſua, vel cum Epiſcopis finitimis ad eas ſuo calculo firmandas & ſubſcriptione convenire deberet.

VII. Aliqui, & mea ſententia, rectiùs pro Achilli, legunt

Anchia-

Digitized by Google

Anchiali. Nam Sotas Anciali indigetatur Epiſcopus. Erat quidem ad Smyrnae vicinia Achillarum vicus, idemque apud veteres Geographos, ac qui dicebatur Achillius, & tumuli Achilli. Xenophon enim in Hellen. deſcribens Jonae Aſiaticae loca, vici etiam hujus meminit. Meminit quoque Diodorus Olympiad. 95. ann. 4., & in deſcriptione Provinciarum illarum Stephanus. Anchialis verò urbs Thraciae eſt, & ubi in Encyclica Serapionis, de qua mox, agitur de Sota, vocatur Epiſcopus Anchiali, & hunc refert voluiſſe oſtendere, Priſcillam à Daemone eſſe invaſam, ope exorciſmorum Eccleſiaſticorum, ſed praepeditum à Montaniſtis fuiſſe.

VIII. Phrygia Epiſcopum Epheſinum vel Primatem, ſive ut dixit ſequior aetas, Exarcham agnoſcebat, eique ſubjecta erat. Quocirca Metropolitani illius tractus, quaecumque publica ſcripta, & ad fidem imprimis pertinentia aut ſuſciperent, aut exararent, ea Primati annunciare debebant. Non eſt dubitandum, Hieropolitanae Synodi Acta, ceteraque eòdem collineantia, denunciata fuiſſe ab Apollinari ſuo Epheſino Primati, qui Synodum ea de cauſſa indixerit. Ejus notitiam debemus Authori Praedeſtinati, num. 27. ſcribenti. *Vigeſima ſeptima haereſis Pepuzianorum, qui à loco quodam nominati ſunt. Quem deſertam civitatem dicit Epiphanius. Hanc autem iſti divinum aliquid eſſe arbitrantes, Hieruſalem vocant. Tantum dantes mulieribus principatum, ut ſacerdotio quoque apud eos honorarentur. Dicunt enim duas Eccleſias, Quintillae, & Priſcillae in eadem civitate Pepuza. Unum ſunt cum Cataphrygis. Contemtui autem eos habent, quod ſe iſti Pepuziani ceteris aeſtiment meliores. Dicunt enim hanc Pepuzam villam fuiſſe Montani, Priſcae, & Maximillae, & quia ibi coeperunt praedicare, & ibi vixerunt, ideò locum appellari Hieruſalem. Et quia habitatores loci ſunt, ideo ceteris ſe eſſe meliores, adſcribunt. Hos Apollonius ſuperavit Epheſiorum Epiſcopus.* Vehementiùs adigi potuit Epheſinus Primas Apollonius ad Synodum indicendam, quod Anonymus ille, ſeu Aſterius apud Euſebium, antequam hujuſmodi Conciliorum celebrationem narret, obſervat, mulierculas illas ab arrogantiſſimo ſpiritu agitatas, univer-

ver-

verſam Eccleſiam maledictis appetere tunc incoepiſſe, quum Synodalibus anathematiſmis percelli coeperunt. Earumdem phanatiſmum in Synodo etiam ſuperaſſe dicitur Apollonius libris, ut opinor evulgatis. Namque inſigne volumen adversùs Cataphrygas edidit, *tum falſas prophetias, quae ab illis circumferuntur verbatim expendens, tum vitas moreſque eorum qui haereſis illius auctores fuerunt, diſcutiens*. Ut aït Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 18. ubi nonnulla fragmenta adducit, concluditque. *Multa denique alia ſcribit, quibus pernicioſiſſimum illum errorem abundè, & luculentiſſimè confutavit*.

IX. Ab eadem Epheſina Eccleſia delecti ſunt, qui per Aſianas Provincias non tam decreta judiciumque Orbis apud Eccleſias promulgarent, quam pertinaces inter diſputandum convincerent. Quapropter Apollonius in libro adversùs Cataphrygas mox laudato, ſaepe eos ad diſputationem provocat: & in fragmento ad rem inter alia habet. *Quod ſi in hac parte confidunt innocentiae ſuae, ſiſtant ſe, & de his nobiſcum diſceptent: ut ſiquidem convicti fuerint, ſaltem impoſterum delinquere deſinant*. Qui verò per Aſiam miſſi ab Apollonio fuerant, crebris diſputationibus commonſtrarunt falſitatem, vanitatem, & hypocriſim cum Montani, tum mulierecularum. Hoc Apollonii opus, quum prae manibus haberet Tertullianus, ad novae ſectae defenſionem librum exaravit adversùs eumdem, teſte S. Hieronymo de Script. Eccleſ.

X. Acta illius Anonymi, ſeu Aſterii Urbani, necnon Zotici, qui miſſi ab Apollonio fuerant, prolixiùs recenſentur ab Euſebio in aſſervatis fragmentis lib. 5. Hiſt. cap. 16., ubi cum ſuſceptas per Aſiae Urbes peregrinationes, tum initas ab eiſdem diſputationes enarrat. Proſequitur etiam quaecumque Zoticus Comanenſis, & Julianus Apamenus Epiſcopi per Phrygiam egerunt, ut oſtenderent, Maximillam, & Priſcillam à malo Daemone eſſe obſeſſas, moribus inſanas, & corruptas, peccatis oneratas; & inepta, atque ad illudendum comparata vaticinia fundentes. Prodit ulteriùs, Zotici tentamenta vendicaturi, cum Daemoniacis illis conſueta Eccleſiae remedia, ni obſtitiſſent Monta-

ni-

Digitized by Google

niſtae. Quod pariter Anonymo proditum in laudato fragmento Recenſentur ibi quoque labores Miltiadis, qui ineptias vatum illorum inſigni lucubratione confutaverat, eâque tanti momenti, ut idem ille Anonymus in compendium eam redegerit. Zotici equidem, & Juliani Epiſcoporum, nec non Anonymi Preſbyteri delectus, & induſtria in evulgandis decretis, confutandiſque Montaniſtis, duo ſuggerit obſervanda; nimirum & eoſdem Pepuzam inviſiſſe, ſuiſque oculis perſpexiſſe deliria, & fabellas, vulgò à Montaniſtis de ſua Pepuza jactitatas: inſuper obiiſſe eos haec munera, jubente Apollonio Primate, & Synodo Epheſina. Neque enim per alienas Dioeceſes illis diſcurrere, & publicas diſputationes inire licuiſſet, citra Primatis, & Primatialis Synodi placitum, cui & Epiſcopi memorati, & Pepuza ſubjiciebantur.

XI. Hinc eodem referente Anonymo, exceptis relationibus Epiſcoporum, Apollonius Epheſinus inſectandum ſuſcepit ineptiſſimum illud Pepuzae commentum, à quo Montaniſtae dicti ſunt Pepuziani. In fragmento enim ſui operis, apud Euſebium lib. 5. cap. 18., loquens de Montano haec habet Apollonius. *Sed quiſnam eſt novus ille Doctor? Opera ejus, & doctrina ſatis apertè produnt. Hic eſt, qui nuptiarum diſſidia docuit, qui jejuniorum leges impoſuit; qui Pepuzam, & Tymium Phrygiae oppidula, Hieruſalem nominavit, ut cunctos undique homines eò convocaret.* Eò proceſſit haec ſuperſtitio, ut Pepuziani à reliquo Montaniſtarum coetu diſcriminari vellent, & quòd vicum illum, velut novam, beatamque Jeruſalem incolebant, perfectiores ceteris, ſanctioreſque haberi. Hanc ſtationem in hariolationibus ſuis Montanus paſſim, & mulierculae futuram longè maximam, & ſanctiſſimam praedixerant. Quod etiam ineptè deliranti Tertulliano excidit in lib. 3. adv. Marcionem. *Hanc & Ezechiel novit, & Apoſtolus Johannes vidit, & qui apud fidem noſtram eſt, & novae prophetiae ſermo teſtatur: ut etiam effigiem Civitatis ante repraeſentationem ejus conſpectui futurum ſignum praedicarit.* Atque hinc in ea ſecta profluxerunt tituli Spiritualium, & Animalium, ſeù Pſychichorum, quod Pepuziani ſpirituales, & mundi eſſe affectarent; ceteros autem

cum

cum Eccleſiae Catholicae aſſeclis velut immundos deteſtarentur.

XII. Antiochena pariter Synodus coacta ſub Serapione, qui circa annum 178. Maximino in Epiſcopatu Antiocheno ſucceſſerat, vulgatum in Encyclicis Orbis judicium publico ſcripto confirmavit. Serapion quum Encyclicas, atque acta adversùs Montanum ab Apollinari Hierapolitano ſuſcepiſſet, tum omnia rata firmaque habuit, tum Encyclicam & ipſe in Synodo exaravit, qua Tractui ſuo Antiocheno ſententiam in haereſim, atque in Haereſiarchas latam ſignificat. De ea ſcribit Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 19. *Apollinaris autem, ſcriptorum adverſum ſupradictam haereſim, mentionem facit Serapio, qui circa haec tempora Eccleſiae Antiochenae Epiſcopus poſt Maximinum eſſe dicitur*. Collegit haud dubiè Serapion Encyclicas hactenus in ea cauſſa vulgatas, & ad Epiſcopos ſubjacentes direxit cum Encyclica ſua, in qua nimirum recolit conſenſionem totius Fraternitatis, commenta Montaniſtarum deteſtantis. *Atque ut ſciatis* (ipſa ſunt Serapionis verba in fragmento apud Euſebium ibidem) *qualiter univerſa, quae in terris eſt, Fraternitas operationem illam ſimulatae fictionis, quae nova Prophetia nominatur, averſata atque abominata eſt, Beatiſſimi Patris Claudii Apollinaris, qui Hierapolitanae Urbis in Aſia Epiſcopus fuit, Literas ad vos miſi*. Annexae illi pariter erant ſubſcriptiones, quae in epiſtolis ultro, citroque tranſmiſſis legebantur. De his ſcribit Euſebius. *In eadem Serapionis epiſtola leguntur ſubſcriptiones variorum Epiſcoporum. Quorum unus ſubſcripſit in hunc modum: Aurelius Cyrenius Martyr opto vos benè valere. Alter autem hoc modo: Aelius Publius Julius Develti Coloniae Thraciae Epiſcopus: teſtor Deum, qui in Coelis eſt, quod Beatus Sotas, qui eſt Anchiali, Daemonium Priſcillae ejicere voluit, ſed hypocritae nunquam permiſerunt. Sed & aliorum complurium Epiſcoporum idem cum illis ſentientium ſubſcriptiones propriis ipſorum manibus appoſitae in illa, quam dixi, epiſtola leguntur*. Ex quibus non obſcurè conjicitur, in ea Serapionis Encyclica ceteras ab aliis in eadem cauſſa conſcriptas, in unum velut Tomum Encyclicum collectas, compactaſque fuiſſe. Quo facto Antiochenus Antiſtes oſtendere voluit judicium Orbis, quod in mirabili illa Literarum conſenſione ſatis deprehen-

de-

debatur. Sanè Encyclicas ubique fuiſſe diſperſas, conſtat vel ex epiſtolis Dionyſii Corinthiaci, quarum unam inter alias recenſens Euſebius lib. 4. Hiſt. cap. 23. ſcribit. *In epiſtola verò, quam ſcribit ad Eccleſiam Amaſtrianorum, & ceteras ſimul Eccleſias Ponti, ſe quidem à Bacchylide, & Elpiſto ad ſcribendum impulſum eſſe commemorat..... Multa quippe de nuptiis, & de caſtitate eis praecepit: & cunctos, qui à quovis lapſu, ſeu delicto, ſive etiam ab haeretica pravitate reſiliunt, benignè ſuſcipi jubet*. Iis gemina ſunt, quae in laudatis Encyclicis occurrunt ab Epiſcopis, & Synodis diſputata: ut propterea conjiciendi locus ſit, etiam Dionyſium hanc epiſtolam edidiſſe, quum Montaniſticae controverſiae efferverent.

XIII. Vulgatis tandem, & ubique ſuſceptis Encyclicis hactenus laudatis, judicium Orbis perfectum fuit, & Montaniſtae ab univerſa Eccleſia velut haeretici ſunt exiſtimati. Quod non tantum ex Serapione diſcimus, ſed & ex celebri illo Montaniſtarum oppugnatore Anonymo, cujus hocce fragmentum Euſebio debemus, lib. 5. cap. 16. *Quamobrem*, ſcribit Anonymus, *quotieſcumque Eccleſiae viri ad martyrium pro vera fide ſubeundum vocati, unà cum quibuſdam de Phrygum haereſi, qui Martyres dicuntur, caſu quodam coïerint, ſemper ab illis diſſentiunt, & communionem eorum ſollicitè vitantes, glorioſum martyrii exitum conſequuntur*. Exitum ſanè hunc nequaquam conſecuturi, ſi Montaniſtis communicaſſent. Pars enim ſolicitudinis, Martyrum Preſbyteris demandatae, erat ſollerter efficere, ut publica Catholicae Eccleſiae judicia veneranter ab illis haberentur. Atque haec ſeries eſt, hic cenſus Encyclicarum, quae in lucem prodiere adversùs Montani ſectam, pro qua diù pugnatum à viris etiam nequaquam improbis fuit, obſiſtentibus tamen ſacris Eccleſiae Tractatoribus, qui detecta aliquando hypocriſi, ſublatoque pietatis fuco, turpem, atque improbam errorum colluviem feliciter patefecerunt.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

De Epiſcopis, & Presbyteris Editi per Encyclicas judicii executoribus.

SYNOPSIS.

I. *A Conciliis, atque ab Eccleſiis praecipuis mitti aut Epiſcopi, aut Presbyteri conſueverunt.* II. *Irenaeus Presbyter Curſor ab Aſianis ad Gallicanos, ab iis ad Romanam Eccleſiam miſſus, ubi Blaſtum, & Florinum oppugnat.* III. *Apollonius Epheſinus Zoticum Comanenſem, & Julianum Apamenum adversùs Montaniſtas miſit.* IV. *Miſit & Aſterium Urbanum Presbyterum.* V. *Sintne hujus Aſterii fragmenta diſputationum Anonymi ab Euſebio deſcripta.* VI. *Quae eſſent Epiſcoporum munera, & quae Presbyterorum miſſorum.* VII. *Aſterii diſputatio Ancyrae cum Montaniſtis habita.* VIII. *Alexander Pont. Sabinianum Presb., ut contra Heracleonem diſputaret, in Siciliam miſit.*

I. QUae in Oecumenicis Conciliis obtinuit conſuetudo, ut ſi ea in Oriente celebrabantur, duo Epiſcopi ab Occidentalium Concilio eligerentur, qui ad Generalem Synodum proficiſcentes, Eccleſiarum ampliſſimi hujus Tractus ſententiam, fidem, conſenſionemque atteſtarentur: eadem à Conciliis Nationalibus, & Patriarchalibus accuratè obſervata fuit, quoties inter contentiones partium decretum aliquod edebatur, quod communi Eccleſiarum calculo foret confirmandum. Saepe etiam mittebatur Presbyter, ſed qui munere, officioque Doctoris inſigniretur, ut pro ea, quae vulganda erat, ſententia, ubi opus eſſet, pariter diſputando certaret, dubitationeſque ammoveret. In Conciliis, & ab Eccleſiis praecipuis legatos Presbyteros quandoque fuiſſe delectos novimus. Iccirco Ravennatenſis Eccleſia magnae olim dignitatis, & Urbs ab Orientalibus Exarchis, qui Italiam regebant, in ſedem electa, ad Synodum VI. Legatum direxit Theodorum Presbyterum. Itaque Synodus Epheſina ſub Apollo-

Apollonio ejus Urbis Epiſcopo, & Aſianae Dioeceſeos Primate celebrata, ſelegit duos Epiſcopos, & Preſbyterum unum, qui ſimul circumeüntes publicarent Encyclicas, ſeu decreta edita adversùs Montaniſtas. Quod exemplum cum prae ceteris illuſtre ſit, & iis, quae alibi diſputaturi ſumus, inferre valeat, paucis hoc loco erit enarrandum.

II. Ac Irenaeum quidem ab Aſianis Eccleſiis in Presbyterum Dominicum Curſorem aſſumtum fuiſſe, quatenus denunciativam Occidentalibus afferret, annotatum in ſuperioribus fuit. Is verò poſtquam officio ſuo perfunctus apud Gallicanas Eccleſias, redire ad propria parabat, unà cum Encyclica Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis, aliiſque cum epiſtolis Martyrum, à Gallicanis Romam miſſus eſt ad Pontificem Eleutherum. Ex voto ceſſerunt omnia. Quin etiam Irenaeo tradita ſunt à Pontifice decreta, quibus aſſertores Montaniſticae perfidiae anathemate petebantur. Eadem occaſione decertavit Irenaeus adversùs Blaſtum & Florinum, qui poſt Encyclicam à Sotere vulgatam in novae Prophetiae Montaniſticae condemnationem, abrepti pertinacia, Romanam Eccleſiam periculoſo diſſidio, atque inteſtinis contentionibus, factionibuſque vexabant. Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 14., enarratis Montaniſtarum primis tumultibus, de ſupradicto Romano ſchiſmate haec ſubjungit. *Alii autem in Urbe Roma viguerunt, quorum dux fuit Florinus quidam Presbyter ab Eccleſiae gradu dejectus, & Blaſtus ſimili errore implicatus. Qui quidem quamplurimos ab Eccleſiae gremio abſtrahentes, in ſuam ſententiam perduxerunt: cum uterque ſeorſum novam doctrinam adversùs fidei veritatem invehere laborarent.* Superiùs quae novae doctrinae nomine intelligebatur, eam eſſe explicuerat, quam Montaniſtae invexerant. Certè Irenaeum adversùs utrumque ſcripta edidiſſe, teſtatur Euſebius, qui inter Catholicos Montaniſtarum oppugnatores, etiam Irenaeum recenſet cap. 20. *Adversùs autem illos, qui ſinceram Eccleſiae legem adulterabant, Irenaeus varias conſcripſit epiſtolas. Alteram ad Blaſtum, quam ſcripſit de ſchiſmate.* Alteram quoque ejuſdem ad Florinum memorat Hiſtoricus, & fragmentum adducit. Illud indubitanter conſtat, Irenaeum

nacum delectum fuiſſe ab Aſiaticis primùm, dein à Gallicanis Eccleſiis ad perferendas Encyclicas, eundemq; Romae fuiſſe. Ibi verò cum Montaniſtis decertaſſe, non obſcurè colligas ex ipſiuſmet lib. 3. adversùs Haereſes cap. 11., ubi intento velut digito haereſim, moreſque illorum hominum commonſtrat. *Infelices verò, qui Pſeudoprophetae quidem eſſe volunt, Prophetiae verò gratiam repellunt ab Eccleſia: ſimilia patientes his qui propter eos qui in hypocriſi veniunt, etiam à Fratrum communione ſe abſtinent.* Quod Montaniſtas, puros ſemet jactitantes, factitaſſe, & Romae à Schiſmaticis Sectae adhaerentibus fuiſſe aucupatum, vero quamſimillimum eſt.

III. Ab Apollonio Epheſino fortiter exagitatos, ac tandem ſuperatos fuiſſe Cataphrygas, cum Autore Praedeſtinati annotavimus. Euſebius equidem ſcripta prae ceteris Epheſini hujus Antiſtitis fusè commendat. Namque haereſim in ſua Dioeceſi obortam adultamque vehementiùs vexare debuit, & pro viribus eradicare. Quam in illo fortitudinem animi, & fidei zelum facilè admirabitur qui Scriptorum ejus fragmenta nobis aſſervata percurrat. Ad ſua itaque, & Synodi Epheſinae decreta vulganda aſſumſit Julianum Apamenum, & Zoticum Comanenſem Epiſcopos, celeberrimarum ſcilicet Aſiae Urbium Antiſtites. Quae enim eſſet Apamea, norunt ſtudioſi omnes: de Comana verò Urbe vel unus Strabo Geographus fidem facere poteſt, quum ſcribit lib. 12. pag. 559. *Abundant Comana hominibus: eſtque hoc Emporium ex Armenia venientibus praeclarum . . . . . . Nam Urbs haec quaſi parva quaedam eſt Corinthus.* Proſequitur Strabo ſitum Urbis deſcribere ad Iris fluminis ripas, & commoda ad omne commeatuum genus. Igitur Epiſcopi illi Pepuzam imprimis adierunt, ut Anonymus teſtatur in fragmento apud Euſebium lib. 5. cap. 16. *Refert praeterea in eodem libro, Sanctiſſimos Epiſcopos Spiritum illum, qui in Maximilla reſidebat, confutare conatos quidem fuiſſe, ſed ab aliis, qui ſpiritui favebant, prohibitos.* Et mox. *Viros probos, & Epiſcopali dignitate praeditos, Zoticum ſcilicet Comanenſem, & Julianum Apamenum: Quibus Themiſon, aliique os obturantes, mendacem illum, & vulgi ſedu-*

Digitized by Google

ſeductorem ſpiritum ab illis coargui vetuerunt. Ejuſdem facti teſtimonium reddidit ipſe Apollonius in opere ſuo, quod poſt illorum Epheſo diſceſſum vulgavit, apud Euſebium ibid. cap. 18. *Addit praeterea, Zoticum illum, cujus à priore ſcriptore facta eſt mentio, cum jam Maximilla Pepuzis ſe prophetare ſimularet, ſupervenientem Daemonem, quo illa agitabatur, coarguere inſtituiſſe: verùm ab aliis, qui idem cum illa ſentiebant, eſſe cohibitum*. Quum verò paria ſcribat cum Anonymo Apollonius Epheſinus, luculenter ſignificat, à ſe directos fuiſſe ambos Epiſcopos illos, & hos miſſionis ſuae acta ad Apollonium retuliſſe, qui proinde Sectae Montaniſticae mores, primipilorumque impietatem ſingulari lucubratione complexus eſt. Summa equidem erat hujuſcemodi miſſorum autoritas, atque ab eorumdem relationibus ulteriora controverſiae acta pendebant. Quapropter quum Juſtinianus Junior apud Sergium Pontificem ageret, ut qui editi fuerant, Trullani canones confirmarentur, abnuerat autem omnino Pontifex, *Imperator*, verba ſunt Anaſtaſii in Sergio, *Sergium Magiſtrianum in ſpretum praenominati Pontificis Romam mittens, Johannem Deo amabilem Portuenſem Epiſcopum, ſeu Bonifacium Conſiliarium Apoſtolicae Sedis ſecum in Regiam abſtulit Urbem*. Nimirum Johannes Portuenſis legatus Occidentalium in VI. Synodo ſederat, eoſdemque autores fuiſſe Pontifici, ne vulgatis canonibus ſubſcriberet, non ignarus erat Imperator. Tantus in hujuſmodi miſſis fidei vigor, tam ſingularis doctrinae excellentia, & pro veteri diſciplina zelus deprehendebatur. Porrò ea conſuetudo ab ipſis Apoſtolis exordium ſumſiſſe videtur. Nam qui Judaïzantium tumultus apud Synodum Hieroſolymitanam retulerant, iidem, ut alibi obſervatum, Paulus, & Barnabas ſubinde delecti ſunt, qui & decreta Apoſtolica in Provincias vulgarent, & rebelles, ac contumaces diſputatione convincerent.

IV. Laudatur quoque ab Euſebio ibid. cap. 16. Urbanus Aſterius Presbyter, qui per regiones Aſiae diſcurrens, monendo, erudiendo, diſputandoque Montaniſtas generosè compreſſit. Recondita ſcilicet Sectae arcana rimatus & aſſecutus Aſterius,

fraudes aperuit omnes, & hypocriſim denudavit tribus Libris adversùs ſectatores illius impietatis conſcriptis, quorum fragmentum recitat ibid. Euſebius. Is autem obſervat, alios atque alios eodem zelo veritatis abreptos calamum in Cataphrygas exercuiſſe. *Et adversùs Cataphrygarum quidem haereſim propugnator veritatis Deus, tum Apollinarem Hierapolitanum ...... tum alios cum illo quamplures doctrina, & eloquentia praeſtantes, tanquam validum, & invictum telum excitavit.* Plurimi ſcilicet à memoratis Conciliis ultro citroque miſſitati, perfidiam Montaniſtarum detegere, ſimul ac refellere ſtuduerunt, ingenti Catholicorum, & purioris Religionis ac fidei emolumento.

V. Fragmenta verò, quae cap. 16. recitat Euſebius, cui Autori ſint adjudicanda, planè non conſtat, nec definire cujuſnam ne ſint, Anonymi, an Aſterii Urbani, expeditum uſquequaque eſt. H. Valeſius Anonymum Euſebianum facit eundem atque Aſterium Urbanum. Siquìdem illius opera in annotationibus ad cit. caput recenſens, non ſecùs ac libros tres adversùs Cataphrygas, cetera etiam Aſterio tribuit. Contra verò Baluzius in Nova Collect. Concil. refellit argumenta Valeſii, & Anonymum ab Aſterio diverſum facit. Ab utroque diſſentit Doduvellus, & cum Anonymo, tum Aſterio opus abjudicat, opinaturque, illud elucubratum fuiſſe à Rhodone, cujus meminit S. Hieronymus de Script. Eccl. cap. 37., & quem inſigne opus adversùs Phrygas conſcripſiſſe teſtatur. Hujus ſententiae momenta propoſuit Doduvellus in notis ad Irenaeum Diſſertat. IV. Noſtra haud intereſt Virorum clariſſimorum litem dirimere, & quis verus fuit Autor, dijudicare. Sufficiat, ex omnium ſententia conſtare, quod aevo eodem vixerit, quum in Eccleſiis recitabantur Encyclicae; zeloque, ac doctrina adversùs Montaniſtas contenderit, ut commune judicium congrua fide, & conſpirante ſententia acceptaretur.

VI. Atque in hac Epiſcoporum ſimul, & Presbyterorum miſſione neceſſarium utrumque Eccleſiaſticum miniſterium elucet. Epiſcopos enim quod attinet, legatione fungebantur; illi velut Judices, atque ordinaria poteſtate uſi, duces ipſos haereſeos acceſſe-

cerſebant veritati ſubjugandos. Quod à Zotico, & Juliano Epiſcopis actum eſt cum Maximilla, quae quidem autoritati nequaquam obſiſtens, coram illis adfuit; etiamſi Principum Sectae audacia, & temeritate contigerit, ut ad effectum minimè perducerentur conſilia Epiſcoporum. Ea verò Presbyteris ſolicitudo committebatur, ut Encyclicas intimarent Eccleſiis, pertinaces, ſi qui erant, diſputando ad meliorem frugem adducerent, atque acta univerſa ad Epiſcopos emendanda & dijudicanda perferrent.

VII. De Aſterii Urbani diſputatione potiſſimum Ancyrae habita, loquitur ipſemet apud Euſebium ibid. cap. 16. *Cum eſſem Ancyrae in Galatia, & Eccleſiam illius loci nova illa, non ut ipſi dicunt, Prophetia, ſed, ut poſtea demonſtrabitur, Pſeudoprophetia, turbatam deprehendiſſem, quantum facere potui, Deo juvante, tum in reliquis omnibus, quae ab illis proponebantur, ſingillatim in Eccleſia diſſerui pluribus diebus: adeout Eccleſia quidem incredibili gaudio affecta, & in veritate fidei magnopere confirmata ſit: adverſarii verò tunc quidem fugati, & Dei hoſtes non mediocri dolore perculſi fuerint.* Imò intantum apud populares Ancyranos diſputatio Aſterii potuit, ut ipſe idem è veſtigio ſubjungat. *Cum verò ejus loci Presbyteri poſtularent, ut eorum quae contra veritatis adverſarios dicta fuerant, commentarium ipſis ſcriptum relinquerem: adſtante etiam Compresbytero noſtro Zotico Otreno, id quidem minimè praeſtiti; ſed ſimul ac hùc rediiſſem, ſcripturum me omnia, & ad ipſos quamprimum miſſurum, Deo favente, promiſi.* Hinc & illud intelligimus, Zoticum Otrenum Presbyterum Aſterio Urbano fuiſſe aſſociatum, velut rerum peragendarum adjutorem, & comitem, quique ſimul cum Aſterio decreta Concilii Epheſini ad executionem mandari curaverit. Aſſeverat non multò poſt Aſterius, ſe Libros dirigere Marcello Abericio, qui, ut obiter advertamus, ab altero Abericio Hierapolitano ſecernendus eſt, Papiae olim diſcipulo, & ſectatore. Qua de re prolixè agit Haloïxius,

VIII. Monumenta ſunt penè innumera ejus conſuetudinis, qua ad refellenda novaturientium hominum tentamenta Docto-

res Presbyteri mittebantur. Idque non immeritò. Siquidem major ſaepè doctrina, & ferventior zelus è re publica erat, quàm in conſueto Dominico Curſore inveniretur. Hinc, ut alia mittamus, quum Epiſcopi Siciliae retuliſſent ad Alexandrum Romanum Pontificem impia dogmata Heracleonis, *tunc S. Alexander*, inquit Autor Praedeſtinati num. 16., *ad ſingula quaeque capita hydri ſingulos gladios Dei Verbi de vagina Divinae Legis ejiciens, Librum contra Heracleonem ordinans, ferventiſſimum in ingenio Sabinianum Presbyterum deſtinavit; qui & ſcriptis Epiſcopi, & adſertione ſua ità eum confutaret, ut nocte media navis praeſidio fugeret; ut ultra ubi deveniſſet, penitùs nullus ſciret.* Id genus exempla commemorabimus in ſequentibus plurima, quibus in aprico erit Eccleſiaſtica ſolicitudo ſive in decretis communibus promovendis, ſive in Novatorum zizaniis evellendis.

CAPUT V.

DE CONTROVERSIA DIEI PASCHALIS, ATQUE EDITIS PRO ILLA ENCYCLICIS.

NOndum praeterfluxerat ſecundum Chriſtianum Seculum, nec ſopitae penitus erant Montaniſticae controverſiae, quum Aſiana Eccleſia novis tumultibus, novoque ſchiſmate divexari coepit, aliis aliud Paſchatis tempus obſervandum eſſe contendentibus. Res primùm ad diſciplinam ſpectare viſa eſt; prorupit ſubinde in graviſſimum ſchiſma, & fermè in haereſim, cui refellendae judicium Orbis fuit poſtulandum. Ampliſſima quidem diſputationum ſeges Eruditorum complurium ingenia exercuit, non ideò tamen ob rei difficultates prorſus exhauſta fuit. Noſtra quod attinet, ſtatum imprimis, & originem controverſiae, tum editas hinc & inde Encyclicas Epiſcoporum, & partium momenta expediemus.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

De primis controverſiae Paſchalis Autoribus, & Promotoribus.

SYNOPSIS.

I. *Paſcha Judaïcum in Eccleſiam à Judaïzantibus invectum, magnoque in ceteros Chriſtianos aſtu propugnatum.* II. *Novus, ac diverſus Paſchalis Cyclus à Montaniſtis etiam invectus.* III. *Polycarpi ſuper hac re diſſidium cum Aniceto Pontifice.* IV. *Duplex hujus controverſiae periodus ſecernenda eſt, in quarum altera pax ſervatur, in altera ſchiſma invehitur.* V. *Sub Eleutheri Pontificatu duce Blaſto Montaniſta, erupit Quartodecimanorum factio.* VI. *Eidem Aſianae pleraeque Eccleſiae adhaeſerunt.* VII. *Epheſinae Sedis amplitudo, & autoritas.* VIII. *Celebritas diei Paſchalis non ad divinas Traditiones referenda, & cujuſmodi illae ſint.* IX. *Quae ſint Traditiones Eccleſiaſticae.* X. *Qua ratione ab invicem ſint ſecernendae.*

I. QUod penes Apoſtolos ſalubre temperamentum fuit Eccleſiaſticae Oeconomiae, atque imprimis tempeſtivum allaturis non ignobilem Synagogae exitum, illud Judaeis largiri, ut Moſaïcorum Legalium uſum ſectari poſſent ad tempus, & quandiù Chriſtiana ſacra paullò latiùs radices egiſſent: id propter abuſum, & invaleſcentes mores evaſit uſque adeò intempeſtivum, ut integro ſeptem Seculorum decurſu regiones plurimas ab Eccleſiae unitate diſtraxerit, quòd quae primitùs tolerantiâ nitebantur, in regulae, & dogmatis cenſum adſciſcerentur. Judaïzantes, quibus parentum praejudicia inhaeſerant, ad neceſſitatem legalium unà cum Evangelio demonſtrandam, id ab Apoſtolis primùm obtinuerunt reipſa ad tempus, ut ſollennem Paſchatis diem more ſuo, & Cyclo Judaïco, die nimirum XIV. Lunae poſt vernale Aequinoctium, in quamcumque diem concurreret, ritu Majorum celebrare poſ-

ſent. Quod igitur ſemel datum eſt durioris cervicis hominibus, id pro lege univerſali totius Chriſtianae Eccleſiae à nonnullis fuit praetenſum. Nam quum Judaei poſt Hieroſolymitanum excidium è Palaeſtina profugi, Aſianas Urbes, celeberrima ſcilicet illorum temporum Emporia inſederint plerique, ac mercimoniis ditiores facti, apud Populos illarum Urbium non ultimum prae multitudine locum tenerent; percommodè contigit, ut vetera ſua inſtituta non tam retinerent, quàm aliis obtruderent. Hinc quotquot ferè in ſinceris Martyrum actis referuntur clamores populorum, & tumultus contra nomen Chriſtianum, Judaeis ſuadentibus, & concitantibus exorti ſunt. Quod, ut cetera hoc loco non immiſceamus, ſatis edocet laudata ſaepiùs Smyrnenſis Encyclica, quae Judaeos tumultuum autores repraeſentat. Haec illorum adversùs Chriſtianos impotentia anno 436. adhuc perdurabat. Scribit enim Johannes Antiochenus Epiſcopus in epiſtola ad Proclum Antiſtitem CPnum, in Synodico Caſſinenſi cap. 197. *Ceſſent igitur, quaeſo, haec de cetero uſque in finem per te, & ſapientiam tuam, & ſudores, & labores ſingulorum dierum, qui ſemper Eccleſiis proſunt, pro quibus conſtituat te Nobis Deus Eccleſiae propugnatorem . . . . . . ut paullum ex his improviſis malis reſpirantes, quae propter maledictum Neſtorium Mundus expertus eſt, adversùs Gentiles Phoeniciae poſſimus obſiſtere, & Palaeſtinae, & Arabiae, & adversùm cuncta Judaïca, & maximè quae ſunt Laodiceae. Subito enim impii Judaei Archidiaconum, mirabilem virum, in Theatrum deducentes puniverunt.* Praefractam Judaïzantium praeſertim Aſianorum audaciam, ut alia mittamus, ſat luculenter commonſtrant B. Pauli Epiſtolae ad Galatas, ad Coloſſenſes, atque adeò ad Laodicenos ipſos, quos propter exaeſtuantem Judaïſmi zelum non uno in loco coärguit. Judaïcum hoc ingenium, quod olim numero, divitiiſque pollentes Judaei per Urbes Aſiae diſſeminaverant, radicitùs ſubinde populis ad fidem converſis inhaeſit, eoſque ad jurgia primùm, dein ad ſchiſmata, atque ad haereſim pronos effecit. Imò, quod magis admirêre, circa medium ſeculi hujus refert Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, aliquos ſua aetate fuiſſe

fuiſſe inter Chriſtianos, qui faterentur Judaeos converſos & Legalia cum Evangelio miſcentes, ſalutem conſequi poſſe: tametſi contrarium opinarentur alii multi, qui neque tecto, neque convictu ſociari vellent aſſertoribus Judaïci cultus, ipſo annotante Juſtino.

II. Ejus rei argumentum eſt ipſa factio Montaniſtica, quae in Phrygia,& ad loca Hierapolitanae,& Coloſſenſis Urbium proxima natales habuit. Paulus enim in Epiſtola ad Coloſſenſes ſatis edocet, in Regionibus illis inſediſſe Judaïzantes: & ad ſua uſque tempora ibidem perduraſſe, teſtantur Laodicena Synodus, & in commentariis ad eandem Pauli epiſtolam Theodoritus. Montaniſtae igitur celebrationem Paſchalis diei abs recepto Eccleſiarum more diſtrahentes, novo Cyclo adinvento, novos etiam faſtos adjunxerunt, teſte Epiphanio, qui quum haer. 50. num. 1. recenſuiſſet varias factiones, & ſectas, in quas Montani aſſeclae abierunt, haec de Pepuzianis ſubjungit. *Quippe ſemel quotannis unum Paſchatis diem praefracte celebrant.* Aperit etiam Epiphanius, unde illi novum Cyclum ſuum hauſerint, & his verbis proſequitur. *Sunt inter eos nonnulli, qui unam, eandemque diem obſervant, & una eademque jejunant, ac myſteriis operantur. Nam ex Actis Pilati accuratam ſe hujus inſtituti rationem didiciſſe gloriantur, in quibus ſcriptum eſt, VIII. Kal. Aprilis Salvatorem eſſe paſſum, in quamcumque demum Lunae XIV. dies incurrerit. At qui in Cappadocia degunt, eandem diem, quae eſt XIII. Kal. Aprilis celebrant.* Ab hoc commento, & per Aſianam Diaeceſim inducto Cyclo, factum eſt, ut Quartodecimani in ſcenam prodirent, & diù Eccleſiam vexarent. Audiendus Epiphanius loco cit. *Ex his duabus inter ſe commiſtis Phrygum, & Quintillianorum, ſeu Priſcillanorum ſectis nova quaedam conflata eſt, & in Orbem introducta Quartodecimanorum haereſis. Qui ceteris in rebus cum Eccleſia conſentientes, hoc ipſo ab omnibus aberrant, non illius inſtitutis, doctrinaeque conſentanea quaedam amplexi ſunt.* Epiphanius,in Cyclo illo Pepuzianorum exponendo,multa congeſſit, diſputavitque, adeo tamen implicata, & perplexa, ut fateantur nonnulli Chronologi, incaſſum laboraſſe ea in re Epiphanium. De eodem Cyclo ſcribit Sozomenus lib. 7. Hiſt. cap. 18.

Mon-

Montaniſtae, quos Pepuzitas, & Phrygas nominant, peregrinam quandam methodum commenti, juxta illam Paſcha celebrant. De Cyclo autem verba faciens, proſequitur ibid. *A die IX. Kal. Aprilis, tanquam à creatione Solis, ac primi menſis exordio computant XIV. diem, cujus in ſacris Libris ſit mentio, & hunc diem eſſe dicunt octavum Idus Aprilis. Quo quidem Paſcha perpetuò celebrant, ſi in eum inciderit Reſurrectionis dies; ſin minùs ſequenti die Dominico feſtivitatem agunt*. Tertullianus quoque in libro de Jejunio, quem, quum Montaniſta jam eſſet, conſcripſit, cap. 14. aït. *Cur Paſcha celebramus annuo circulo, menſe primo? Cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus?* Loquatur ne Tertullianus de Cyclo Pepuziano, & de primo menſe incipiente ſemper à IX. Kal. Aprilis; an vero juxta mores Eccleſiae, aliis diſceptandum relinquimus. Certè ad Montaniſtas intendit mentem, quorum in eo Libro patrocinium agit, atque adeo de anno fixo Solari, non de Lunari intelligit. Sed de his conſule viros doctiſſimos, qui de anno Solari variarum Gentium, editis lucubrationibus, diſputarunt.

III. Ante ortam Montani ſectam, Eccleſia Smyrnenſis Judaïcum ritum circa Paſchatis celebrationem ſequebatur. Hinc nata eſt pacifica illa, & nunquam non habenda ante oculos diſſenſio B. Polycarpi cum Aniceto, ad quem ille hac de cauſſa peregrinatus fuerat. Commemorat illam Irenaeus in Epiſtola ad Victorem Romanum Pontificem hiſce verbis, apud Euſebium lib. 5. cap. 24. *Cum Beatiſſimus Polycarpus Aniceti temporibus Romam veniſſet, atque inter illos de quibuſdam aliis rebus modica eſſet controverſia, ſtatim mutuo pacis oſculo ſe complexi ſunt; de hoc capite magnopere inter ſe contendentes. Neque enim Anicetus Polycarpo perſuadere unquam poterat, ut obſervare deſineret. quippe qui cum Johanne Domini noſtri diſcipulo, & cum reliquis Apoſtolis, quibuſcum familiariter vixerat, eum morem perpetuò obſervaſſet. Neque item Polycarpus Aniceto perſuadere conatus eſt, ut obſervaret, cum Anicetus eorum, qui ante ſe fuerunt, Presbyterorum morem ſibi retinendum eſſe diceret. Qui cum ità ſe haberent, communicarunt ſibi invicem. Et Anicetus in Eccleſia conſecrandi munus Polycarpo honoris cauſſa conceſſit: tandemque cum pace à*

ſe

ſe invicem diſceſſerunt : tum iis, qui obſervabant , quam illis , qui minimè obſervabant, pacem communionemque totius Eccleſiae retinentibus. Inter alias Eccleſiaſticas cauſſas, propter quas Polycarpus Romanum iter ſuſcepit, & ab Aniceto diſſenſit, praecipuè illa fuit, ut certus quidam dies ſollennitatis Paſchalis communi conſenſu ſtabiliretur, apud omnes obſervandus. Quemadmodum ſcribit etiam S. Hieronymus de Scriptor. Eccleſiaſt. cap. 28. *Hic propter quaſdam ſuper die Paſchatis quaeſtiones ſub Imperatore Antonino Pio, Eccleſiam in Urbe regente Aniceto, Romam venit.*

IV. Hinc ejus, de qua diſſerimus, controverſiae periodus duplex eſt diſtinguenda. Prima ſub Aniceto, quando, quae melior diſciplina eſſet, cum Polycarpo diſceptatum. Namque ad illa uſque tempora perdurare Oeconomicum medium ſub Apoſtolis invectum, opinatus Polycarpus, ipſo non abnuente Aniceto. Periodus autem altera exordium cum factione Montaniſtica habuit, quando Pſeudoprophetae illi utramque receptam à Catholicis formam celebrandi Paſchatis, ſimul cum ceteris majorum inſtitutis convicio appetentes, & maledictis, ut loquebatur Aſterius Urbanus apud Euſebium lib. 5. cap. 16., id effecerunt, ut ab ea Oeconomia, quae tandem intempeſtiva erat, Eleutherus, & Victor ſuperſedendum eſſe, decernerent.

V. Porrò haec ſecunda Periodus in ſchiſmate Romanae Eccleſiae, quod Blaſtus invexit, Catholicos vehementiùs perturbavit. Unde Pontificibus Eleuthero, & Victori occaſio data eſt, exagitandi aſſertores Judaïci Paſchatis. Tertullianus enim libro de Praeſcriptionibus (cui nonnulla adinſtar appendicis, à poſteriore manu inſerta fuiſſe, non diffitemur) ad rem ſcribit. *Et praeterea his omnibus etiam Blaſtus accedens, qui latenter Judaïſmum vult introducere: Paſcha enim dicit non latenter cuſtodiendum eſſe, niſi ſecundum legem Moyſis, XIV. menſis. Quis autem neſciat, quoniam Evangelica gratia evacuatur, ſi ad Legem Chriſtum redigit?* Latens ſcopus, quem ſibi praeſtituerant Quartodecimani in obſervantia Paſchatis, quam promovebant, ille dubio procul erat, ut ſimul Legalium neceſſitatem unà cum Evangelio ſtabilirent. Sed Author ſanè certus Pacianus, dum Novatianos oppugnat, & objecta Sym-

pro-

proniani refellit, etiam obſervat, rigorem erga Lapſos non à Novatiano invectum fuiſſe, ſed jam pridem a Montano, quem Eccleſia per Encyclicas damnaverat; quique Judaïſmum in Judaïci Paſchatis obſervatione introducere molitus fuerat. Recenſet autem inter primipilos factionis Montaniſticae etiam Blaſtum, & aït. *Scriptis tuis poenitentiam uſquequaque damnantibus ſecundum Phrygas te aſſenſiſſe pronuncias. Verùm his ipſis, Domine clariſſime, tam multiplex, & diverſus eſt error, ut non hoc unum in illis, quod contra poenitentiam ſapiunt, ſed quaſi quaedam capita lernica caedenda ſint. Et primùm hi pluribus nituntur authoribus. Nam puto, & Graecus Blaſtus ipſorum eſt; Theodotus quoque, & Praxeas veſtros aliquando docuere: Ipſi illi Phryges nobiliores, qui ſe animatos mentiuntur à Leucio, ſe inſtitutos à Proculo gloriantur, Montanum, & Maximillam, & Priſcillam ſecuti, quam multiplices controverſias excitarunt de Paſchali die, de Paracleto, de Apoſtolis, de Prophetis, multaque alia, ſicut & de Catholico nomine, de venia poenitentiae?* Blaſtus igitur Montaniſta, dum Paſchalem Judaïcum diem obſervari ſatagebat, legalia conjungere Evangelio latenter meditabatur.

VI. Montaniſtae quoties invecti Cycli, atque immutati diei Paſchalis coärguebantur, appellabant ad conſuetudinem Aſianarum Eccleſiarum, quaé Paſcha eodem cum Judacis die celebrabant. Imò etiam Aſianos ipſos, ut aſſolet, interdum ob eam rem culpabant: ex quo per Aſiae Urbes, & Eccleſias, quas hactenus Montaniſtae in varias ſententias diſtraxerant, nova emerſit contentio, nova jurgia, & ſchiſmata. De quibus prolixè Euſebius libro cit., & poſt enarratas Montaniſtarum factiones, Eccleſiarumque diſſidia, ſubjungit mox cap. 23. *Iiſdem temporibus gravi controverſia exorta, eo quod omnes per Aſiam Eccleſiae vetuſta quadam traditione nixae, quartadecima Luna ſalutaris Paſchae feſtum diem celebrandum eſſe cenſebant, quo die praeſcriptum erat Judaeis, ut agnum immolarent: eaque omninò Luna, in quemcumque demum diem ſeptimanae incidiſſet, finem jejuniis imponendum eſſe ſtatuebant: cum tamen reliquae totius Orbis Eccleſiae alio more uterentur, qui ex Apoſtolorum traditione profectus, etiamnum ſervatur, ut ſcilicet non alius, quàm Reſurrectionis Dominicae die, jejunia ſolvi liceat,*

Aſiani

Aſiani pertinaciùs contendebant, fas nequaquam eſſe ab ea conſuetudine recedere; & à ſimplicis diſciplinae exterioris obſervatione ad ſchiſma gradum facientes, atque ad haereſim proniores facti, ſectam Quartodecimanorum conflarunt.

VII. Polycrates Epheſinus Epiſcopus erat in Oriente, poſt Aegypti Primatem, omnibus ſpectabilior, honore Sedis, quam S. Johannes Evangeliſta tenuerat. Ex quo manavit, ut Canones Nicaeni Arabici hunc ordinem inter Patriarchas conſtituant, ſcilicet Romanum, Alexandrinum, Epheſinum, & Antiochenum. Quod in praefatione Iſidori ad Concilium Nicaenum legimus. Certè Primatum nullus, poſt Romanum, & Aegyptium, majorem Epiſcoporum numerum ſub ſe tunc habuit, ac Epheſinus habebat. Iccirco Epheſinus Primas cum aliis ſaepe in contentionem venit, ut in hac de ſollennitate Paſchali à Polycrate factum. Et ſequiori aetate Memnon in Synodo Epheſina Generali quadraginta ſuffraganeos habuit, quemadmodum memoriae prodidit Johannes Antiochenus in epiſt. ad Rufum Teſſalonicenſem. Totidem ferè habuit Stephanus Epheſinus in Synodo Latrocinali. Idque in cauſſa fuit, cur Patres Chalcedonenſes, Concilio ad exitum jam perducto, confirmationem à Leone Pontifice poſtularent imprimis ſanciti Canonis, quo Epheſinorum Exarchorum ambitum, vel ipſi Apoſtolicae Sedi interdum inſultantium, juſtiſſima animadverſione compreſſerant, eoſque Patriarchae CPno inſuper ſubjectos fecerant. Scribunt enim Tom. II. Concil. pag. 658. *Non tam Sedi CPnae aliquid praeſtantes, quàm Metropolitanis Urbibus quietem congruam providentes: eo quod frequenter Epiſcopis vitam finientibus, multae turbae naſcuntur, Clericis, ac Populis, qui per eaſdem ſunt civitates, abſque Rectore remanentibus, & Eccleſiaſticum ordinem confundentibus. Quod nec veſtram latuit ſanctitatem: maximè propter Epheſios, unde quidam vobis ſaepius importuni fuerunt.*

VIII. Porrò controverſia de Paſchalis diei celebratione ad Eccleſiaſticas conſuetudines pertinebat, non autem ad fidei dogmata, ut aliquibus videbatur. Inter alia verò diſcrimina, quibus ſacrae obſervantiae, & conſuetudines à Traditionibus ſecernuntur, unum eſt, quod illae mutabiles ſint, hae immutabiles. De quibus

bus praeclarè, ut ſolet, cap. 27. de Spiritu Sancto ad Amphilochium ediſſerit Baſilius Magnus. Quaecumque immutabilia ſunt, ad divina jura pertinere cenſentur: ex eorum ſcilicet genere, quae à Chriſto Apoſtolis, & ab Apoſtolis Eccleſiae tradita, atque ab eadem conſtanter religioſèque aſſervata, conſtat ita, ut ſe habent, ab ipſomet Chriſto Domino emanaſſe, nec hominum decretis judiciiſque eſſe permiſſa. Cujuſmodi ea ſunt omnia, quae ad fidem Chriſtianam, & ad Sacramentorum ſubſtantiam pertinere noſcuntur. Rei exempla habes apud eundem Baſilium, qui id genus Traditiones parem cum divinis Scripturis vim autoritatemque habere demonſtrat, inquiens. *Eorum dogmatum, quae in Eccleſia ſervantur, quaedam habemus ex doctrina ſcripto tradita: quaedam rurſus ex Apoſtolorum Traditione communicata nobis in myſterio, hoc eſt, tanquam arcana recepimus. Quae ambo vim eandem habent ad pietatem.* Ita baptizandorum parvulorum *autoritatem univerſae Eccleſiae procul dubio per Dominum & Apoſtolos traditam eſſe*, affirmat S. Auguſtinus in lib. de peccat. merit. & remiſſ. cap, 26. Et de alia quadam Eccleſiaſtica conſuetudine, & immutabili obſervantia diſputans adversùs Donatiſtas de Bapt. lib. 2. cap. 7. ſcribit. *Hanc ipſam conſuetudinem, credo, ex Apoſtolica traditione venientem; ſicut multa non inveniuntur in literis eorum, neque in Conciliis Poſterorum: & tamen quia cuſtodiuntur per univerſam Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Quod quidem & alibi repetit, & in epiſt. 118. pro certa fixaque regula ſumit. *Illa, quae non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quae quidem toto terrarum Orbe obſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel Plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima autoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* Regulam ipſomet uſu comprobat ibid. lib. 6. cap. 26. ubi in eandem ſententiam Cyprianum adducit, & proſequitur. *Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id eſt, ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum.* Criterium etiam in eadem inquiſitione adhibendum ſuggerit illud, quod ejuſdem operis lib. 4. cap. 23. legimus, *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſem-*

Digitized by Google

ſemper retentum eſt, nonniſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.

IX. Conſuetudines verò, quae mutabiles & adiaphorae dicuntur, ſpectantque ad ritum & ornatum Eccleſiaſticum, poſſe ab Eccleſiis variari, docuit Tertullianus ipſo initio Libri de Corona. Hae verò ſunt quaedam adiaphorae, quaedam bonae, meliores quaedam. Quae meliores, conſilii ſunt: quae bonae, ſunt uſurpandae: ceterae autem cum fidei, & Eccleſiaſticae compagis unitate variari ab unoquoque poſſunt, dummodo Eccleſiae praeceptum nequaquam obſtet. Huc pertinet, ad Orientem inter orandum ſe convertere; aquam baptiſmalem benedictione conſecrare; ter in aqua eos, qui baptizantur, immergere; Dominico die, & quinquaginta poſt Paſcha diebus genua non flectere, & id genus complura. Quod omne ei rationi innititur, quam ſupra cum Baſilio tradidi: conſuetudines nimirum alias immutabiles eſſe, & divino jure cenſeri: alias humani & poſitivi eſſe juris, quae autoritate Eccleſiae, aut more contrario abrogari poſſunt.

X. Quoties igitur duae occurrunt ſecum invicem pugnantes rationes conſuetudinis alicujus ſervandae, optimum factu eſt, explorare Eccleſiarum quae ab Apoſtolis originem duxere, uſum, & perſuaſionem. Quod ſi ambae ab aequè vetuſtis Eccleſiis ſerventur, alterutra nequaquam eſt improbanda, ſed illa tenenda, quae diſciplinae Chriſtianae videatur congruentior. Appoſitè Tertullianus in lib. de velandis Virginibus cap. 2. *Sed eas ego Eccleſias propoſui, quas & ipſi Apoſtoli, vel Apoſtolici viri condiderunt. Habent igitur & illae eandem conſuetudinis autoritatem. Tempora, & anteceſſores opponunt magis, quàm poſterae iſtae. Quod obſervabimus, quid deligemus. Non poſſumus reſpuere conſuetudinem, quam damnare non poſſumus, utpotè non extraneam, quia non extraneorum, cum quibus ſcilicet communicamus, jus pacis, & nomen Fraternitatis. Una nobis, & illis fides. Unus Deus, idem Chriſtus, eadem ſpes, eadem lavacri Sacramenta: ſimul dixerim, una Eccleſia ſumus. Ita noſtrum eſt quodcumque noſtrorum eſt. Tamen hic ſicut in omnibus variè inſtitutis, & dubiis & incertis fieri ſolet, adhibenda*

da

Digitized by Google

da fuit examinatio, quae magis ex duabus tam diverſis conſuetudinibus diſciplinae Dei conveniret. Quod quidem in hac ipſa de Paſchate diſſenſione liquidò apparet. Nam Aſiatici Johannis morem prae ſe ferebant; reliquae Petri, & Pauli conſuetudinem. Sed haec, ut eventus docuit, permanenter uſurpanda, illa ex diſpenſatione Oeconomica conceſſa, & ad tempus. Etenim Apoſtoli in plerisque ex eo, ac res ferebat, & adminiſtrandi Evangelii ratio poſcebat, ne Judaeorum à ſe alienarent animos ex iis, quibus innutriti erant, caeremoniis aliquid admiſcebant Chriſtianorum ritibus, donec corroborata, & Gentilium numero auctior in dies Eccleſia Judaïſmum penitus dediſceret.

§. II.

De Actis Eleutheri, & Victoris Pontificum, nec non Synodorum, & Encyclicarum in controverſia de Paſchate.

SYNOPSIS.

I. *Quid Judaïcum inter, & Chriſtianum Paſcha interſit, & an iſtud ab Eleuthero probatum ſit.* II. *Sententiam Eccleſiarum Palaeſtinae Victor Pont. à Theophilo Caeſareenſi requiſivit, qui Synodum celebravit, & Encyclicam condidit.* III. *Victor in Synodo Romana Encyclicam Theophili approbat.* IV. *Polycrates Ephеſinus cum ſua Synodo Antencyclicam ſcribit.* V. *Utrimque ſucceſſio, & traditio Seniorum, Doctorumque magni habita.* VI. *Caeſareenſis Synodica habet Encyclicae characteres.* VII. *Approbatur ab Orbis Eccleſiis.* VIII. *Acta recenſentur, & Synodi ad eandem comprobandam congregatae.* IX. *Conſtitit, ſolos Aſiaticos Paſcha Judaïcum tueri.* X. *Duplex Tomus Encyclicus in hac controverſia ab Euſebio memoratus.* XI. *Earumdem Encyclicarum autoritas à Conſtantino M. laudata, & ab ipſis Aſianis recognita.* XII. *Controverſiam jam plenè definitam cur Nicaena Synodus iterum tractandam, & definiendam ſusceperit.*

I. Ab

I. AB Eleuthero Romano Pontifice occaſione Montaniſtarum arbitror fuiſſe determinatum, ut Paſcha Chriſtianum ad univerſaliorem Eccleſiarum obſervantiam deinceps exigi deberet. Paſcha enim Chriſtianum reipſa à Judaïco Paſchate diſtinguitur. Hoc ſiquidem, velut figura quae in Chriſti immolatione ſuper Crucem peracta implementum obtinuit ſuum, quemadmodum legalia cetera, fixum erat ad diem XIV. Lunae menſis primi, à quo annum ſacrum Judaei auſpicabantur: Paſcha verò Chriſtianorum inſtitutum ad memoriam recolendam Dominicae Reſurrectionis, quae contingit in Dominica ſequente diem XIV. ejuſdem menſis. Qua de re verba facit Ven. Beda Hiſt. lib. 5. cap. 22. *Votiva Paſchae noſtrae feſta celebramus, ut indicemus, nos non cum antiquis excuſſum Aegyptiacae ſervitutis jugum venerari; ſed redemtionem totius Mundi [quae in antiqui Dei populi liberatione praefigurata, in Chriſti autem reſurrectione completa eſt] devota fide, ac dilectione colere; ut reſurrectionis etiam noſtrae; quam eadem die Dominica futuram credimus, ſpe nos certiſſima gaudere ſignemus.* Hinc ipſi illi ex noſtris Chriſtianis, qui more Judaïco, ſcil. XIV. Lunae celebrabant Paſcha, non ritu quidem Judaïco, ſed in memoriam Dominicae Caenae,in qua myſticè immolatus eſt Agnus, id peragebant. Eleutherus igitur Pontifex, condemnaturus novum Paſchalis ſollennitatis feſtum, novumque Cyclum à Montano & Pepuzianis inductum, debuit ſane receptum in Eccleſiis communiùs morem confirmare, ceteraſque omnes Paſchatis rationes improbare. Victor autem Eleutheri in Romana Sede ſucceſſor, inardeſcentibus Montaniſtarum jurgiis, memorati decreti occaſione pacem & unitatem Eccleſiarum componere ſatagens, duo ſalubriter egit. I. opuſcula varia ad hanc quaeſtionem pertinentia in vulgus emiſit, referente S. Hieronymo de S. E. II. requiſivit Eccleſiarum ſenſa, ut cum eo quod rei gravitas exigebat, moderamine procederet, & vehementiora diſſidia praecaveret, peremtoriam evulgaturus ſententiam.

II. In hocce inſtituendo examine methodum illam cenſuit Victor conducibiliorem, ut imprimis Eccleſiarum Palaeſtinae

P uſum

uſum moreſque perquireret. Nam quum eo loci Chriſtiana Eccleſia ab Apoſtolis ipſis fundata fuiſſet, idoneum noſcebatur argumentum veritatis, ſi Eccleſiae illae cum Romana conſentientes in eo deprehenderentur. Quapropter epiſtolam ad Theophilum Caeſareenſem Epiſcopum direxit, qui per ea tempora Primas Palaeſtinarum Eccleſiarum erat: Siquidem Hieroſolymis ſub Tito Imperatore deſtructis, tametſi Domitiani placito ad veteris Hieroſolymae rudera Urbs denuò à Graecis excitata fuerit: (de qua Colonia, atque Epocha reſtaurationis viſuntur hodieque numiſmata ab Harduino collecta in praeclaro opere de nummis Populorum, & Urbium) Epiſcopus nihilominus ejus loci nequaquam urbem illam regebat, ad vicinia ſedem habens, & conceſſis Primatialibus juribus Exarcho Caeſareenſi. A Theophilo itaque petiit Victor per epiſtolam, quo uſu, quove ritu celeberrimae Eccleſiae illae regerentur. Synodi ea de cauſſa ſub Theophilo habitae fragmentum nobis aſſervatum eſt, quod ex aliquibus MSS. Codd. eruit, & vulgavit Steph. Baluzius in nova Collect. Concil., ubi pag. 14. legimus. *Tunc Papa Victor Romanae Urbis Epiſcopus direxit, ut daret autoritatem ad Theophilum Caeſareenſem Epiſcopum; quia tunc non Hieroſolyma Metropolis videbatur, ut inde Paſchalis ordinatio proveniret, ubi Chriſtus fuiſſet in corpore verſatus.* Theophilus itaque Epiſcopos vicinarum Provinciarum, atque ex Eccleſiis ſingulis viros doctrina praeſtantiores ad Synodum coëgit, qui ſimul omnes convenere, ut Paſcha in primo quidem menſe celebraretur, & poſt Lunam XIV, non tamen quacumque die incideret, ſed Dominica ſequente. Pergit enim Fragmentum Baluzianum. *Accepta itaque autoritate Theophilus Epiſcopus, videns tantum ſibi opus fuiſſe injunctum, quod in Mundi obſervationem tranſmitteretur, non ſolum ſuae Patriae, ſed & de vicinis Provinciis omnes Epiſcopos, & ſapientes viros ad Concilium convocavit.* Sequuntur Acta Synodalia, quibus probata eſt obſervantia quae ad Eccleſias univerſas erat tranſmittenda. De eadem Synodo loquitur Euſebius Hiſt. lib. 5. cap. 23. *Qui in Palaeſtina congregati ſunt, quibus praeſidebant Theophilus Caeſareae Palaeſtinae, & Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus.*

copus. Addit cap. 25. interfuiſſe huic Synodo Caſſium Tyri, & Clarum Ptolemaïdis Epiſcopos, qui & Encyclicam in Orbem tranſmiſerint, de qua paullo infra diſſeremus. Commemorat eandem Synodum Libellus Pappi num. 11. *Synodus divina & ſacra provincialis, collecta Caeſareae Palaeſtinae, ſive Pyrgoſtratonis à Theophilo ſanctiſſimo ejuſdem Epiſcopo, aliiſque duodecim: quae de Sancto Paſcha idem conſtituit.*

III. Victor itaque Pontifex ut epiſtolam Caeſareenſis Concilii accepit, & moribus invenit in Romana Eccleſia juxta traditionem Petri & Pauli ſervatis conſentaneam, ſuo eam firmavit calculo, ſuaque autoritate velut Encyclicam indixit Eccleſiis, quatenus omnes toto Orbe diſperſae in eo praecipuo feſto conſentirent. Praeſtitit id Pontifex in Romana Synodo, de qua citatus mox Libellus num. 9. haec habet. *Synodus divina, & ſacra provincialis Romae collecta à Beatiſſimo ejuſdem Epiſcopo Victore, & aliis Epiſcopis quatuordecim: quae vetat Judaïcè celebrari Luna decima quarta Sanctum, & myſticum Paſcha; ſed in ſola magna, & vitae praeſtatrice Dominica.* De epiſtola Victoris per Orbem in confirmationem decretorum Synodi Caeſareenſis emiſſa, infra dicemus.

IV. Polycrates Exarcha Epheſinus vix Encyclicam Caeſareenſem à Victore Pontifice confirmatam accepit, coacta ſtatim Synodo, ſententiam illam tueri allaboravit momentis plurimis, quae ipſum, & Aſianos Epiſcopos in obſervatione Judaïci Paſchatis confirmarent: tum verò re ad praejudicium atque ad animoſitatem deducta, ſic diſputavit perinde atque illud merum diſciplinae caput inter dogmata & regulas fidei omninò eſſet referendum. Digna ſunt quae hîc adſcribantur verba Euſebii Hiſt. lib. 5. cap. 24. *Epiſcopis verò Aſiae, qui morem ſibi à majoribus traditum retinendum eſſe acriter contendebant, Polycrates praeerat. Qui quidem in ea epiſtola quam ad Victorem; & ad Romanae Urbis Eccleſiam ſcripſit, traditionem ad ſua uſque tempora propagatam exponit his verbis: Nos igitur verum, & genuinum agimus diem: nec addentes quicquam, nec detrahentes. Etenim in Aſia magna quaedam lumina extincta ſunt, quae illo adventus Dominici*

 die

Digitized by Google

die reſurrectura ſunt, cum Dominus è Coelo veniet plenus majeſtate & gloria, ſanctoſque omnes ſuſcitabit, Philippus ſcilicet unus è duodecim Apoſtolis, qui mortuus eſt Hierapoli, & duae ejus filiae, quae Virgines conſenuerunt: alia quoque ejuſdem filia, quae Spiritu Sancto afflata vixit, & Epheſi requieſcit. Praeterea Johannes, qui in ſinu Domini recubuit; qui etiam Sacerdos fuit, & laminam geſtavit; Martyr denique, & Doctor extitit. Hic, inquam, Johannes apud Epheſum extremum diem obiit. Polycarpus quoque, qui apud Smyrnam Epiſcopus, & Martyr fuit, itemque Thraſeas Eumeniae Epiſcopus & Martyr, qui Smyrnae requieſcit. Quid Sagarim Epiſcopum eundemque Martyrem attinet dicere, qui Laodiceae eſt mortuus? Quid beatum Papirium, quid Melitonem Eunuchum, qui Spiritu Sancto afflatus cuncta geſſit, qui & Sardibus ſitus eſt, adventum Domini de Coelis, in quo reſurrecturus eſt, exſpectans. Hi omnes diem Paſchae quartadecima Luna juxta evangelium obſervarunt: nihil omninò variantes, ſed regulam fidei conſtanter ſequentes. Haec Polycrates quoad conſuetudinem ſuam defendendam; de Synodo ad petitionem Victoris Epheſi congregata, deque aſſidentium Epiſcoporum numero proſequitur ad hunc modum Euſebius. *Poſt haec de Epiſcopis qui ſimul aderant, cum haec ſcriberet, & eadem cum ipſo ſentiebant, ſic loquitur: Poſſem etiam Epiſcoporum qui mecum ſunt, facere mentionem, quos petiiſtis ut convocarem, ſicut & feci. Quorum numerum ſi adſcripſero, ingens numerus videbitur. Hi cum me puſillum hominem inviſiſſent, epiſtolam noſtram aſſenſu ſuo comprobarunt, gnari me canos illos non fruſtra geſtare, ſed vitam ex praeceptis inſtitutiſque Jeſu Chriſti egiſſe.*

V. Anteaquam ulteriùs diſſerendo procedamus, quò ſuſceptum hoc à nobis opus collineat, eò juvat mentem intendere, nimirum ad Traditionis & Depoſiti argumentum, quod ad hanc controverſiam terminandam non ſemel adhibuerunt Encyclicae, praeſertim ſolertiam, & Religionem ea in re Doctorum Presbyterorum commendantes. Theophilus iccirco omnes Palaeſtinarum Epiſcopos, & Doctores Presbyteros quos Sapientes vocat, Caeſaream accerſivit, quae Apoſtolica apud eos ſervaretur conſuetudo, exploraturus. Illi vero Eccleſiarum

ab

Digitized by Google

ab origine ſua & fundatione ad haec uſque tempora conſtantem & perſeverantem uſum aperuere, ne ipſis quidem refragantibus Aſianis, ut mox videbimus. Epheſina quoque Synodica ſeriem Epiſcoporum, Presbyterorum, & Martyrum proponit, qui Paſcha Judaïco more iiſdem in locis celebraverant. Et quod accuratiùs animadvertendum eſt, ad ea quae aſſeveraverat, confirmanda notat Theophilus, illorum Epiſcoporum, & Presbyterorum plurimos ſupernaturalibus donis & cariſmatibus fuiſſe inſignitos. Quin etiam appoſitè notat, quoſdam ſimul Epiſcopos fuiſſe & martyres, cujuſmodi fuit Thraſeas, cujus meminit Apollonius itidem Epheſinus Epiſcopus in fragmento apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 18. *Meminit etiam cujuſdam Thraſeae, qui circa haec tempora Martyr fuit*. Nam quum Apollonio Epheſino Epiſcopo Martyres, & Epiſcopi omnes Dioeceſeos ſuae operâ Eccleſiarum deberent innoteſcere, opus Encyclicum in lucem vulgaturus Apollonius, indiculum eorumdem ad ceteras Eccleſias attexuit. Commendat etiam à plurimis divini Spiritus cariſmatibus, & doctrinae praeſtantiâ Melitonem. Et Irenaeus dogmata Florini per eadem tempora oppugnans, ex traditione Presbyterorum ducit argumentum, dum Florinum ſic alloquitur, apud Euſebium lib. 5. cap. 20. *Haec dogmata diſſentiunt ab Eccleſia . . . . . . Haec dogmata hi qui ante nos vixere Presbyteri, qui etiam Apoſtolorum diſcipuli extiterunt, nequaquam tibi tradiderunt*. Id genus alia ad praecipuum Encyclicarum ſcopum facientia, & in Diſſert. I. notavimus, & deinceps in Operis decurſu occurrent annotanda. Certè poſtulatum Victoris Pontificis ad Aſianos, ac Palaeſtinos ſcribentis, ut controverſiam ad receptas Eccleſiarum conſuetudines exigerent, ſupponit, imò etiam demonſtrat, hanc methodum dirimendarum Religionis controverſiarum fuiſſe per haec tempora plane receptam.

VI Ad rem. Haud equidem dubitandum eſt, quin Synodica Epheſina adinſtar Antencyclicae, Theophili Caeſareenſis Encyclicae oppoſita fuerit. Haec ſane Encyclica fuit, & communibus horum ſcriptorum characteribus inſignitur. Namque ad

ad petitionem Victoris Pontificis edita in Orbem eſt, & dum conderetur, diligenter exploratus uſus fuit Eccleſiarum potiſſimum Apoſtolicarum, atque Sapientum, & Presbyterorum traditio, obſervantia, ac ſententia fuit accuratè indagata. Quapropter Euſebius lib. 5. cap. 25. ſcripſit. *Epiſcopi vero Palaeſtinae, quos paullò ſupra commemoravimus, Narciſſus ſcilicet, & Theophilus, & cum illis Caſſius Tyri, & Clarus Ptolemaidis Epiſcopi, & qui ſimul cum ipſis convenerant, poſtquam de traditione diei Paſchalis, quae jam inde ab Apoſtolis ad ipſos continua ſucceſſione manaverat, multa in ſuis literis diſſeruerunt, tandem ad finem epiſtolae his utuntur verbis*. Quae porrò ſequitur formula omnium certiſſimus eſt Encyclici ſcripti character. Ajunt enim Epiſcopi illi. *Date operam, ut epiſtolae noſtrae exemplaria per omnes Eccleſias mittantur, ne nobis crimen imputent qui animas ſuas à recto veritatis tramite facilè abducunt*. Quorſum haec, amabo, ſi non ea fuit lex communis Eccleſiarum, ut ſcripta magni momenti invicem darent, invicemque acciperent, in unum tandem dogma ſimul omnes conſpiraturae? Aut cui bono non Palaeſtinas tantum, & Syriacas Eccleſias omnes in ea traditione perſeverare, ut non Judaïcum, ſed Chriſtianum Paſcha celebrent, tanta ſolertia commonſtrant, ſed univerſam Aegyptum quoque in hanc ſententiam venire & ſtabiliri ſatagunt Autores hujus Encyclicae, ſi haec ad totius Chriſtiani Orbis conſenſionem exprimendam comparata non erat? Certè id convincunt ea quae in Encyclica ſequuntur. *Illud etiam vobis ſignificamus, eodem quo apud nos die Paſcha Alexandriae celebrari. A nobis enim ad illos, & viciſſim ab illis ad nos literae perferuntur: itaut uno conſenſu & ſimul ſacroſanctum peragamus diem*. Iccirco de hac epiſtola memoriae prodidit Hieronymus de Script. Eccl. *Theophilus Caeſareae Palaeſtinae, quae olim Turris Stratonis vocabatur, Epiſcopus ſub Severo Principe adversùs eos, qui decimaquarta Luna cum Judaeis Paſcha faciebant, cum ceteris Epiſcopis Synodicam, & valdè utilem compoſuit epiſtolam*.

VII. Ut autem Caeſarcenſis haec Encyclica ad Epiſcopos, & Eccleſias Urbium, ac Provinciarum devenit, excitati ubique

Digitized by Google

que Antiſtites, ſimulque Victoris Synodicam conferentes, quae Apoſtolicam eandem obſervantiam, uſumque commendabat, vel ſimul in Synodis collecti, vel in Sedibus quilibet ſuis Encyclicae ſubſcripſerunt: nonnulli etiam novis documentis decretum comprobarunt. Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 23., quum Aſianorum tumultus commemoraſſet, de hujuſcemodi Synodis ſcribit. *Synodi ob id coetuſque Epiſcoporum convenere. Atque omnes uno conſenſu Eccleſiaſticam regulam univerſis fidelibus per epiſtolas tradiderunt: ne videlicet ullo alio quàm Dominico die myſterium Reſurrectionis Domini unquam celebraretur: utque eo dumtaxat die Paſchalium jejuniorum terminum obſervemus.* Et tunc primùm ſcripto declaratum fuiſſe, reor, diſcrimen quod Paſcha Chriſtianorum à Judaeorum Paſchate ſecernebat. Duplex enim ab Aſianis, ut diximus, ſtatui poſſe videbatur: alterum ϛαυρώσιμον, quo Chriſtus poſt ultimum Paſcha cum Judaeis celebratum, tanquam Agnus in Crucem actus fuit: alterum Ἀναςάσιμον, quo nimirum à mortuis reſurrexit. Encyclicae omnes ſive Conciliorum, ſive Epiſcoporum in diem Dominicum, quo Salvatoris Reſurrectio contigit, ad ejus rei memoriam excitandam unanimiter conjiciunt Paſcha Chriſtianorum.

VIII. Juvat interim Actorum, & Synodorum ordinem digerere, qui rem omnem elucidabit, & fuit hujuſmodi. I. Victor Pontifex ad unum ritum Eccleſias revocaturus, Synodorum Caeſareenſis, & Epheſinae ſententiam exquiſivit. II. Acta ſecuta ſunt, & emanavit Encyclica Synodi Caeſareenſis. III. Polycrates evocatis ad Synodum Aſianis Epiſcopis, Epheſinam Antencyclicam publicavit. IV. Pontifex Victor alteram Romae Synodum collegit, in qua poſt confirmatam Encyclicam Caeſareenſem, comminatorias ad Aſianos literas dedit, ſeriò commonens, ut ab iis quae in Antencyclica ſcripſerant, re maturiùs perſpecta, diſcedant. V. Celebravit Hieroſolymitanam Synodum Narciſſus Epiſcopus, idem ſcilicet qui cum Theophilo Caeſareae Encyclicam ſcripſerat, quam tunc more recepto Epiſcopis ſub ſua Metropoli conſtitutis intimavit. De hoc coetu Epiſcoporum loquitur Libellus Synodicus. *Synodus*

divina & ſacra Provincialis , collecta Hieroſolymis à ter Beato illius Archiepiſcopo Narciſſo , & aliis Epiſcopis quatuordecim ſuper myſtico Paſcha ſecundum Sanctiſſimum Anicetum , & Victorem pronuncians . Ex his poſtremis verbis Hieroſolymitanam hanc Synodum poſt Romanam Victoris celebratam collegimus . *Myſticum* autem *Paſcha* dum appellat Libellus Synodicus , non obſcurè confirmat diſcrimen illud Paſchatis , de quo nuper diſſeruimus . VI. Habita quoque eſt eadem de cauſſa Lugdunenſis Synodus , de qua Synodici Autor . *Synodus divina & ſacra Provincialis collecta Lugduni Galliae ab Irenaeo ſanctiſſimo ibidem Epiſcopo , aliiſque tredecim Epiſcopis , quae ſimiliter de divino , & myſtico Paſcha conſtituit* . VII. Apud Corinthum etiam , celebre tunc emporium , & Greciae Metropolim, ſub Bacchylide Urbis Epiſcopo Synodus altera celebrata eſt , de qua Libellus Synodicus . *Synodus divina & ſacra Provincialis collecta Corinthi à Bacchylide ejuſdem ſanctiſſimo Archiepiſcopo , aliiſque octodecim Epiſcopis , quae idem de beato Paſchate conſtituit* . VIII. Idem Libellus Aſiaticam Synodum alteram ita commemorat . *Synodus divina & ſacra Provincialis collecta in Aſia à Plaſma ſanctiſſimo , aliiſque quatuordecim Epiſcopis , quae ſimiliter de Sancto Paſcha conſtituit* . IX . Majoris Aſiae Provinciae in eandem ſententiam iverunt . Nam Libelli Autor ſcribit . *Synodus . . . . in Oſroënae , cui Edeſa , & Adiabenorum regio ſubjacet , collecta ab Epiſcopis octodecim , quorum Praeſes memoriae proditus non eſt : de Sancto Paſchate idem ſtatuens , Commodo imperante* . X. tandem Meſopotamica Synodus congregata aliis manus dedit, eodem Autore atteſtante . *Ab octodecim Epiſcopis collecta in Meſopotamia , Commodo imperante , quae de Sancto Paſcha ſimiliter conſtituit* .

IX. Pleraeque omnes recenſitae hactenus Synodi Antencyclicam Polycratis oppugnarunt , editiſque epiſtolis ſententiam ſuam , uſum Eccleſiarum ſuarum , & perſeverantem in eiſdem non interruptam vetuſtam traditionem expoſuerunt : adeo ut conſenſus Eccleſiarum circa diſciplinam rationemque obſervantiae luculenter eluceret . Alii etiam ſacri Tractatores idipſum

ſum

ſum docuerunt epiſtolis ſuis, quibus demonſtratum eſt, aliquos dumtaxat Aſiaticos in ea conſuetudine ſtabiles, à ceteris aberrare. Interim ex ſolicita illa Conciliorum celebratione, atque Encyclicarum aliarumque epiſtolarum evulgatione ſat luculenter apparent mirabiles hujus epiſtolaris diſciplinae effectus, qua nimirum conſenſio univerſalis Eccleſiarum explorabatur, in normam ſubmovendae contentionis, & Traditionis explicandae agnoſcendaeque tranſitura.

X. Euſebii aetate duplex aſſervabatur Encyclicus Tomus, quorum alter epiſtolas à Conciliis editas, alter Bacchylidis Epiſcopi Encyclicam, & quae illam conſecutae ſunt Praesbyterorum, ceterorumque Doctorum epiſtolae, complectebatur. De utroque ſcribit ad hunc modum Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 23. *Exſtat etiamnum epiſtola Sacerdotum, qui tunc in Palaeſtina congregati ſunt .... Alia etiam exſtat epiſtola Synodi Romanae, cui Victoris Epiſcopi nomen praefixum eſt. Habentur praeterea literae Epiſcoporum Ponti, quibus Palma utpote antiquiſſimus praefuit: Epiſtola quoque Eccleſiarum Galliae exſtat, quibus praeerat Irenaeus: Eccleſiarum quoque in Oſdroënae Provincia, & in Urbibus regionis illius conſtitutarum literae viſuntur*. Et haec quidem priorem Encyclicum Tomum reſpiciunt, in quo ſubſcriptiones factae, & praeſtitus conſenſus Encyclicae Caeſareenſi repraeſentantur. De altero autem proſequitur Euſebius. *Seorſum verò Bacchylli Corinthiorum Epiſcopi, aliorumque complurium epiſtolae exſtant. Qui omnes eandem fidem, eandemque doctrinam proferentes, unam edidere ſententiam*. In his duobus Libris ſeu Tomis, qui Euſebii, & Hieronymi aevo ſervabantur, communis doctrina, judiciumque apparuit.

XI. Obvium igitur omnibus quum eſſet Eccleſiarum Orbis judicium contra Aſianos prolatum, variiſque Encyclicis conſtabilitum, Conſtantinus M. argumentum ab eo ſumit ad frangendam quorumdam pertinaciam, qui adhuc Judaïcum Paſcha celebrabant. Nam poſteaquam Nicaenum Concilium Orbis judicium illud confirmaſſet, Imperator executioni Canonum dare operam aſſuetus, circularem epiſtolam condi-

condidit, quam recitat Euſebius in vita Conſtantini lib. 3. cap. 19. In ea piiſſimus Princeps ex hiſce Tomis Encyclicis non obſcurè argumenta ſumere videtur. Quippe tametſi illos nominatim non appellet, ad eorum tamen autoritatem procul dubio mentem intendebat. Scribit enim. *Cum hic ordo decentiſſimus ſit, quem omnes tam Occidentalium, quam Meridionarum, ac Septentrionalium Orbis partium Eccleſiae, ac nonnullae quoque Orientalium ſervant. Idcirco id aequum rectumque eſſe judicaverunt, quod & vobis placiturum eſſe ſpopondi, ut ſcilicet quod in Urbe Roma, perque omnem Italiam, Africam, Aegyptum, per Hiſpaniam, Gallias, Britannias, Lybias, per univerſam Achaïam, per Aſianam, & Ponticam Dioeceſim, per Ciliciam denique concordi ſententia obſervatur, id veſtra quoque prudentia libentius animis amplectatur. Illud nimirum attendens, non modo majorem eſſe numerum Eccleſiarum in locis ſupra memoratis; verùm etiam aequiſſimum eſſe, ut omnes in communi id velint, quod ſtricta ratio exigere videretur, nec ullam cum Judaeorum perjurio ſocietatem habere.* Ubi cum in Provinciis percenſendis ordo ille ſervetur, quo Literae in ſupradictis Encyclicis Tomis digeſtae erant, non inanis conjector erit, qui Conſtantinum ad eoſdem reſpexiſſe, opinetur. Sane plurimos Aſianorum vi preſſos & autoritate Caeſareenſis Encyclicae ad meliorem frugem veniſſe, obſervavit Beda lib. 3. Hiſt. cap. 27. *Omnes Sancti Johannis ſucceſſores in Aſia poſt obitum ejus converſos eſſe, & omnem per Orbem Eccleſiam: & hoc ſolum fidelibus celebrandum, Nicaeno Concilio non ſtatutum noviter, ſed confirmatum eſt, ut Eccleſiaſtica docet Hiſtoria*. In Libro pariter de ſex Aetatibus ſcribit. *Victor, datis latè Libellis, conſtituit, Paſcha die Dominico celebrari, ſicut & praedeceſſor ejus Eleutherius, cujus decretis favens Theophilus Caeſareae Palaeſtinae Epiſcopus, ſcripſit cum ceteris in eodem Concilio Epiſcopis Synodicam, & valde utilem epiſtolam.*

XII. Quod ſi roges, qua demum de cauſſa Concilium Nicaenum controverſiam hanc jam planè determinatam iterum ſumſerit definiendam, in promtu eſt obſervare, recens per ea tempora exortum diſſidium inter Alexandrum Alexandriae Epiſcopum,

Digitized by Google

ſcopum, & Creſcentium, praebuiſſe Patribus occaſionem Conciliaris decreti evulgandi. Ad rem elucidandam faciunt verba Epiphanii haereſi 70. *Jam pridem enim & à primis uſque temporibus variae in Eccleſia de hac ſollennitate controverſiae ac diſſenſiones exſtiterunt ..... Quod & aliis temporibus accidit, velut Alexandri Epiſcopi Alexandrini, & Creſcentii, quemadmodum inter ſe mutuò ſcripſerint, & acerrimè pugnaverint*. Et hanc litem ab ipſo Nicaeno decreto petitam ſublatamque fuiſſe, ipſa teſtatur Synodus in epiſtola ad eundem Alexandrum. *Quod autem ad omnium conſenſum de Sacratiſſimo Feſto Paſchatis attinet, ſcitote, quod veſtris precibus haec quoque pars prudenter conſtituta eſt; itaut omnes Fratres, qui Judaeos priùs imitabantur, ſecuturi jam ſint Romanos, & vos, & omnes, qui ab initio Paſcha cuſtodiunt*. Romanos ubi appellat, hauddubiè reſpicit decreta Eleutheri, & Victoris, qui generali ſanctione idem ſtabiliverant. Atque adeo fatentur Patres illi ſuo calculo decreta ſe confirmare, quae pridem in ea cauſſa fuerant evulgata, atque Orbis totius judicium repraeſentaverant. Quod eſt inſigne documentum autoritatis, quam apud Generalia Concilia obtinuerunt Encyclicae, quoties poſt legitimam promulgationem receptae ubique fuiſſent, atque in fidei normam adſcitae.

Digitized by Google

ſ. III.

De Antencyclica Polycratis Epheſini, & contentionibus eandem conſecutis.

S Y N O P S I S.

I. Quae Novatores culpant in Victore Pont., eadem recta petunt judicium totius Eccleſiae circa Paſchatis controverſiam. II. Pontificis ſolertia ad judicium illud patefaciendum. III. Polycrates, & Aſiani obſervantiam Paſchatis inter fidei dogmata recenſebant. IV. Ob hunc imprimis errorem Victor communione privat Aſianos. V. Eorum intolerabilis ſpretus Magiſterii Eccleſiae. VI. Irenaeus intempeſtivè pacem curabat. VII. Primatus Apoſtolicae Sedis multipliciter in hac contentione enituit. VIII. Quid intereſſet Victorem inter, & Irenaeum, & cujus ſententia potior deinceps fuerit. IX. Fuerunt ex Aſianis qui reſipiſcerent; fuerunt qui in haereticam Sectam abirent. X. Sententia Victoris à cavillationibus vendicatur. XI. Eadem à Conciliis, & à Catholica Eccleſia approbatur.

I. TAmetſi decreta Pontificum Eleutheri, & Victoris, quae judicio totius Chriſtiani Orbis primùm obſignata, tum à Conſtantino M., & à Synodo Nicaena fuerunt confirmata, ſatis undequaque commendent Eccleſiaſticum Magiſterium, imò etiam Pontificiam in rebus Religionis autoritatem, & Sanctae Sedis Primatum abundè demonſtrent: non defuere tamen, atque hodie non deſunt plurimi, qui ab hac Polycratis Antencyclicâ Principatus Apoſtolici exagitandi anſam arripiant. Culpant nimirum Victorem, quod praepropere hac de cauſſa pacem abruperit, quòd brutum fulmen vibraverit, quòd velut ſuae poteſtatis limites praetervolanti non paruerint Aſiani, quòd denique ab eodem excommunicati, nihiloſeciùs in Eccleſiae Catholicae communione perſeveraverint. Quapropter cum ineptae

ptae id genus cavillationes non tam Primatum Apoſtolicae Sedis, quàm univerſae per Orbem Eccleſiae judicium, & autoritatem exagitent, vimque omnem Encyclicarum peſſumdare videantur, danda imprimis eſt opera, ut illud ipſum Chriſtiani Orbis judicium, cujuſmodi fuerit, explanetur. Interim diſſimulandum non eſt, calumniam hanc nullo negotio refelli poſſe exemplis Antencyclicarum ſimilium, de quibus in hoc opere paſſim diſſeretur, quaeque licet adversùs Encyclicas, quibus Eccleſiae totius judicium declarabatur, conditae evulgataeque fuerint: obtinuit nihilominus Eccleſiaſtici Magiſterii autoritas, & quae prodiit Catholici dogmatis declaratio. Neque enim dubitatio à quibuſdam per Antencyclicam propoſita, continuò idonea cenſenda eſt ad vim Magiſterii labefactandam, praeſertim quum Encyclica non rejicitur, & ſucceſſivis temporibus novo veritatis ſtudio illuſtrata, victrix permanſerit. Quod quidem in praeſenti Eccleſiarum Encyclica contigiſſe exploratum eſt. Sed ne in ſcirpo nodum quaeramus, praeſtat controverſiam omnem breviter ad examen revocare, tum calumnias diluere, quibus nonnulli Victorem Pontificem onerant, atque in Victore Eccleſiam ipſam ſive diſperſam, ſive in Conciliis collectam imprudenter exagitant.

II. Sat, reor, ex Cap. ſuperiori conſtat, factionem Montaniſticam novos Paſchales Cyclos, novamque Paſchatis formam invexiſſe: Obſervatum etiam, ab ea factione inter Aſiaticos exordium ſumſiſſe jurgia, quibus opportunè componendis, poſt Eleutherum operam navavit ſuam Pontifex Victor. Is quidem ut rem maturiùs expediret, examen praemittendum duxit, imprimis quidem apud primam Eccleſiam à Chriſto, & Apoſtolis fundatam, nimirum apud Hieroſolymitanam, & ceteras Palaeſtinae Eccleſias: tum à Polycrate, atque ab Aſianis quaeſivit, cujuſmodi eſſent conſuetudinis apud illos ſervatae momenta. Id enim Polycrates ipſe inſinuat, dum in Epiſtola Synodica ad Victorem luculenter affirmat, petitionem ea de re ſe habuiſſe à Victore, quemadmodum teſtimonio Euſebii annotavimus.

III.

III. Polycrates Epheſinus facto comprobavit, quod poſteà obſervatum à Synodo Chalcedonenſi in ſua Synodica, illius nimirum Sedis Epiſcopos cum temerè plurima uſurpare, tum arrogantiâ adversùs Apoſtolicam Sedem uti conſueviſſe. Namque Aſiani ſub Polycrate non tantùm, quod petierat Victor, de uſu & conſuetudine verba fecerunt, ſed rem omnino ad diſciplinam ſpectantem, deducere ad fidei regulam, deductamque Victori, atque Orbi Catholico velut certum dogma imponere non erubuerunt. Et ipſo quidem in limine Synodicae non de uſu propriae Eccleſiae, deque ejuſdem momentis acturos ſeſe profitentur, ſed de dogmate & de re ad fidei regulam pertinente, à qua nullo ſe imperio, decreto nullo abduci poſſe, audacter proteſtantur, & inquiunt: *Nos igitur verum & genuinum agimus diem, neque addentes quicquam, neque detrahentes*. Apud Euſebium lib. 5. cap. 24. Pergunt oſtendere hanc, quam appellant, veri & genuini diei obſervationem apud ipſos Apoſtolos, & inſignes Doctores in aeſtimatione fuiſſe: mox ab Eccleſiaſtico more ad fidei dogma procedunt, atque etiam diem illum aſſeverant eſſe *ſecundum Evangelium*. Nam ut agentes de Smyrnenſium Encyclica notavimus, Phraſeologia illa non tam diſciplinae obſervantiam, quàm poſitivum & Evangelicum praeceptum inſinuat. Et Aſiatici quidem ita hac in re loquuntur, ut ſententiam hujuſmodi perſpicuè omnino exprimant. *Hi omnes diem Paſchae quartadecima Luna juxta Evangelium obſervarunt*. Prae oculis nimirum habebant illud ipſum Paſcha, quod Redemtor die XIV. Lunae celebraverat, atque hoc habendum proinde ac verum, & Evangelicum praeceptum contendebant. Quapropter id agere ſeſe inquiunt, *nihil omnino variantes, ſed regulam fidei conſtanter ſequentes*. Ratum itaque fixumque apud Aſianos erat, hanc obſervantiam non adiaphoris, ſed immutabilibus Religionis Capitibus eſſe adſcribendam. Polycrates ſibi quidem objicere videtur, alias Eccleſias plurimas id factum Salvatoris intelligere, ut non Evangelicum praeceptum, ſed obſervantiam ſimplicem Chriſtiani Paſchatis edoceat; ideoque illud non Luna XIV., ſed in Dominico ſequente die celebrare. Ni-

hili

Digitized by Google

hili tamen conſuetudinem ceterorum ducit, ſeque magiſtrum in Scripturis ſuperbiuſculè jactitans, ita ſcribit. *Ego, inquam, Fratres, quinque & ſexaginta annos natus in Domino, qui cum Fratribus toto Orbe diſperſis ſermones ſaepè contuli, qui Scripturam Sacram omnem perlegi, nihil moveor iis quae nobis ad formidinem intentantur. Etenim ab illis qui me longè majores erant, dictum ſcio: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Spiritui ſuo privato autoritatem arrogat Polycrates definiendae intelligentiae Scripturarum, qua factum Salvatoris celebrantis Paſcha die XIV. Lunae velut praeceptum Evangelicum ſumi debere contendit, atque hanc obſervantiam immutabili traditioni eſſe adſcribendam: quae quidem ubi adeſt, verè Deo magis quàm hominibus convenit obtemperare. Ex his ſatis apparet, Aſiaticos illos de re ad diſciplinam ſpectante novum fidei dogma exſculpſiſſe: & conſequenter in ea ſententia verſatos fuiſſe, quod ceterae per Orbem Eccleſiae omnes Evangelium interpolaſſent, temeraſſent fidei canonem, & divinis inſtitutis obniterentur.

IV. Perpendens itaque Victor Pontifex hinc ſolicitudinem Eccleſiarum omnium ſibi pro Hierarchiae principatu commiſſam, inde & ſuum, & totius Orbis judicium ludibrio ab Aſianis habitum, perinde ac ſi in Paſchatis Chriſtiani celebratione adversùs fidei regulam abirent omnes: imò quod vehementiùs urgebat, animadvertens, ex eo Montaniſticae factioni anſam praeberi pervertendorum ſacrorum rituum pro libito & arbitratu: Synodicam ſuam Epiſtolam ad Polycratem, & ad Aſiaticos tranſmiſit, ſeverè commonens, ut ejuſcemodi praejudicia exuerent, ſententiam excommunicationis & jacturam Sacrorum Chriſtianorum paſſuri, ſi ſecùs faxint. Euſebius quidem latam re ipſa autumat à Pontifice Victore in illos ſententiam, dum ſcribit lib. 5. cap. 24. *His ita geſtis, Victor quidem Romanae Urbis Epiſcopus illico omnes Aſiae, vicinarumque Provinciarum Eccleſias tanquam contraria rectae fidei ſentientes, à communione abſcindere conatur: datiſque Literis, univerſos qui illìc erant, Fratres proſcribit, & ab unitate Eccleſiae prorsùs alienos eſſe pronuntiat.* Quod quidem ſi veritate niti arbitreris, cauſſa in promtu erat,

eaque

Digitized by Google

eaque duplex: & quod Aſiani contenderent unà cum Polycrate ſectandum eſſe morem ſuorum Majorum in Judaïco Paſchate celebrando, non ferendae inobedientiae crimine; & quod obſervantiam illam ſuam Evangelio eſſe conſentaneam, & ad regulam fidei pertinentem defenderent, non levi ceterarum omnium Eccleſiarum reprehenſione. Accedebat pertinacia, qua Polycrates & Aſiatici nullum ſe formidare audacter jactitaverant in ſua Antencyclica; & fuco obedientiae Deo potiùs, quàm hominibus praeſtandae, apertè hac in re fidei limites praetergrediebantur, iccirco jure Canonum ſevera excommunicationis animadverſione plectendi.

V. Auxit criminis gravitatem ſpretus Magiſterii Eccleſiaſtici, in quod Chriſtianus Orbis tunc conſenſerat quum ſuſcepta eſt Caeſareenſis Encyclica, quae praecipuae & ſacratioris hujus ſollennitatis diem, rationes, praeſtantiamque deſcribebat. Haec autem Encyclica ritè promulgata fuit, & cum Victoris conſenſu; eidemque ceterae per Orbem Eccleſiae tum ſeorſim, tum in Provincialibus Synodis congregatae, poſt diligens & accuratum controverſiae examen, conſenſum praebuerant ſuum. Et hoc eſt Magiſterium, quod pauci Aſiatici Epiſcopi humanum appellant, & veluti à regulis fidei devium poſthabent, aſpernantur, & exagitant. Quî autem Victor Pontifex ferre aequo animo poterat, ut velut humanum, & exorbitans à paucis Epiſcopis traduceretur decretum maximi ponderis, in quod & ipſe, & ceterae Orbis Eccleſiae conſenſerant, & non abſque ſingulari Divini Spiritus voluntate promulgaverant? Momenta haec qüicumque ſecum reputaverit, verſetque ſimul animo ampliſſimam poteſtatem à Chriſto in hiſce rebus Eccleſiae traditam, nullus herclè dubitabit, quin Victori graviſſimae fuerint cauſſae animadvertendi in contumaces Aſianos non minis tantùm & objurgationibus, ſed ipſa etiam ſententia excommunicationis.

VI. Irenaeus equidem cum aliis Gallicanis Epiſcopis, referente ibidem Euſebio, hac de re ad Victorem ſcripſit. *Verùm haec non omnibus placebant Epiſcopis: Proinde Victorem ex adverſò horta-*

hortati ſunt, ut ea potiùs ſentire vellet, quae paci & unitati caritatique erga proximum congruebant. Exſtant etiamnum eorum Literae, quibus Victorem acerbiùs perſtringunt. Ex quorum numero Irenaeus in epiſtola quam ſcribit nomine Fratrum quibus praeerat in Gallia, illud quidem defendit, ſolo die Dominico Myſterium eſſe celebrandum: Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Eccleſias morem ſibi à Majoribus traditum cuſtodientes à communione abſcindat. Paci nimirum illi ſtudebant: ſtuduit & Victor, ſed poſtquam Aſiani tandem enorme illud praejudicium abjecere, quo Judaïcam ſuam obſervantiam Paſchatis contendebant eſſe juxtà Evangelium, & ad Fidei regulam pertinere. Quod monuit Sozomenus lib. 7. Hiſt. cap. 19. *Sapientiſſimè arbitror ſolviſſe ſubortam olim controverſiam Victorem tunc temporis Romae Epiſcopum, & Polycarpum Smyrnenſem* (legendum Polycratem Epheſinum) *Etenim cum Occidentis Sacerdotes traditionem Petri, & Pauli non eſſe contemnendam arbitrarentur, & Aſiani ſe Johannem Evangeliſtam ſequi affirmarent, decreto in commune ſancito, ſinguli ut conſueverunt, feſtum celebrantes, à mutua inter ſe communione non receſſerunt. Frivolum enim & quidem meritò judicarunt, conſuetudinis gratia à ſe mutuò ſegregari eos qui in praecipuis Religionis Capitibus conſentirent.* Neque enim Irenaeus, ceterique Epiſcopi arbitrari potuerunt, inultam relinquendam eſſe Antencyclicam Epheſinam, paſſuri & ipſi ex illius decretis gravem notam praevaricatorum Evangelii, & ſacroſanctae Fidei temeratorum. Quod quidem erat audaciſſimum Aſianorum pronunciatum, & pertinax in Antencyclica aſſertum. Tum igitur contigit, ut Victor Pontifex illis veterem morem ſuum permitteret bono pacis inflexus, quum pernicioſam audaciam hujuſmodi exuerunt.

VII. In ipſa verò contentione Principatus Apoſtolicae Sedis non ſolùm jacturam nullam honoris paſſus eſt, ſed potiùs ejuſdem vigor & autoritas mirificè ſplenduit. Nam I. Polycrates ad ſui defenſionem epiſtolas dedit Victori. Quid ita? An non alii erant mitioris ingenii Primates, aeque ac Victor ab eo diſſidentes, apud quos ſuam cauſſam diceret? II. Irenaeus, ceteri-

terique Gallicani Epiſcopi ad mitiora conſilia inflectere Pontificem allaborarunt. At haec hortamenta ad eos inſtruuntur qui cum legitima praediti ſint poteſtate, ſummo vel remiſſo jure uti poſſunt, eoque loco, ac tempore quo manſuetudo tempeſtiva & opportunior cenſetur, ad manſuetudinem invitantur. Ad haec Irenaeus ita ſcribit Victori, ut diſpenſatione tunc praeſertim uti ſuadeat, nuſquam verò ſuae poteſtatis modulum agnoſcere moneat. Quinimo obſecrat, ut Aſianas Eccleſias nequaquam à communione abſcindat, nihil dubius id Pontificem conſecuturum, ut abs ceterarum Orbis Eccleſiarum communione abſcinderentur. III. Aſiani reluctati ſunt Victori: ſed quò diuturnior fuit & acrior contumacia repugnantium, eò fuit glorioſior Pontificis victoria. Tantùm enim momenti fuit in autoritate Victoris, ut deinceps univerſalis Eccleſia, Synodique Oecumenicae, Prima, Secunda, & Tertia in ejus ſententiam conceſſerint. Neque enim à nobis expendendum eſt, quid tunc, ſed quid tandem Victor obtinuerit: nec quid de ſententia ejus & autoritate pauci hallucinabundi ſenſerint, ſed quid poſteà Eccleſiae omnes, & Generalia Concilia velut certum ſuſceperint. Equidem Conſtantinus M., & Nicaena Synodus luculenter aſſeverarunt, Romanam Eccleſiam ceteris in obſervatione Paſchatis praeïviſſe: & non Paſcha Judaïcum Polycratis, non diſpenſationem Irenaei aliorumque ejus Collegarum, ſed unius Victoris conſilium in Paſchate Chriſtiano ſtabiliendo approbarunt. Certè pluris eſſe debet viro cordato, quod ſecutum eſt Eccleſiae univerſalis ſuffragium, quàm aliquorum in ipſo aeſtu certaminis vel apertè repugnantium, vel clanculum detrahentium licentia. Digna ſunt quae ad argumenti hujus illuſtrationem hîc adſcribantur verba Nicolaï I. in epiſt. 9. ad Michaëlem Imperatorem ſcribentis. *Cum Aſiani omnes inter ceteros, Evangeliſta Johanne autore, XIV. Luna cum Judaeis putarent Paſcha celebrandum, hos Praeſul meritis & nomine Victor à communione Collegii ſeparavit. At illi omnes cum nonnullis Eccleſiarum Praeſulibus non ſolùm huic manus minimè praebuerunt, verùm etiam pertinaciae redarguerunt. ..... Quid mirum, ſi nobis pro Eccleſiaſtica correptione laborantibus*

bus manus non datis, ſed & durius redarguitis? Cum videamus Victorem Papam & Martyrem, qui ideò verè Victor eſt, quia Martyr, pro Eccleſiaſtica traditione penè à totius Eccleſiae Praeſulibus pertinaciae redargutum. Quandoquidem Eccleſia tota nunc cum illo ſapit, & quod fecit, laude praedicat dignum. In quo animadvertendum, quia ſi tunc ille pro Juſtitia tanta ſeveritate non uteretur, ſicuti nonnulli hortabantur Epiſcopi, hactenus fortaſſis error ipſe manſiſſet, praecipuè cum etiam eo tanto zelo ſuccenſo, uſque ad Epheſinam priorem in aliquibus perduraſſe Synodum legerimus.

VIII. Quod ſi roges quid ea fervente controverſia diſcriminis eſſet inter Victorem, & Irenaeum, paucis habe. Diverſo utendum jure arbitrabantur: ille jus ſummum, hic remiſſum affectabat. Stricto juri ſtudebat Victor, Irenaeus temperato: hic caritati, ille veritati conſultum optabat. Expendebat Pontifex motum hoc diſſidium in fidei regulas abire, eidemque inflictum vulnus patientia & ſilentio non ſanandum, ſed exulcerandum fore potiùs praeſagiebat. Quamobrem ſummo jure, ubi fides laeditur, incedendum conſultiſſimè cenſuit. Quae Victoris conſilia eventus ipſe atque exitus controverſiae probavit. Imò, tametſi Pontificis ſeveritate factum ſit, ut Aſiani Antiſtites ab ea opinione deflecterent, qua propriam conſuetudinem Feſti hujus celebrandi ad dogma pertraxerant; atque etiam intra limites merae conſuetudinis ſuum veterem ritum coërcuerint, cujus tenaciores deinceps fuerunt: fortaſſe Pontificem ipſum inſtituti ſui indulgentioris poenituiſſet, ſi celebrationi Nicaeni Concilii ſupervixiſſet, quando ex adhibita circa tolerantiam conſuetudinis manſuetudine tot ebulliêre contentiones, ut Nicaena decreta, & Conſtantini monita vix ac ne vix quidem eradicare potuerint defixam altis radicibus apud Aſianos conſuetudinem. Certè Victoris ſeveritatem quoad ſolam Judaïci Paſchatis celebrationem tenuit Nicaena Synodus, atque excommunicationem in illius aſſertores decrevit. De quo Synodus Antiochena Can. 1. *Omnes qui auſi fuerint diſſolvere definitionem Sancti & Magni Concilii, quod apud Nicaeam congregatum eſt .... de ſalutifera ſollennitate Sacratiſſimi Paſchae, excommunicandos*

dos & de Eccleſia pellendos eſſe cenſemus, ſi tamen contentioſiùs adverſùs ea quae benè ſunt decreta, perſtiterint. Sententiam Victoris ſequitur Antiochenum Concilium. Nam quemadmodum Victor tunc demum Aſianis morem ſuum permiſit, quum à contentione ceſſarunt, qua obſervantiam ſuam dogmatis accenſendam effutierant: ita Patres Antiocheni eadem mente poenam eandem in contumaces Aſianos decreverunt.

IX. Igitur decretis Pontificiis exterriti Aſianorum plurimi à praejudicio & juris errore ſemet purgarunt: alii verò, ut fit plerumque in contentionibus, tenaciores propoſiti, & ad decreta contumaciores effecti, in haereticam Sectam abierunt, Quartodecimanorum appellatam, iidemque paſſim ut Haeretici ab Eccleſiis Orbis fuère proſcripti. Eos Quartodecimanos pariter nuncupavit Epheſinum Generale Concilium, quum à Diaeceſi Aſiana reliquias eorumdem depellere moliretur. Sed de his conſulendi Epiphanius, Auguſtinus, Philaſtrius aliique Haereſiologi. Notaſſe ſufficiat, ipſam Caeſareenſem Encyclicam erroris inſimulaſſe Aſianos cum Polycrate tuentes, ſuam illam traditionem eſſe *ſecundùm Evangelium, & ſecundùm fidei regulam.* Quocirca Autores ſe in univerſum Orbem tranſmittere Encyclicam aïunt, & Eccleſias omnes commonere, *ne nobis crimen imputent, qui Animas ſuas à recto veritatis tramite facilè abducunt.* Quod legimus apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 25. Et Irenaeus ipſe remiſſi juris vindex & ſuaſor, Aſiaticam hanc traditionem exagitans, & de Epiſcopis Aſiae verba faciens, inquit ibidem cap. 24. *Qui negligentiùs, ut veriſimile eſt, praeſidentes ex ſimplicitate & imperitia ortam conſuetudinem Poſteris tradiderunt.*

X. Reſtat ut de iis quae Victori à Novatoribus imponuntur, breviter dicamus. Et hae quidem criminationes non tam Victorem Pontificem, quàm judicium Chriſtiani Orbis, atque ipſum aequè omnibus ſacroſanctum Concilium Nicaenum recta petunt. Namque & ſua autoritate, & accedente judicio Epiſcoporum Orbis rem hanc Pontifex determinavit. Quid ni igitur, ſi tam multa & gravia peccavit Victor, peccaſſe eadem Ec-

clesias

Digitized by Google

cleſias omnes, quae Caeſareenſi Encyclicae ſubſcribentes, ſimul etiam Victoris decreta probarunt, fatebuntur Novatores? Rationem, quaeſo, habeant verborum Johannis Chryſoſtomi oppugnantis Quartodecimanos ſuo adhuc aevo ſuperſtites, & Tom. V. Opp. Hom. 52. ſcribentis. *At tu non illos tantùm, ſed & Orbem univerſum condemnas, qui ſententias illorum comprobavit*. Animadvertant notas quas inurunt Victori, eaſdem & Apoſtolicae Sedi, eaſdem & Eccleſiis omnibus Victori conſentientibus, eaſdem & Nicaenae Synodi Patribus in eandem ſententiam euntibus eſſe inurendas. In eodem contentionis aeſtu aequè tunc fuerunt Eccleſiae omnes: aequè Apoſtolico Praeſuli traditiones cordi erant, atque aliis: jam tum Eccleſiae Eccleſiis aequè collidebantur, ac temporibus Nicaenorum Patrum. Si compeſcenda erant diſſidia illa, eccur Victor in crimen vocatur, qui in id incubuit? Si ſtudio pacis ferenda erant, & diſpenſatione magis, quàm ſtricto jure ſopienda, cur ita deſipuit Nicaena Synodus, ut Victoris ſeveritatem imitaretur? Videant quo Novatores abripiantur aeſtu Tyberini Pontificis criminandi, & an non ipſis turpe ſit, per latus Victoris primaeva ſanctiſſima Eccleſiae tempora errorum labe dehoneſtare.

XI. Equidem Concilia Oecumenica tacitè factum Victoris approbarunt. Nam quum Quartodecimanos Haereticos exiſtimarent, qui obſervantiam ſuam regulis fidei commiſcere auſi fuerant, ſalubriter caverunt, ut ſiqui reſipiſcerent, ſub ejuratione erroris admitterentur. Exſtat quorumdam Quartodecimanorum palinodia in Actis Epheſinae Synodi Actione VI., & ſic habet. *Cognoſcens veram Orthodoxamque fidem, Sanctiſſimae Catholicae Eccleſiae me adjunxi, omnemque haereſim, & praecipuè Quartodecimanorum, in qua ante errabam, anathematizo. Anathematizo etiam illos, qui Sanctum Paſchatis diem aliter celebrant, quàm Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia*.

§. IV.

De uſu, & antiquitate Literarum Encyclicarum Paſchalium.

SYNOPSIS.

I. *Caeſareenſis Encyclica morem Paſchalium commendat.* II. *Apud Aegyptios, Hebraeos, ceteraſque Gentes indictio Feſtorum ad Sacerdotes pertinuit.* III. *Apud Chriſtianos quomodo id praeſtitum, & qui Cyclus adhibitus.* IV. *Ab Alexandrinis Patriarchis saepiùs Paſcha indictum.* V. *Quando, & qui ex Latinis ſuos Cyclos Paſchales conficere coeperint.* VI. *Paſchalium uſus ab Apoſtolicis viris invectus, & ab Orientalibus perinde ac Occidentalibus Patribus accuratè obſervatus.* VII. *Paſchalium forma duplex.* VIII. *Quid egerit S. Leo M. quum de Paſchate anni* 455. *dubitatum eſt.* IX. *Secutus exemplum Innocentii I. ſcribentis ad Concilium Africanum pro Paſchate anni* 413. *determinando.* X. *Vigilius Paſchali Encyclicae ad Profuturum Braccarenſem ordinem Precum adjungit.* XI. *Quo tempore, & à quibus promulgarentur Paſchales Encyclicae.* XII. *Ea occaſione aut alia decreta, aut Indiculi Epiſcoporum vulgabantur.* XIII. *Eodem tempore mutuas ſibi invicem literas dabant Epiſcopi.* XIV. *Quid differrent Paſchales à Feſtivis Epiſtolis.*

I. HUic quam inſtituimus diſputationi aditum faciunt poſtrema verba Encyclicae Caeſareenſis, apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 25. *Illud etiam vobis ſignificamus, eodem quo apud nos die Paſcha Alexandriae celebrari. A nobis enim ad illos, & viciſſim ab illis ad nos Literae perferuntur.* Ubi equidem Paſchalium Encyclicarum recepta conſuetudo innuitur, quam & Eccleſiaſtica monumenta hujus & ſequiorum temporum penè innumera commendant. Noſtri igitur penſi eſt, ut ampliſſimam hanc Hiſtoriae Literariae partem illuſtraturi, hujuſcemodi Paſchalium Literarum originem, antiquitatem, uſum, varietatemque deſcribamus: atque ea quae in Diſſert. I. leviter

pro

pro illius inſtituto tetigimus, uberiùs nunc dataque opera explicemus.

II. Mobilium Feſtorum indictio nunquam non pertinuit ad Religionum Antiſtites. Apud Aegyptios enim cum ob anni intercalaris defectum Feſta omnia eſſent mobilia, Sacerdotes quotannis Faſtos deſcribebant, in quibus dies feſtivi omnes, ac publicae ſollennitates indicebantur. Atque hi Faſti per Univerſam Aegyptum tranſmitti conſueverunt. Qua de re multi poſt Herodotum lib. 2. ediſſerunt. Non ſecùs apud Hebraeos ad Sacerdotes ſpectavit Feſtorum indictio, quòd anno Lunari eoque vago uterentur. Literis autem ad Judaeos ubique diſperſos tranſmiſſis indicabantur unoquoque anno dies Lunationum, & celebrandae quolibet menſe feſtivitates: idque fiebat vel à Regibus ſimul & Pontificibus, ut in Diſſert. I. notavimus; vel à Pontifice, & Synedrio, ut prolixiùs in VI. & VII. Diſſert. obſervabimus. Apud ceteras quoque Gentes mos idem eademque conſuetudo ſervata eſt, apud quas certa Kalendaria nequaquam edi coeperunt, niſi poſt Anni Juliani introductionem, atque Anni Solaris uſum emendationemque. Rei hujuſce exempla obvia ſunt apud Ovidium in Libris Faſtorum.

III. Apud Chriſtianos cum Paſchalis ſollennitas ad Annum Lunarem exigeretur, & alligaretur diei Dominico ſequenti ad Lunam XIV. Menſis I. Anni Lunaris apud Judaeos ſacri, qui pro varietate Lunationum varius & vagus erat, recurrendum quotannis ad novos Faſtos fuit, in quibus mobiles, & immobiles feſtivitates definirentur. Eam ob rem inventi ſunt Cycli Paſchales multi temporarii, & perpetui, de quibus conſulendi ſunt Buccherius, Petavius aliique Chronologi. Ad rem noſtram, pro hujuſcemodi indictione complures invectae ſunt conſuetudines, inter quas non ultimum habuere locum Paſchales Encyclicae. Qui enim à Romano Praeſule, aut ab aliis Primatibus eam ſuſcipiebant provinciam, ut Faſtos Paſchales, & ceterorum Feſtorum conficerent, Literis evulgare illos conſueverunt. Hinc pro eodem Paſchali die Chriſtianorum confecti à multis fuerunt Indiculi, Cycli Paſchales, Breviculi, & alia id

Digitized by Google

genus, quibus Eccleſiae uſae fuerunt. Plerumque autem & uſitatiùs obtinuit Cyclus Decemnovennalis à Rabbi Hillele excogitatus, qui initium ducebat ab Anno Aerae Contractuum 670., reſpondente Anno Chr. 358. Cyclus hic quem Judaei magni faciunt, ex rationibus Aſtronomicis, & Chronologicis accuratiſſimè compactus fuit: eumque laudat Paſchaſinus Lilybaetanus Epiſcopus Anno 444. ſcribens ad Leonem M. de contentione, quae circa diem Feſti Paſchalis per ea tempora excitata fuerat. *In hoc ambiguo fluctuantes* (inquit Paſchaſinus) *ad Hebraeorum, hoc eſt, legalem ſupputationem nos convertimus, quae cum à Romanis ignoratur, facilè errorem incurrunt.*

IV. Ab eo igitur tempore ordinem Lunationum digerere coeperunt Latini juxta Cyclum Decemnovennalem Hebraeorum, & Alexandrinorum. Atque ideo S. Leo Anno 454. ſcribens ad Julianum Epiſt. 102. aït. *De futuro Paſchate, ut ſaepe jam ſcripſi, eſto ſolicitus, & Clementiſſimo Principi meo nomine opportuniùs intimato, ut quid ſibi reſcriptum ſit, faciat certiorem, quoniam imminent dies: ut noſſe poſſimus, quem diem Formatis aſcribere debeamus, & omnium ex hac parte ſuſpicio evidentiùs poſſit aboleri.* De hac ipſa controverſia exſtat hodieque S. Proterii Alexandrini Patriarchae epiſtola ad S. Leonem. Quod autem attinet ad Cyclum 100. annorum Theophili, qui tunc Paſchatis Chriſtianorum norma erat, nobis non vacat in ejus rationes, aut defectus inquirere. Conſulas ubi velis Chronologos.

V. Illud certò conſtat, hac occaſione excitatam fuiſſe inquirendi diei Paſchalis, motuſque Solis, & Lunae accuratiùs ſupputandi aemulationem inter Latinos: qui diutiùs paſſi non ſunt, legem ſibi ab Alexandrinis per diei Paſchalis indictionem imponi: ac multò quidem magis hoc ſtudium invaluit poſt S. Proterii martyrium, quum ſcilicet Apoſtolica Sedes Literarum commercium intermittere debuit cum Alexandrinis Patriarchis, quòd plerique omnes Eutychianiſmo eſſent addicti. Certatim quippe Latini ad ſuos Paſchales Cyclos conficiendos animum applicuerunt. Fecit id imprimis Victorius Aquitanus, qui ut in Mathematicis calculis inſigniter exercitatus erat, Anno 457.

ad

Digitized by Google

ad Hilarum Romanae Eccleſiae Archidiaconum tranſmiſit Canonem Paſchalem, in quo exactam ſupputandi Paſchatis methodum tradit. Calculum etiam ſubjungit annorum 430. quos orditur ab anno Chr. 28., & ad annum 457. per Tabulas deducit, annotatis ad quemlibet annum diebus Paſchalibus, nec non Romanorum Conſulibus. Hoc Canone uſa plerumque eſt Occidentalis Eccleſia, intantum ut Synodus Aurelianenſis IV. Paſchalem ſollennitatem ex Victorii calculis celebrandam eſſe ab omnibus Sacerdotibus decreverit. Sic enim Patres illi Can. 1. *Placuit itaque, Deo propitio, ut Sanctum Paſcha ſecundum Laterculum Victorii ab omnibus Sacerdotibus uno tempore celebretur.* Victorii Canonem cum aliis evulgavit Buccherius, ampliſſimiſque commentariis illuſtravit: Victor autem Epiſcopus Capuanus olim impugnavit in ſuo Cyclo Paſchali, cujus fragmenta habes apud Bedam Lib. de temp. cap. 49. & de Aequinoct. Vernali.

VI. Illa verò inſtitutio denunciandi per Epiſtolas Paſchatis ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris exordium habere videtur. Quum enim Paſcha Chriſtianum à Judaïco diverſum in omni fermè Orbe celebraretur Dominica ſequente diem XIV. Lunae menſis primi: ex alia parte Populi ferè omnes Romano Imperio ſubjecti, ſepoſito Anno Lunari, ſequerentur Solarem Julianum; Fideles nequaquam ſcire poterant primam Anni Sacri Judaïci Lunationem, cui in Lege dies Paſchalis fuerat alligatus. Huic incommodo non aliter conſuluit Eccleſia, quàm ope Encyclicarum Paſchalium, ex quibus noſſent Fideles Dominicum diem, qui Lunationem primam Anni Sacri Lunaris Judaeorum ſequebatur, atque adeò omnes quantumcumque diſſiti in eandem ſollennem diem convenirent. Equidem Ignatius Martyr, etſi ſubobſcurè, verè tamen Fideles à Judaïco Paſchate avocaſſe videtur in epiſtola ſincera ad Magneſianos, ubi num. 9. ſcribit. *Propter hoc diſcipuli ejus effecti diſcamus ſecundum Chriſtianiſmum vivere. Qui enim alio nomine vocatur ampliùs ab hoc, non eſt Dei. Deponite igitur malum fermentum inveteratum & exacuens & tranſponite in novum fermentum, qui eſt Jeſus Chriſtus. Salvificemini*

cemini in ipſo, ut non corrumpatur aliquis in vobis, qui ab odore redarguimini. Inconveniens eſt, Jeſum Chriſtum perfari, & Judaizare. Chriſtianiſmus enim non in Judaiſmum credidit, ſed Judaiſmus in Chriſtianiſmum. Haec genuina Ignatii verba: licèt epiſtolae illius interpolator eodem numero addiderit. *Sed pro Sabbatizatione diem Feſtum celebret omnis Chriſtianus Dominicam Reſurrectionem, regalem, eminentiſſimam omnium dierum: de qua Propheta expectans dicebat: In finem, pro Octava. In qua die & Vita noſtra exorta eſt, & mortis in Chriſto facta victoria: quem Filii perditionis negant.* Sed ad Populum phaleras. Palaeſtina, & Alexandrina inter ceteras Eccleſiae conſuetudinem Paſchalium hujuſcemodi Literarum potiſſimùm obſervarunt, ut ſaepius advertimus. Hinc primi fuerunt Alexandrini Epiſcopi, qui Paſchales Cyclos conficerent. Illorum familiam duxit Dionyſius Alexandrinus, de quo ſcribit Euſeb. Hiſt. lib. 7. cap. 20. *Dionyſius Paſchales illas quas habemus Epiſtolas tunc temporis conſcripſit . . . . In qua probans Feſtum Paſchae diem nonniſi poſt Aequinoctium vernum celebrari oportere, octo annorum Canonem publicavit.* Alias in Cap. ſeq. recenſet Literas Paſchales. Priſci etiam Romani Praeſules eadem ſolicitudine ducebantur. De Conſtituto Pii I. Pontificis ſcribit Euſebius in Chronico. *Sancitum eſt à Pio, ut Reſurrectio Dominica die Dominico celebretur, quod à pluribus poſteà Pontificibus confirmatum eſt.* Et in Pio Liber Pontificalis. *Sub hujus Epiſcopatu Hermes librum ſcripſit, in quo mandatum continetur, quod ei praecepit Angelus Domini, ut Sanctum Paſcha Dominico celebraretur.* Legitur id in Libro qui Paſtor inſcribitur, Graecis Patribus hujus etiam ſecundi Seculi non ignotus. Pius ergo ut mandatum Angelicum Eccleſiis notum faceret, Conſtitutum ſuum in Orbem emiſit, & ab eo tempore inculcandae ejuſdem obſervantiae gratia Romani Pontifices Paſchales Encyclicas vulgare conſueverunt. Certè mos eſt antiquiſſimus: idque innuit Synodus Arelatenſis Can. 1. ad Sylveſtrum ſcribens. *Primo loco de obſervantia Paſchae Dominici, ut uno die & uno tempore per omnem Orbem à nobis obſervetur, & juxta conſuetudinem literas ad omnes Tu dirigas.* Jam pridem igitur moribus

recep-

receptum fuerat, ut Romani Praeſules Literas Paſchales ad univerſas Eccleſias emitterent, indices Feſtivi diei ab omnibus celebrandi. Digna quoque notatu ſunt verba Leonis M. epiſt. 94. ad Marcianum ſcribentis. *Studuerunt itaque Sancti Patres occaſionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandro Antiſtiti delegantes, quoniam apud Aegyptios hujus ſupputationis antiquitùs tradita videbatur eſſe peritia, per quam, qui annis ſingulis dies praedictae ſollennitatis eveniret, Sedi Apoſtolicae indicaretur: cujus ſcriptis ad longinquiores Eccleſias judicium generale percurreret.* Obiter advertas, judicium generale appellari Encyclicas Literas Paſchales, quibus Romani Pontifices Metropolitis ubique omnibus indicebant futuri Paſchatis diem. Certè Leo M. incredibili ſolertia totus incubuit, ut error ille emendaretur, qui eo Anno 455. irrepſiſſe in Canonem Paſchalem ferebatur. Neque verò antiquiores Pontifices iis ſubſidiis deſtituebantur, quae ad rectum diei Paſchalis computum neceſſaria ſunt. Ipſe Victorius Aquitanus Prologi ſui §. III. duorum imprimis ante ſe Cyclorum mentionem facit, & unius quidem LXXXIV. annorum, qui Judaeorum primò, tum Chriſtianorum veterum ſaltem Latinorum fuit: alterius CXII. Annorum, quem ab Hippolyto Portuenſi Epiſcopo conditum ſatis conſtat; & quem in agro Verano Anno 1551. effoſſum, poſt Scaligerum, Gruterum, Buccherium alioſque, non ita pridem ſupplevit, & erudita Diſſertatione illuſtravit literatae Italiae delicium, mihique ſtudiorum conſuetudine familiaris, Franciſcus Blanchinus, non exigua Literarum jactura nuperrimè fato functus. Tametſi enim neſcius non ſim, haud certò ſtatui poſſe, an Hippolytus Epiſcopatum Portus Romani geſſerit, illud tamen extra controverſiam eſſe debet, illius Cyclum Paſchalem Romanae Eccleſiae uſibus ſub initium Seculi III. fuiſſe deſtinatum.

VII. Porrò earum de quibus diximus Paſchalium Literarum duplex forma erat: ſimplex nimirum, qua ſtrictè & breviter annus, menſis, ac dies celebrandi Paſchatis indicebantur; altera verò prolixior, qua Pontifex, nonnullis ad eruditionem praemiſſis documentis, anni characterem adjungebat Epiſtolae,

cum-

eumque, quòd aera Incarnationis nondum obtineret, juxta receptis ſignandorum temporum rationes in Conſulum notatione expreſſum, unà cum menſe, & die. Ejus rei exemplum habes apud Leonem M. in epiſt. 76. ad Ravennium Arelatenſem Galliarum Primatem. *Ad praecipuum Religionis noſtrae pertinet Sacramentum, ut in Feſtivitate Paſchali nulla ſit toto Orbe diverſitas. Et quia hoc divina inſtitutio, & paterna traditio ad noſtram ſolicitudinem voluit pertinere, Fraternitatem tuam ſollenniter admonemus, ut Paſcha Domini celebrandum nobis die decima Kalendarum Aprilium recognoſcas: quod manifeſta ratio patefecit ſacrae obſervantiae hunc diem eſſe legitimum: cujus notitiam per dilectionem quoque tuam, Frater cariſſime, omnibus voluimus declarari, ut quorum in fide eſt una confeſſio, ſit etiam in hac feſtivitate una devotio*. Hac epiſtola indicit Paſcha anni 451., ejuſque occaſione direxit pariter Leo ſuam Dogmaticam, quam quum ſuſcepiſſent Gallicani Epiſcopi, ſummis elogiis reſcribendo comprobarunt, ut in Diſſert. ſeq. ex inſtituto docebimus.

VIII. Alia quoque erat Paſchalium forma, qua Metropolitis denunciabantur dubia, ſiquae circa Paſchatis diem excitarentur. Iccirco quum de Paſchate anni 455. vehementer ambigeretur ab Eccleſiis, omnem operam ſuam in eo poſuit S. Leo, deditque Literas ad Marcianum Imperatorem, ad Julianum Coënſem, & ad Proterium Alexandrinum. Reſcripſerunt ii, omnino ſequendum eſſe Cyclum Theophili. Et quamquam non acquieſceret Pontifex, ob pacem tamen & unitatem Eccleſiarum in praecipuo Chriſtiano ritu non violandam, aſſenſum illis praebuit, eumdemque Cyclum obſervandum eſſe ad Occidentales ſcripſit, quos ceteroquin latere paſſus non eſt Cycli hujus dubietatem. Paſchalis haec epiſtola anno 454. à Leone data, qua ſequentis anni Paſcha juxta incertos Theophili calculos determinat celebrandum, & Eccleſiis Galliarum atque Hiſpaniarum denunciat, legitur num. 109. Edit. Queſn., & ad rem. *Cum in omnibus divinorum praeceptorum regulis exequendis Sacerdotalem obſervantiam oporteat eſſe concordem, maximè nobis & principaliter providendum eſt, ne in Paſchalis feſti die vel igno-*

ignorantia, vel praeſumtio peccatum diverſitatis incurrat. Unde quia tempus ſacratiſſimae ſollennitatis ita diſpoſitos habet limites ſuos, ut ſalutare Sacramentum nunc citiùs, nunc tardiùs oporteat celebrari, non deſinit Apoſtolicae Sedis ſolicitudo proſpicere, ne devotio Eccleſiaſtica aliquo turbetur incerto. Cum autem in quibuſdam adſcriptionibus Patrum futurum proximè Paſcha Domini ab aliis in diem quintumdecimum Kalendas Majas, ab aliis in diem octavum Kalendas ejuſdem inveniretur adſcriptum: tantum me diverſitas iſta permovit, ut Clementiſſimo Principi Marciano curam de hac re animi mei panderem, ut praecipiente ipſo, ab his qui habent hujus ſupputationis peritiam, diligentiùs illic diſcuſſa ratione quaereretur, quo die poſſet veneranda ſollennitas rectiùs celebrari. Quo reſcribente, octavo Kalendas Majas definitus eſt dies. Quia ergo ſtudio unitatis & pacis malui Orientalium definitioni acquieſcere, quàm in tantae feſtivitatis obſervantia diſſidere, noverit Fraternitas veſtra, die octava Kalendas Majas ab omnibus Reſurrectionem Dominicam celebrandam, & hoc ipſum per vos aliis eſſe Fratribus intimandum: ut divinae pacis conſortio, ſicut unâ fide jungimur, ita unâ ſollennitate feriemur. Deus vos incolumes cuſtodiat, Fratres cariſſimi. Data poſt Conſulatum Opilionis quinto Kalendas Auguſtas. Sequitur in Cod. MS. forma indictionis, quae ad omnium fidelium notitiam in Eccleſiis ſingulis ad candelabrum Cerei Paſchalis affigi conſuevit ad hunc modum.

PASCHA
VALENTINIANO III., ET ANTHEMIO COSS.
VIII. KALENDAS MAJAS.

IX. Dubius itaque Leo Pontifex circa veritatem Cycli à Theophilo pridem editi, conſilium ab Imperatore Marciano, & à Proterio Alexandrino poſtulavit: ab illo quidem, ut rem diligenter à praecipuis Aſtronomis examinari juberet; à Proterio autem, ut dubium à peritiſſimis harum rerum & Cyclorum Alexandriae Profeſſoribus diſcuteretur. Cyclum à Palaeſtinis nequaquam petiit Leo, quum illorum Eccleſiae tyrannide Theodoſii Pſeudoëpiſcopi Hieroſolymitani, & rebellium Euty-

Eutychianorum Monachorum tumultibus per ea tempora oppreſſae viderentur. In hac interim inquiſitione normam illam ſecutus eſt Pontifex, quam Innocentius I. praeſcripſerat in epiſt. II. ad Aurelium Carthaginenſem anno 413., quo vehementer diſputatum eſt de calculo ſequentis anni 414., quo Paſcha celebratum fuit die 22. Martii. Scribit proinde ad rem. *Caritatis noſtrae officium nullo intervallo dirimitur, etiamſi charta nullos apices ferat. Vivit enim ſpiritualis gratia alternis in cordibus, & amorem noſtrum confovet Sacerdotalis ipſa Societas. Cur ergo indignum eſt unitatem Eccleſiae cuſtodiri? Idemque omnes pariter & ſentiamus, & pronunciemus, Frater cariſſime. Has ergo literas de ratione Paſchali alterius (dico futuri) anni praeſcripſi. Nam cum ante diem undecimum Kalendarum Aprilium penè Luna XVI. colligatur (nam quidpiam minus eſt) itemque cum in ante diem quartum Kalendarum earumdem veniat viceſima tertia; exiſtimavi undecimo Kalendarum memoratarum die Feſta Paſchalia celebranda: quoniam in viceſima tertia Luna nullum Paſcha unquam ante hoc Paſcha factum eſſe cognoſcimus. Sententiae meae expoſui, atque edixi tenorem. Jam prudentiae tuae erit, conſors mihi Frater, cum unanimis, & conſacerdotibus noſtris hanc ipſam rem in Synodo religioſiſſima tractare: ut ſi nihil diſpoſitioni noſtrae reſultat, nobis pleniſſimè apertèque reſcribas: quo deliberatam Paſchalem diem jam Literis ante (ut moris eſt) ſervandam, ſuo tempore praeſcribamus.* In quo mirum in modum elucet ſolicitudo Apoſtolicorum Praeſulum, qui ut certum atque immunem ab omni errore Paſchalem diem Eccleſiis intimarent, diligens examen corrogatis etiam Conciliorum nationalium votis, praemittere conſueverunt. Certè laudata ſuperiùs Aurelianenſis Synodus ita Victorii Aquitani Cyclum commendat, ut tamen de eodem ſubjungat, agens de Paſchate. *De qua ſollemnitate quoties aliquid dubitatur, inquiſita, vel agnita per Metropolitanos à Sede Apoſtolica ſacra Conſtitutio teneatur.* Neque enim integrum omnino Gallicanis erat, Victorii calculos unicè ſequi: praeſertim cum Victor Capuanus altero Paſchali Cyclo effingendo incumbens, Victorii calculos non unius vitii coärguiſſet.

X.

X. Pontifices verò nonnunquam unà cum epiſtola Paſchali normam quandam precum tranſmittebant, quibus Eccleſiae in Sabbato, & Dominica Reſurrectionis uterentur, ad rituum & precum conſenſionem unitatemque ſtabiliendam. Exſtat de hac re Paſchalis Encyclica Vigilii Pontificis ad Eutherium Epiſcopum, à quo conſultationes & quaeſita aliquot Pontifex acceperat, in vulgatis editionibus inſcripta. Vigilius VII. Capitulis ad poſtulata ſatisfecit; tum accepta occaſione Paſchalis diei indicendi, ſcribit cap. V. *Paſcha verò futurum nos, ſi Deus voluerit, undecimo Kalendarum Majarum die celebraturos eſſe cognoſcite. Ordinem quoque precum in celebritate Miſſarum nullo nos tempore, nulla feſtivitate ſignificamus habere diviſum: ſed ſemper eodem tenore oblata Deo munera conſecrare. Quoties verò Paſchalis, aut Aſcenſionis Domini, vel Pentecoſtes, & Epiphaniae, Sanctorumque Dei fuerit agenda feſtivitas, ſingula Capitula diebus apta ſubjungimus, quibus commemorationem ſanctae Sollennitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus: cetera verò ordine conſueto proſequimur. Quapropter & ipſius canonicae precis textum direximus ſuper adjectum, quem Deo propitio ex Apoſtolica traditione ſuſcepimus. Et ut caritas tua cognoſcat, quibus locis aliqua Feſtivitatibus apta connectes, Paſchalis diei preces ſimiliter adjecimus.* Hactenus quidem epiſtola haec inſcripta, ut diximus, fuit Eutherio Epiſcopo, cujus Sedes ignorabatur. Stephanus Baluzius in nova Collect. Concil. pag. 1467. probat autoritate Codicis MS. epiſtolam datam fuiſſe Profuturo Epiſcopo Braccarenſi anno 538., quo ſolus Conſul erat Johannes, ut propterea adjectio Conſulis Voluſiani mendoſa habenda ſit. Eadem memoratur in Concilio Braccarenſi I., quod anno 561. celebratum eſt; lecta autem, & Actis inſerta, apud Cardin. de Aguirre Tom. II. Concil. Hiſpan. pag. 294. Agunt proinde Epiſcopi illi de unitate in precibus ſervanda, ſeque normam ſecuturos profitentur, quam Vigilius in epiſtola ad Profuturum Braccarenſem praeſcripſerat. *Item placuit*, inquiunt Can. 4., *ut eodem ordine Miſſae celebrentur ab omnibus, quem Profuturus quondam hujus Metropolitanae Eccleſiae Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicae Sedis autoritate ſuſcepit ſcriptum.*

Cete-

Cetera Vigilii Capitula ibidem per ordinem recenſentur.

XI. Sequitur jam, ut qua ratione Paſchales iſtiuſmodi in Orbem vulgarentur, paucis aperiamus. Primò igitur Pontifex aliquot menſibus ante anni exitum emittebat Paſchalem. Sic Leo M. indicturus diem Paſchalem anni 455. Eccleſiis Hiſpaniarum, Galliarumque epiſtolam Paſchalem emiſit die 28. Julii anni 454., ut in eadem epiſtola quae eſt num. 109. perſpicere licet. Vigilius quoque ſuam ad Profuturum emiſit die 29. Julii anni 538. Id verò non alia de cauſſa factum arbitror, quàm ut ad Metropolitas Occidentis deferri maturè & opportunè poſſent ipſae Paſchales. II. Metropolitae eaſdem ſuſcipientes publicabant in Conciliis & Synodis ſuis, quas Autumnali tempore celebrare conſueverunt: ſin minùs ipſo Autumni initio cum Literis ſuis ad ſubjacentes Epiſcopos tranſmittebant. Id enim Canonibus ſuis uſuvenire Concilia voluerunt, ut tribus ante Feſtum Epiphaniae menſibus Primates ſuis Paſchalibus ceteras Eccleſias omnes futuri proximi Paſchatis commonerent. Audienda Patrum Toletanorum verba Can. V. *Solet in Hiſpaniis de ſollennitate Paſchali varietas exiſtere praedicationis: diverſa enim obſervantia Laterculorum Paſchalis feſtivitatis interdum errorem parturit. Proinde placuit, ut ante tres menſes Epiphaniorum Metropolitani Sacerdotes literis invicem ſe inquirant: ut communi ſententia edoceant diem Reſurrectionis Chriſti, & Comprovincialibus ſuis inſinuent, & uno tempore celebrandum enuncient.* Quod multò pridem ſtatuerant Patres Concilii Carthaginenſis III. Can. I. *Placuit ergò in principio propter errorem qui ſaepè ſolet oboriri, ut omnes Africanae Provinciae obſervationem Paſchalem ab Eccleſia Carthaginenſi curent accipere.* Et poſtea in Concilio Caeſarauguſtano Can. II. Toletanum decretum innovatum fuit. *Siquidem ſancta inſtitutio Patrum de ſollennitate Paſchali praecipiat, ut omnes confinitimi Epiſcopi annua viciſſitudine Primatem ſuum inquirant, quo tempore Paſchae tempus peragant: tamen quia didicimus, nonnullos Epiſcopos ſententiam Sanctorum Patrum tranſgredientes, propter quod etiam uſquequaque vigilantes manere: placuit omnibus nobis, ut abinceps cuncti confinitimi Epiſcopi nullam ſibi occaſionem ſubjicientes, aut lon-*

longinquitate itineris praecaventes, annua recurſione feſtivitate Paſchali tempore congruo Primatem ſuum, ſub cujus poteſtatis manſerint regimine, inquirant, ut quo die & tempore illis Paſchae Feſtum pronuntiaverit, ſolicita veneratione peragant. Ad haec Concilium Braccarenſe II. praecepit, ut Clerici in Breviculo ſuo (Breviculum appellabant, quod nos Ordinarium appellamus) eum Paſchatis diem annotarent, qui Praeſulum judicio determinatus foret. Sic enim Can. IX. *Placuit, ut poſtquam omnia in Concilio Sacerdotum fuerint ordinata, illud omnibus modis obſervetur, ut ſuperventurum ipſius anni Paſcha quoto Kal. die, vel quota Luna debeat ſuſcipi, à Metropolitano Epiſcopo nuntietur. Quod ceteri Epiſcopi, vel reliquus Clerus Breviculo ſubnotantes, unuſquiſque in ſua Eccleſia adveniente Natali die Domini, adſtante Populo, poſt lectionem Evangelicam nuntient.* Eadem verò occaſione Primates epiſtolas Formatas ad ſingulos Epiſcopos ſuos conſcribebant, ſtatuente id Concilio Carthaginenſi Can. VII. *Placuit, ut dies venerabilis Paſchae Formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.* Et Leo Pont. anno 454. tantopere elaboravit ad difficultatem elucidandam circa Paſchalem Cyclum, ut diem *in Formatis* denunciare poſſet: Ut propterea id genus epiſtolae non tam indicativae eſſent diei Paſchalis, quàm indices communionis. III. Sollennis & publica hujuſce diei indictio fieri in Eccleſiis conſuevit ipſo die Epiphaniae, quemadmodum ex Aurelianenſi Can. I. perſpicuè diſcimus. *Quae feſtivitas annis ſingulis ab Epiſcopo Epiphaniorum die in Eccleſia populis denuntietur.*

XII. Hae Paſchales epiſtolae ubi receptae & publicè recitatae fuiſſent, examini ſubjiciebantur: & Epiſcopus errores ſiqui emergerent, in iiſdem denunciabat, adjecta plerumque etiam confutatione. Id egit Theophilus Alexandrinus in exſtantibus hodieque ſuis tribus Paſchalibus, de quibus in Diſſert. IV. accuratiùs. Leo M. pariter quum anno 451. Galliarum Praeſulibus Feſtum Paſchatis indiceret, Dogmaticam pariter ſuam unà cum Paſchali direxit. Imò in ipſis Paſchalibus recenter electos Epiſcopos, aut eorum qui obiiſſent nomina conſueverunt Metropolitani deſignare, ut quibus Formatae tra-

dendae eſſent, noſceretur. Priſcae hujus conſuetudinis veſtigium non ineptè dixeris apparere hodieque apud Ordines quoſdam Religioſos, apud quos Superiores undequaque iiſdem de rebus ad Generales ſcribunt, & Generales in Paſchate Literas quas appellant Circulares, quaquaverſum mittere conſueſcunt, ut numerus defunctorum omnibus ſit exploratus. Certè antiquum morem illum Alexandrini Patriarchae etiam Jacobitae ſervarunt uſque ad ann. 859. Nam Sanutius quintus ſupra quinquageſimum Alexandrinus Patriarcha Paſchales ſeu Hortaſticas ad Populos ſuos magna ſcripſit accuratione. Exſtat ex illius Paſchalibus una, eaque dogmatica, de qua verba facit Euſebius Renaudotius in Hiſtoria Patriarcharum Jacobitârum pag. 305. & prolixum ejus fragmentum repraeſentat.

XIII. Hactenus munera & officia Metropolitanorum in Paſchalibus evulgandis deſcripſimus. Sequitur ut quemadmodum Epiſcopi in Paſchali ſollennitate epiſtolis ad invicem & donariis innovarent unitatem, breviter perſpiciamus. Hac enim potiſſimùm occaſione ſinguli ſuas Paſchales exarabant, & in ea quae magis fidei, diſciplinaeque incrementum reſpicerent, proponendo invicem & ſuggerendo unanimes conſpirabant. Cujus rei exempla habes in Gregorio Nazianzeno, ſcribente in epiſt. 53. & 54. ad Helladium Caeſareenſem. Quin etiam & illud ſibi ſumſerunt Epiſcopi, ut inimicitias conſopirent, privatorumque animos ad concordiam adducerent. Hujus argumenti ſunt epiſtolae plurimae Epiſcoporum Africae in geſtis Proconſularibus, quae fervente cauſſa Silvani conſcripta ſunt, & leguntur apud Baluzium Tom. II. Miſcellaneorum pag. 95. & ſeqq. Percurrenda omnino ſunt monumenta hujuſmodi, quibus mutuarum epiſtolarum quae Paſchatis tempore uſuvenerunt, ſcopus aperitur. Haud aliter Theophilus Alexandrinus, gnarus jurgiorum quae Johannem Hieroſolymitanum, Epiphanium, & Hieronymum collidebant in cauſſa Origeniana, direxit ad illos Iſidorum Preſbyterum cum literis Pacificis ad utramque partem, quae Hieroſolymis in die Paſchatis recitarentur. *Namque inſtabat dies Paſchae: frequens Monachorum turba*

ba convenerat, praedictas Theophili literas auditura, teſte ipſo Hieronymo in epiſt. 61. pag. 129. Eadem ſollennitate currente, celeberrima & Chriſto Servatori, & ſibi invicem encomia dicebant Epiſcopi. Quapropter Paulus Samoſatenus hymnos Encomiaſticos Chriſto ut Deo hactenus decantatos, in ipſo feſto Paſchatis abrogavit, eoſque tantum adhiberi juſſit qui in laudem propriam fuerant nuper excogitati, ut in Encyclica Antiochena obſervabimus.

XIV. Interim accuratè tenendum eſt diſcrimen Feſtivarum, & Paſchalium Literarum. Paſchales dabant Primates & Metropolitani ad ſubjacentes Epiſcopos, non praetermiſſis mutuae ſalutationis, concordiae, caritatiſque officiis. Paſchales id genus epiſtolas ſcripſit plurimas Avitus Viennenſis, apud Sirmondum Tom. II. pag. 101. & ſeqq. Inter alias in epiſt. 52. ſcribit ad Viventiolum Lugdunenſem Epiſcopum. *Feſtivitati Sanctae cumulus, quam proſpera veſtra intercesſione tranſegimus, caritatis apicibus quos direxiſtis, accrevit: & ob id multipliciter reddidit laetiores, quod Eccleſiam quae ubique una eſt, unitas complectitur gaudiorum. Tribuat Chriſtus, ut ſicut anno praeſenti deſideria noſtra felicibus complectitis judiciis: ita quoque tempore ſecuturo viſitationem ſemper optandam Viennenſi Eccleſiae conferatis*. Annuus igitur Paſchalium hujuſmodi & Feſtivarum Literarum uſus ad animorum concordiam collimabat. Quapropter Theodoritus in ſua Paſchali Epiſt. 4. ſcribit. *Feſtivas de more Literas ſcripſimus*. Et Epiſt. 5. *Amicitiae officio fungimur, ut lex Feſti poſtulat*. Eadem phraſi utitur in Epiſt. 26. *Hoc enim & Feſti & Caritatis Lex ſuadet*. Clariùs etiam in Epiſt. 56. *Urget quidem adhuc me triſtitia, & mentem graviter concutit. Attamen diei Feſti legem implere juſtum exiſtimavi. Nunc itaque & ſcribo, & Reverentiam tuam ſaluto, & Caritatis debitum exſolvo*: Feſtivas tamen in ſollennioribus aliis etiam diebus unuſquiſque particularis Epiſcopus adhibebat, alios invitans ad Feſti celebrationem Epiſcopos. Nam & in Natali Domini id olim novimus obtinuiſſe. S. Baſilius in Epiſt. 291. non vicinos tantùm, ſed totius Ponticae Diaeceſeos Epiſcopos ad diem anniverſarium Caeſareen-

ſareenſium Martyrum advocat. *Quocirca cum inter Martyres nobiliſſimi ſint Eupſychus, & Damas, ſociique ipſorum quorum anniverſaria memoria in Urbe noſtra, totaque vicinia celebratur, admonet vos peculiare decus ſuum Eccleſia, voceque noſtra hortatur, ut antiquam viſitandi nos conſuetudinem repetatis.* Imò & Epiſcopi interdum Primatem ſuum ejus rei gratia invitabant. Viventiolus Lugdunenſis per epiſtolam quae apud Sirmondum num. 59. legitur, Avitum Primatem accerſivit. *Ad ſimilitudinem*, ſcribit ille, *divinae benignitatis deliberatio veſtra cultorum ſuorum petitionibus temperetur, ut in ſollennitate S. Juſti plebeculam ſuam Apoſtolatus veſtri viſitatio benedicat.* Reſcripſit ad haec Avitus per epiſtolam quae ibid. legitur num. 55., & quoniam ob res Eccleſiae ſuae erat praepeditus, ut ſe habeat excuſatum rogat. *Juſſioni conſuetudinariae Caritatis ſolito volueram parere ſervitio.* Aliò igitur collineabant Paſchales Epiſtolae, aliò Feſtivae, etiam quae in ipſo Feſto Paſchatis emitti conſueverunt.

CAPUT VI.

DE CONTROVERSIA LAPSORUM AEVO CYPRIANI, DEQUE ENCYCLICIS IN EA EDITIS.

SIquando in Eccleſiaſticis contentionibus deprehenſum eſt, uſum Encyclicarum non tam ad Fidei puritatem ſartam tectamque ſervandam, quàm ad diſciplinam rectè conſtituendam magni eſſe emolumenti, id certè contigit in controverſia de Lapſis excitata, cujus componendae gratia celeberrimae Encyclicae in Orbem ſunt evulgatae. Solae Cypriani Epiſtolae & Tractatus ea de cauſſa conſcripti, adeò & rationem Encyclicarum edendarum, & illarum autoritatem magiſteriumque commendant, ut nihil ſupra. Rem itaque ab origine ſua repetentes, ita in hoc argumento verſabimur, ut quae olim controverſia pleraſque Orbis Eccleſias vexavit, & hodie inge-

ingenia exercet eruditorum hominum, fortaſſe enodata penitùs & diſcuſſa videri poſſit.

ſ. I.

Proponitur Occaſio excitatae controverſiae de Lapſis.

SYNOPSIS.

I. *Decii perſecutio excitatur.* II. *Praeiverat ſeditio popularis adversùs Chriſtianos.* III. *Ii praeſertim exagitati in Urbibus Autonomia praeditis.* IV. *Plurimi ſub Decio à fide prolapſi ſunt.* V. *Controverſias de Lapſis hinc ſeveritas Montaniſtarum, inde Martyrum laxitas in Eccleſiam invexit.* VI. *Varia etiam apud Eccleſias erat diſciplina circa poenitentiam Lapſorum.* VII. *Nimiam hac in re Afrorum Presbyterorum indulgentiam perſtringit Cyprianus.* VIII. *De communi temperamento & lege ſtabilienda à Catholicis actum eſt.*

I. QUinquageſimus ſupra Ducenteſimum Chriſti annus agebatur, quum Decius Imperator odio percitus in Philippum Auguſtum, qui rem Chriſtianam viſus fuerat promoviſſe, grave edictum perſecutionis vulgavit. Qua in re Lactantii verba, de Mortibus Perſecutorum cap. 4., digna ſunt quae hîc habeantur. *Exſtitit jam poſt annos plurimos exſecrabile animal Decius, qui vexaret Eccleſiam. Quis enim juſtitiam niſi malus perſequatur? Et quaſi hujus rei gratia provectus eſſet ad illud principale faſtigium, furere protinus contra Deum coepit.* Quieverat enim poſt Decii tempora uſque ad Domitianum inter Perſecutores poſtremum, Chriſtiana Eccleſia, ſi tamen excipias Populorum quaſdam ſeditiones, quibus non per imperium univerſum, ſed aliquibus tantum in locis ſaevitum eſt ob pertinaciores Sacerdotum calumnias adversùs Chriſtianos. Hinc Prudentius lib. 2. contra Symmach. v. 669., praetermiſſo Do-

Digitized by Google

mitiano cujus brevior fuit perſecutio, Neroni Decium ſubjungit comparatque.

Illius inſtinctu primus Nero matre peremta
Sanguinem Apoſtolicum bibit, ac me ſtrage piorum
Polluit, & proprium facinus mihi ſaevus inuſſit.
Poſt hunc & Decius jugulis bacchatus apertis,
Inſanam pavit rabiem: mox & ſitis arſit
Multorum ſimilis.

II. Praeceſſerat ſuperiori anno ferox Aegyptiaca ſeditio, quae furore Populi agente, in perſecutionem Chriſtianorum evaſit, teſtante Dionyſio Alexandrino in epiſtola ad Fabium. *Nequaquam ex Imperatoris edicto perſecutio coepta eſt, quippe quae integro anno anteverterat. Etenim infauſtus quidam Vates ac Poëta, quiſquis ille fuit, commoverat jam antea atque incitaverat adversùs nos Gentilium turbas, ad innatam gentis ſuperſtitionem animos eorum incendens. Ab hoc igitur homine ſtimulati, omnemque ad patranda ſcelera licentiam nacti, hanc ſolùm pietatem cultumque Daemonum ſuorum exiſtimabant, ſi caedibus adversùs noſtros ſaevirent.* Quod fragmentum epiſtolae Dionyſii habet Euſebius Hiſt. lib. 6. cap. 41. Pergit autem ille prolixiùs enarrare graves jacturas Alexandriae ex eo Populi tumultu Chriſtianis illatas. Et antea Autores Encyclicae Lugdunenſis apud Euſebium lib. 5. cap. 1. notaverant, initia haec perſecutionum à populari tumultu ducta, in atroces aerumnas Chriſtiani nominis profeſſores conjeciſſe. *Ac primum quidem*, verba ſunt Encyclicae, *quaecumque à Populo univerſo acervatim ingerebantur, conſtantiſſimè tolerarunt: acclamationes ſcilicet, plagas, raptationes, ſpoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres, cuncta denique quae vulgus furore & rabie concitatum, adversùs hoſtes & inimicos comminiſci ſolet.* Nec mirum eſt ex inconditis vocibus ſuperſtitioſae plebis ſaeviſſimas quandoque perſecutiones excitatas, & cum nocentibus innocentes oppreſſos fuiſſe. Intantùm hoc & ſuperiore Seculo tumultuoſae plebis voces invaluerunt, ut compeſci illas Imperialibus edictis opus fuerit ſub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano, L. Decurionem 12. Cod. de Poenis. *Quumque*

à

à Populo acclamatum eſſet, *iterum dixerunt Imperatores*: *Vanae voces Populi non ſunt audiendae: nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant*. Et Paulus Sent. 22. lib. 5. in principio. *Autores ſeditionum & tumultus, populo concitato, pro qualitate dignitatis aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur, aut in Inſulam deportantur*.

III. Ac Populi quidem praeſertim Urbium inſignium id jure autonomiae vendicare ſibi videbantur. Illis enim Imperatores nonnunquam concededant, ut quum eſſent Romano Imperio ſubjecti, legibus tamen ſuis, ſuo jure, ſuiſque Magiſtratibus uterentur. De quo Livius lib. 33. cap. 30. *Ut omnes Graecorum civitates quae in Europa, quaeque in Aſia eſſent, libertatem, ac ſuas leges haberent*. Et ante Livium id ipſum annotaverat Cicero Verrina 2., ubi de Siciliae Urbibus. *Ut cives inter ſe ſuis legibus agerent*. Hac libertate donati Cives, ſiquae admitti contra Deos patrios & Religionem animadverterent, in ſeditionem à Sacerdotibus concitati, acclamationibus vel ſe ſe invicem, vel Magiſtratus ſuos ad Novatores conterendos impellebant. Hinc Pontifices & Sacerdotes Judaeorum qui legibus propriis utebantur, eò plebem adduxerunt, ut Salvatorem morti adjudicarent. Hanc Judaïcam acclamationem Tertullianus in Apolog. cap. 21. ſcitè appellavit Suffragiorum violentiam. *Ut poſtremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentia ſuffragiorum in crucem Jeſu dedi ſibi extorſerit*. Similiter Lactantius Inſtitut. 4. 8. *Tum Pontius & Judaeorum clamoribus, & Herodis Tetrarchae inſtigatione, metuentis ne regno pelleretur, victus eſt*. Eo populari jure, atque in ea plebis ſeditione Protomartyr Stephanus lapidibus obrutus fuit. Et Paulus quoque in pari ſeditione periculum capitis ſubiiſſe perhibetur Actor. 21. v. 26. *Sequebatur eum multitudo Populi clamans: Tolle eum*. Autonomia pariter donatus Smyrnenſis populus Polycarpum ad mortem petiit, & Proconſuli dixit. *Hic eſt Doctor Aſiae, & Pater Chriſtianorum, everſor Numinum noſtrorum, qui multis praecepit, ne ſacrificent, neve Deos immortales adorent*. Imò ne Pro-

conſulis quidem ſententiam de eo praeſtolantur, ſed inquiunt *ad Philippum Aſiarcham, ut Leonem adversùs Polycarpum emitteret.* Quod legimus in Encyclica Smyrnenſi apud Euſebium lib. 4. cap. 15. Apoſtolus Paulus iterum Athenis à Populo ad Areopagum damnandus deductus eſt. Frequenter occurrunt in Actis Martyrum clamores hujuſcemodi populares: & Cyprianus, ipſomet referente, in hac ipſa Deciana perſecutione à Carthaginenſi plebe expetitus fuit, ut ad Leones in theatrum duceretur: adeo ut anno 250. elegerit ab Urbe ſecedere, & per integrum biennium quo perſecutio illa truculentius graſſata eſt, in ſeceſſu permanſerit, in tanto rei Chriſtianae diſcrimine Fidelium ac Martyrum inſtructioni operam opportuniorem daturus.

IV. Edictis igitur Decii in tam immanem furorem adacta fuit Ethnica plebs, ut Chriſtianorum plurimi cum vim tormentorum & cruciatuum ferre non poſſent, paganicis ſacrificiis ſemet polluerint, atque in apoſtaſiam lapſi ſint. Infelicem illorum ſortem recolit Cyprianus in Epiſt. 10. ad Martyres, quae ſimul encomiaſtica, & hortatoria eſt, lapſumque plurimorum deſcribit. *Ut quos vinculum confeſſionis, & hoſpitium carceris ſimul junxit, jungat etiam conſummatio virtutis, & corona coeleſtis: ut lacrymas Matris Eccleſiae, quae plangit ruinas & funera plurimorum, vos veſtra laetitia tergeatis, & ceterorum quoque Stantium firmitatem veſtri exempli provocatione ſolidetis.* Quae ſaepius à Cypriano inculcata obſervabis. Lapſi verò illi potiſſimum dicebantur, qui in hac Decii perſecutione fidem vel apertè abnegaverant, vel libellis commaculaverant.

V. Quae porrò circa Lapſos eoſdem excitata eſt controverſia, originem à Montaniſtis ducit. Ii enim fuco rigidioris diſciplinae capitalia quaedam crimina dixerunt inacceſſibilia, de quibus ſcilicet ſalutari poenitentia redimendis nulla Eccleſiae poteſtas à Chriſto relicta fuerit. Tametſi igitur illorum criminum rei reconciliationem peterent, & certis contriti humiliatique animi indiciis ſatis oſtenderent indubium propoſitum recedendi deinceps ab iiſdem criminibus, ex ſententia tamen Montani-

taniſtarum ne in ipſo quidem vitae exitu indulgentiam poterant adipiſci. Dogma hoc non uno in opere Tertullianus ejuſmodi Sectae jam adſcriptus ſuſcepit defendendum. Severitas autem illa mirè propagata eſt ſubinde à Schiſmaticis Novatiani aſſeclis, qui ut ſuo loco dicemus, illud idem dogma de peccatis quibuſdam inacceſſibilibus arripuerunt, & non aliter ac Montaniſtae, Lapſis nonnullis ab Eccleſia veniam aut debere, aut poſſe concedi pernegarunt. Contra verò in Africa alia diſſenſionum materies data eſt. Conſueverat pridem Eccleſia illa ad preces Martyrum quidpiam de laborioſis operibus remittere, atque indulgere iis qui ſalutaribus poenitentiae officiis addicebantur. Hinc Martyres quidam animo paulliſper elatiores jactitabant, id ſibi martyrii praerogativa competere, ut ab omnibus ſatiſfactoriis operibus poenitentes omninò liberarent. Quod in tantam diſciplinae Canonicae laxitatem devenit, quaſi latè ad delinquendum pateret via, ut quicumque libellum à Martyribus ſubſcriptum obtinerent, ſpretis Sacerdotum correptionibus, nec ſervato poenitentiae tempore quod ſacri Canones praeſtituerant, pacem & reconciliationem ſibi facilè attribuerent. Modum huic rei dandum eſſe, & ſalubri aliquo temperamento conſulendum jacturis diſciplinae & morum, Epiſcopi clamitabant. Hinc novum in Africa diſſidium, nova factio Schiſmatica graſſari coepit. Factionis duces erant Felix, Jovinus, Maximus, Repoſtus, & Fortunatus, qui ſpecie defendendi juris quod Martyribus quaeſitum fuerat, docuerunt, peccatoribus & quibuſcumque graviorum criminum reis ad ſimplicem Martyrum petitionem, nulla Sacerdotum aut Epiſcoporum ratione habita, pacem eſſe concedendam. Incoepit cum ipſa Decii perſecutione haec factio, ut ſcribit Cyprianus in epiſt. 55. ad Cornelium. *Taceo itaque de fraudibus Eccleſiae factis, conjurationes, adulteria, & varia delictorum genera praetereo: unum illud in quo non mea, ſed Dei cauſſa eſt, de eorum facinore non puto eſſe reticendum: quod à primo ſtatim perſecutionis die, cum recentia delinquentium facinora fervoerent, & ſacrificiis nefandis non tantum Diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſae lapſorum atque ora fumarent, communicare cum lapſis,*

&

& poenitentiae agendae intercedere non deſtiterunt. Loquitur Sanctus Antiſtes de ſupradictis factioſis viris, qui Romano more velut Tribuni plebis apud Martyres id agebant, ut praeproperam lapſis omnibus pacem largirentur: unde veniae facilitas peccati videbatur incitamentum. Iccirco Cyprianus periculoſae hujus corruptelae Martyres ipſos commonet in epiſt. 15. *Cum comperiſſem eos, qui ſacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent, vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam polluiſſent, exambire ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione corrumpere, ut ſine ullo diſcrimine atque examine ſingulorum darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem: literas feci, quibus Martyres & Confeſſores conſilio meo quantum poſſem ad Dominica praecepta revocarem*. Nihiloſecius tamen Factioſorum turba uſque adeo crevit, ut jam populares ipſi Epiſcopos exagitarent, qui velut divinitùs conſtituti vindices Evangelicae & Eccleſiaſticae diſciplinae noxiis illis & novitiis dogmatis modum facere elaborabant. Teſtatur id Cyprianus in epiſt. 23. ad Clerum Romanum exarata. *Denique hujus ſeditionis origo jam coepit. Nam in Provincia noſtra per aliquot civitates in Praepoſitos multitudinum factus eſt, & pacem quam ſemel cunctis à Martyribus & Confeſſoribus datam clamabant, confeſtim ſibi repraeſentari coëgerunt, territis & ſubactis Praepoſitis ſuis, qui ad reſiſtendum minus virtute animi & robore fidei praevalebant. Apud nos etiam quidam turbulenti, qui vix à nobis in praeteritum regebantur, per hanc epiſtolam veluti quibuſdam facibus accenſi, plus exardeſcere, & pacem ſibi datam extorquere coeperunt*.

VI. Verum nec apud Epiſcopos una fuit circa Lapſos diſciplinae ratio, non unus mos Eccleſiarum. De quo Albaſpinaeus in ſuis Obſervationibus, & Morinus in praeclaro de Poenitentia opere. Rigidior ſane diſciplina illa qua rei graviorum criminum addicebantur perpetuae poenitentiae, aliquandiu obtinuit, donec Zephirinus Romanus Pontifex jure remiſſo & benigniore utendum eſſe ſanxit. Occaſionem immutatae diſciplinae ex Anonymo diſcimus, qui haereſim Artemonis oppugnavit, & quid ſua aetate circa diſciplinam illam contige-

tigerit, hiſce verbis prodit, apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 18. *Erat quidam Natalis nomine Confeſſor, qui non ita pridem, ſed noſtra aetate vixit. Hic fortè in fraudem inductus eſt ab Aſclepiodoto, & altero quodam Theodato Argentario. Ambo autem iſti diſcipuli erant Theodoti illius Coriarii, qui primus ob hanc doctrinam ſeu potius inſaniam à Victore, ut dixi, tunc temporis Epiſcopo, ab Eccleſiae communione rejectus eſt. Hi perſuaſerunt Natali, ut accepto ſalario Epiſcopus crearetur, ea ſcilicet conditione, ut menſtruos centum quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur illorum partibus ſaepe à Domino corripiebatur in ſomnis. Clementiſſimus enim Deus ac D. N. J. C. eum qui paſſionum ſuarum teſtis exſtiterat, perire extra Eccleſiam nolebat. Sed cum nocturnas ejuſmodi viſiones negligeret Natalis, utpotè honore primae apud illos Sedis, & turpis lucri cupiditate (quae multis mortalibus exitio eſt) ineſcatus, tandem à Sanctis Angelis per totam noctem flagris caeſus & graviſſimè verberatus eſt. Adeo ut primo diluculo conſurgens ſaccum induerit, & cinere conſperſus, confeſtim cum lacrymis ad pedes Zepherini Epiſcopi ſe ſe abjecerit, non ſolum Cleri, verum etiam Secularium veſtigiis advolutus, & Chriſti miſericordis Eccleſiam ipſam miſericordem fletibus ſuis commoverit atque converterit. Multiſque precibus uſus, oſtenſis etiam vibicibus plagarum quas pro Chriſti confeſſione pertulerat, vix tandem ad confeſſionem admiſſus.* Factum hoc ita Zephirini Pontificis animum perculit, ut decretum illud edendum eſſe cenſuerit, quod Tertullianus in lib. de Pudicitia falsè quidem, ſed verè peremtorium appellat, & quo Lapſos poenitentiâ functos communione ſub exitum vitae donandos eſſe edicitur.

VII. Sed praetermiſſa hoc loco varia circa lapſos admittendos Eccleſiarum diſciplina, in eam potiſſimum inquiramus, quae communius aevo Cypriani recepta erat. Corruptam illam atque admodum luxatam fuiſſe, ipſe Cyprianus teſtis eſt in epiſtola 16. Arguit ex Clero nonnullos qui Lapſis veniam paſſim concedebant, atque adeo Presbyterorum illorum culpam ad hunc modum exagitat. *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores poenitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinae ordi-*

ordinem ad Exomologeſim veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri jus communicationis accipiant: nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiae ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum: & nondum poenitentia acta, nondum Exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur. Et in epiſt. 17. ad Plebem Carthaginenſem. *Audio tamen quoſdam de Presbyteris nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres ſcripſerint, cogitantes, nec Epiſcopo honorem Sacerdotii ſui & Cathedrae reſervantes, jam cum Lapſis communicare coepiſſe, & offerre pro ipſis, & Euchariſtiam dare, quando oporteat ad haec per ordinem perveniri. Nam cum in minoribus delictis, quae non in Dominum committuntur, poenitentia agatur juſto tempore, & exomologeſis fiat, inſpecta vita ejus qui agit poenitentiam, nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo & Clero manus fuerit impoſita; quanto magis in his graviſſimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè ſecundum diſciplinam Domini obſervari oportet? Vos quidem noſtri Presbyteri, & Diaconi monere debuerant, ut commendatas ſibi oves foverent, & divino Magiſterio ad viam deprecandae ſalutis inſtruerent. Ego plebis noſtrae & quietem novi pariter & timorem, qui in ſatisfactione Dei & deprecatione vigilarent, niſi illos quidam de Presbyteris gratificantes decepiſſent. Vel vos itaque ſingulos regite, & conſilio ac moderatione veſtra ſecundum divina praecepta Lapſorum animos temperate: nemo adhuc importuno tempore acerba poma decerpat: nemo navem ſuam quaſſatam & perforatam fluctibus, priuſquam diligenter refecerit, in altum denuo committat: nemo tunicam ſciſſam accipere & induere properet, niſi eam & ab artifice perito ſartam viderit, & à fullone curatam receperit.* Haec eadem in epiſtolis aliis inculcat Cyprianus. Atque ad has diſciplinae rationes mentem haud-dubiè intenderunt Patres Concilii Epaönenſis can. 29. *Lapſis, id eſt, qui in Catholica fide baptizati ſunt, ſi praevaricatione damnabili poſt haereſim tranſierint, grandem redeundi difficultatem ſanxit Antiquitas.*

VIII. Quum igitur hinc Decii perſecutio ſaeviret, inde factio-

ctiones Montani, & Novatiani peccata quaedam contra Dominum admiſſa, inacceſſibilia eſſe docerent: Schiſmatici verò nullo praemiſſo examine, delectuque omni poſthabito contenderent, Lapſis promiſcue omnibus veniam eſſe permittendam; agi coeptum eſt à Catholicis Epiſcopis de ſalubri aliquo temperamento, quo & Haereticis, & Schiſmaticis modus imponeretur, ſimulque robur diſciplinae circa poenitentiam firmum ſubſiſteret: atque adeo & remedia Lapſis, & impedimenta lapſuris objicerentur. Quod per Encyclicas factum eſſe, paullo infra demonſtrabimus.

§. II.

De varia Martyrum, & Lapſorum conditione aevo Cypriani ab Eccleſiis expenſa.

SYNOPSIS.

I. *Martyrum in Eccleſia dignitas, gradus, & autoritas.* II. *Stantes qui eſſent, & unde dicti.* III. *Stantes ex ordine Martyrum ſuo loco baberentur.* IV. *Stantes, & Exercitati Martyres tum Synodalibus decretis, tum Libellis Lapſorum ſubſcribere poterant.* V. *Lapſorum genera recenſentur.* VI. *Iis accenſiti qui jurabant per genium Caeſaris.* VII. *Qui Sacrificati.* VIII. *Qui Tburificati.* IX. *Qui Libellatici: deque iis Cypriani & Cleri Romani ſententia.* X. *Erant qui opinarentur, Libellaticos omni crimine vacare, quod Libellis non aliter quam data occaſione uterentur.* XI. *Hanc ſimulationem Religionis adhiberi poſſe, Veteribus Haereſiarchis placuit.*

I. IN Encyclicis Eccleſiarum Smyrnenſis primùm, tum Lugdunenſis, & Viennenſis abunde perſpeximus, quanta accuratione, ſolertia, & moderamine uſi ſint Eccleſiaſtici Praeſules, antequam Martyrem aliquem Fidelibus proponerent ve-

no-

nerandum. Declararunt non ſemel, quodnam martyrium exiſtimari oporteret Evangelio conſentaneum, & qui Exercitati Martyres eſſent appellandi, quorum ſcilicet tantopere habita ratio eſt tum poſt conſummatum martyrium, tum antea conceſſis praerogativis. Iis enim qui poſt confeſſionem, poſt carceres & tolerata tormenta eſſent ſuperſtites, id honoris elargiti ſunt Antiſtites, ut gradum in Eccleſia conſtituerent. Quin eò dignitatis pervenerunt, ut Synodum ipſi aliquando celebrarint & decreta ediderint, ſcribente autore Libelli Synodici. *Synodus... in Gallia congregata à Confeſſoribus, quae Montanum, & Maximillam abdicavit: cujus decretum ad eos qui in Aſia erant, Fideles dimanavit*. Ab eo equidem tempore Martyrum epiſtolae frequentes in vulgus emanarunt, à ſacris ipſis Tractatoribus veneranter exceptae. Cyprianus diſciplinae hujus aſſertor paſſim in epiſtolis ſuis conditiones exponit veri Martyris, & quotquot hujuſmodi ſunt, appellat Stantes, Floridos, Coronatos, & Conſummatos. De quibus ad eorum illuſtrationem, quae poſtea dicenda ſunt, nonnulla praefabimur.

II. Stantes generatim illi omnes dicebantur qui in emiſſa confeſſione perſiſtebant immutabiles. Et hoc titulo Cyprianus in epiſt. 31. fideles omnes juſtos à Lapſis diſcriminat. *Oremus pro Lapſis, ut erigantur: oremus pro Stantibus, ut non ad ruinam uſque tententur*. Phraſeologia haec è divinis Scripturis petita eſt. Apoſtolus enim ad Roman. cap. 11. v. 20. ſcribit. *Propter incredulitatem fracti ſunt: Tu autem ſta, & noli altum ſapere; ſed time*. Et cap. 14. v. 4. *Domino ſuo ſtat..... potens eſt enim Deus ſtatuere illum*. Et id quidem ſingulare eſſe Dei donum, atque ab eo poſtulandum, monet in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 10. v. 12. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. Et cap. 15. v. 1. Stantes in Evangelii confeſſione commendat. *Evangelium quod praedicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis*. Eadem voce utitur quum permanentiam in fide recolit, in 2. ad Corinth. cap. 1. v. 21. *Adjutores ſumus gaudii veſtri: nam fide ſtatis*. Et de Epaphra Coloſſenſium Apoſtolo ſcribit in epiſt. ad Coloſſenſes cap. 4. v. 12. *Semper ſolicitus pro vobis in orationibus, ut ſtetis perfecti*.

Digitized by Google

fecti. Hinc apud eundem Apoſtolum cap. 1. v. 5. epiſtolae ad Galatas, Stantes & Servi opponuntur. *State, & nolite vos iterum jugo ſervitutis contineri.* Ad quod facit & illud Zacchariae cap. 3. v. 7. *Haec dicit Dominus exercituum: ſi in viis meis ambulaveris, & cuſtodiam meam cuſtodieris, tu quoque judicabis domum meam, & cuſtodies atria mea: dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hic aſſiſtunt.* Hebraeus legit. *Ambulanti in viis Domini ſors erit inter Stantes.* Fideles Stantes, id eſt, qui in confeſſione & bonis operibus perſeverarent, ad ſuffragia eſſe vocandos, ſcribit Cyprianus in epiſt. 14. *Hoc enim & verecundiae, & diſciplinae, & vitae ipſi omnium noſtrum convenit, ut Praepoſiti cum Clero convenientes, praeſente & Stantium plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor adhibendus eſt, diſponere omnia communis conſilii Religione poſſimus.* Et clariùs in epiſt. 27. *Quando Eccleſia in Epiſcopo, & Clero, & in omnibus Stantibus ſit conſtituta.* Eorumdem preces plurimi facit idem Cyprianus.

III. Ex ordine autem Martyrum Stantes erant qui poſt varias Praeſidum & tyrannorum inſectationes, poſt martyrii cruciatus, perſtitiſſent immobiles. Hos tametſi pauperes condignis honoribus ſubſidiiſque afficiendos eſſe, ſcribebat Cyprianus epiſt. 37. *Pauperibus quoque . . . . cura & diligentia veſtra non deſit: ii tamen qui in fide Stantes, & nobiſcum fortiter militantes Chriſti caſtra non reliquerunt.* Eorum literas prae ceteris recipi oportere, decernit in epiſt. 30. *Quanto meliores ipſorum literae fuiſſent, ſi pro ipſis preces Stantium humilitate ipſorum adjutae fuiſſent: quoniam & faciliùs impetratur quod petitur, quando is pro quo petitur, condignus eſt, ut quod petitur impetretur.* Totus eſt in epiſt. 10. ut Stantium Martyrum gloriam encomiis celebret. Flórida confeſſio, & Floridi Martyres in epiſt. 21. dicuntur, qui fortes in confeſſione, paratoſque ad quidquid ſubeundum ſe ſe commonſtrarent: Coronati, qui in fide & Religione tenenda mortem obirent: Conſummati, qui iis omnibus ſtrenuè defuncti, quae Martyribus erant ſuperanda, in confeſſione occumberent.

IV. Martyres illi qui Stantes & exercitati appellabantur, inter alias praerogativas quibus ab Eccleſia cohoneſtati ſunt, illam quo-

quoque adipiſcebantur, qua in Eccleſiaſticis controverſiis ferre ſuffragium, & contentiones ſententia ſua componere poſſent. Perſpeximus id in Encyclica Lugd., & Viennenſi. In Synodo quoque Carthaginenſi ſub Cypriano Epiſcopos plurimos velut Martyres ſubſcripſiſſe novimus, non inutili gradus acceſſione ad decretorum aequitatem commendandam: quemadmodum ex iis quae paullo infra diſputabimus, perſpicuè conſtabit. Sed & alia eos praerogativa à ceteris ſecernebat, qua ſcilicet Martyres quoties ad ipſos recurrerent Lapſi, porrectis libellis ſubſcribebant, quibus iidem Lapſi apud Epiſcopos vel pacem, vel poenarum impetrabant relaxationem. De hac illorum praerogativa agit Tertullianus in libro ad Martyres. *Quam pacem quidam in Eccleſia non habentes, à Martyribus in carcere exorare conſueverunt. Et ideo eam etiam propterea in vobis habere & fovere & cuſtodire debetis, ut ſi forte & aliis praeſtare poſſitis.* Quamquam idem ſcriptor, quum ad caſtra Montaniſtarum tranſiiſſet, hanc in Martyribus praerogativam irridet & inſectatur, quum ſcilicet Martyres pro iis criminibus Epiſcopos exorarent, quae gregis illius homines inacceſſibilia appellitabant. Confer ſis librum Tertulliani de Pudicitia cap. 22. Contra verò cum multis in locis, tum praeſertim homil. 10. in Libr. Numerorum Origenes ea jura Martyribus attributa commendat: & S. Cyprianus, tametſi illis modum imponi aliquem peroptaret, non interim illaudata praetermiſit.

V. Lapſi de quibus contentio orta eſt, ii erant qui tempore Decianae perſecutionis, confeſſionem fidei & gloriam Chriſtiani nominis aliquomodo laeſerant. Namque jure Canonum communio illis vel ipſo in exitu vitae denegabatur, & perpetuae poenitentiae, graviſſimiſque poenis ſubeundis addicebantur. Horum familiam ducebant Apoſtatae, quibus pro criminis gravitate nonniſi rariſſimè venia conceſſa eſt. Et de his cum ſua Carthaginenſi Synodo Cyprianus ad Cornelium ſcripſit in epiſt. 57. *Intereſſe debet, Frater Cariſſime, inter eos qui vel apoſtataverunt, & ad ſeculum cui renunciaverant, reverſi gentiliter vivunt, vel ad haereticos transfugae facti, contra Eccleſiam parricidialia quotidiè*

arma

arma ſuſcipiunt : & inter eos qui ab Eccleſiae limine non recedentes, & implorantes jugiter ac dolenter divina & paterna ſolatia, nunc ſe ad pugnam paratos eſſe, & pro Domini ſui nomine, ac pro ſua ſalute ſtare fortiter & pugnare profitentur.

VI. Alii Lapſi erant qui ut ſe ſe à perſecutionis furore immunes praeſtarent, ſiquando jusjurandum emittere rogarentur, per genium Caeſaris jurabant. Imperatores ipſi, qui in humanis adhuc agentes ſua habebant Altaria ſuoſque Sacerdotes, id moris introduxerant, ut Subditi per Caeſaris genium jurarent. Et inter illos primus fortaſſe Caligula morem uſque adeo promovit, ut interimi nonnullos juſſerit, *quod nunquam per genium ſuum dejuraſſent*, ut obſervat Svetonius in illius vita cap. 27. Hinc Smyrnenſis Encyclica refert, Proconſulem hoc etiam intimaſſe Polycarpo. *Jura per genium Caeſaris :* referente Euſebio lib. 4. Hiſt. cap. 15. Et Tertullianus in Apologetico cap. 32. ad rem ſcribit. *Sed & juramus ſicut non per genios Caeſarum, ità per ſalutem eorum quae eſt auguſtior omnibus geniis. Neſcitis, genios Daemonas dici, & inde diminutiva voce Daemonium.* Occurrit ſaepius in Actis Martyrum, Judices id genus juramenti Chriſtianis propoſuiſſe.

VII. Sacrificati ex Lapſorum ordine illi dicebantur, qui de eſculentis quidpiam quod fuiſſet Diis oblatum, comederent. Illud enim Decius pariter ſuo edicto caverat, ut venalia pleraque omnia prius aut perfuſa, aut libata, aut ſacrificata eſſent, quò detegerentur Chriſtiani, quibus ea non comedere religio erat, ut diſcimus ex Actis SS. Terentii, Africani, & Sociorum. Eadem prodit Lactantius de Mortibus Perſecut. cap. 37.

VIII. Thurificati dicti ſunt illi qui quum ad publicas officinas emturi quidpiam accederent, focis ubique paratis grana thuris injiciebant, quemadmodum ad argumentum idololatrici cultus Edictum imperiale fieri decernebat.

IX. Libellatici ex Lapſis plurimi in hac Deciana perſecutione ſunt appellati. Res à Praeſidibus excogitata ad Gentiles à Chriſtianis ſecernendos ita ſe habuit. Iis qui Idolis ſacra feciſſent, concedebant libellos quoſdam, rei peractae indices & teſtes. Quapropter Chriſtiani ut capitis diſcrimen evaderent, vel pecunia

S li-

libellos hujuſmodi redimebant, vel per alios Gentiles ſacrificia offerentes, nomen proprium libellis adſcribebant, quibus à perſecutione reddebantur immunes. Agit de his prolixè Cyprianus in opuſculo de Lapſis, & gravitatem criminis ità deteſtatur. *Nec ſibi quominùs agant poenitentiam, blandiantur qui etſi infandis ſacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conſcientiam pollucrunt. Et illa profeſſio denegantis, conteſtatio Chriſtiani quod fuerit, abnuentis: feciſſe ſe dixit quidquid alius faciendo commiſit.* Equidem non immeritò. Nam cum Libellus publicorum Actorum indicium eſſet & documentum, cui nomen ejus qui libellum acceperat, inſcriptum erat, ſatis grave ſcandalum Fidelibus ingerebant, ſeque à fide & à nomine Chriſtiano deſciviſſe probabant quicumque libellos illos proferrent. *Plus imò*, proſequitur Cyprianus, *deliquit qui ſecundum hominem Deum cogitans, evadere ſe poenam criminis credit, ſi non palam crimen admiſit. Chriſtus in praeceptis ſuis dicit: qui confeſſus me fuerit, confitebitur eum Filius hominis. Et Chriſtianum ſe putat qui Chriſtianus eſſe confunditur aut veretur? Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit, aut metuit*, Et hunc Cypriani Tractatum Romani Clerici Interpontificio currente, in Eccleſia quum legiſſent, communi ſuffragio approbarunt, Libellaticorum crimen exſecrantes. Scripſit iccirco ex illis unus & omnium nomine epiſtolam, quae eſt num. 32. ad Cyprianum, Romanae Eccleſiae Presbyter Novatianus, & ad rem inquit. *Qui ſe ipſos infideles illicita nefariorum libellorum profeſſione prodiderunt, quaſi evaſuri, irretientes illos laqueis Diaboli, viderentur, quo non minùs quàm ſi ad nefarias aras acceſſiſſent, hoc ipſo quod ipſum conteſtati fuerant, tenerentur. Cum totum fidei ſacramentum in confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum, qui fallaces in executione praeſtigias quaerit, negavit, & qui vult videri propoſitis adversùs Evangelium vel Edictis vel legibus ſatisfeciſſe, hoc ipſo jam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit.* Et idem Romanus Clerus in epiſt. 35. ad Cyprianum ſcripſit. *Sed etiam adversùs illos qui acta feciſſent, licentiam ſuam utique ut ſic ſcriberentur, mandando feciſſent. Non eſt enim immunis à ſcelere, qui ut fieret, imperavit; nec eſt alienus à crimine*

cujus

Digitized by Google

cujus conſenſu, licet non à ſe admiſſum crimen, tamen publicè legitur. Coïverunt igitur in eandem ſententiam Romanus Clerus, & Cyprianus Africae Primas, ut reos exiſtimarent quotquot libellis perſecutionem declinarent. Et iccirco Schiſmatici qui Novatiano adhaeſerant, Sanctum Cornelium cum aliis calumniis inſimularunt, tum *illum libelli labe maculatum eſſe* dixerunt, teſte S. Cypriano in epiſt. 55., qui etiam in epiſt. 68. revocans ad judicium Concilii Carthaginenſis cauſſam Baſilidis & Martialis, recenſet illorum crimina, & inter alia inquit: *Baſilides, & Martialis nefando Idololatriae libello contaminati ſunt*.

X. Ad haec, apud nonnullos invaluerat periculoſa opinio illa ſeu potius Chriſtianae Ethices corruptela, qua nullam in his procurandis, emendis, accipiendiſque libellis noxam admitti arbitrabantur: imò licitum unicuique prorſus id eſſe ad pericula evadenda, & ad cruciatus ac furorem Tyrannorum declinandos. Diù multumque in hujus opinionis falſitate coärguenda inſudarunt ſacri Tractatores, & praeſertim Clerus Romanus, ac Cyprianus qui in exhortatione ad martyrium & rationibus & exemplis demonſtrat, eos omnes qui libellos aut poſtularent, aut acciperent, ne fidem Chriſti confiteri cogerentur, graviſſimo crimine maculari. Pluribus argumentis id ipſum proſequitur, ut Libellaticos uti ſimulatione fidei quae illicita ſemper & damnabilis eſt, exemplis Tti veteris, atque imprimis Eleazari certo demonſtret. *Ac nequis vel libello, vel alicujus rei oblata ſibi occaſione qua fallat, amplectatur decipientium malum munus. Nec Eleazarus tacendus eſt, qui quum ſibi à Miniſtris Regis offerretur facultas, ut accepta carne qua liceret ſibi veſci, ad circumveniendum Regem ſimularet ſe illa edere quae de ſacrificiis atque illicitis cibis ingerebantur, conſentire ad hanc fallaciam noluit, dicens, nec aetati ſuae, nec nobilitati convenire id fingere, quo ceteri ſcandalizarentur exiſtimantes Eleazarum nonaginta annis natum ad Alienigenarum morem relicta ac prodita Dei lege tranſiiſſe: nec tanti eſſe lucrari brevia vitae momenta, ut offenſo Deo incurrerent aeterna ſupplicia.* Et mox. *Sincera prorſus fides, & virtus integra ac ſatis pura, nec Regem Antiochum cogitaſſe, ſed Deum judicem; ut ſciſſe, proficere ſibi ad ſalutem*

Digitized by Google

non poſſet, ſi hominem derideret & falleret: quando Deus qui conſcientiae noſter Judex eſt & ſolus timendus, nec derideri poſſit omnino nec falli. Eadem ſcribit Romanus Clerus in ſuis epiſtolis quae inter Cyprianicas num. 31. & 35. leguntur. Et Cyprianus paſſim ſententiam eandem inculcat in plurimis aliis Literis ad Clerum Carthaginenſem & ad alios tranſmiſſis. Certe in epiſtola ad Antonianum & de eodem crimine copiosè operosèque diſputat, & novum Libellaticorum ſubterfugium refellit, qui vulgo perſuadere conabantur, libellum ſe data occaſione perſecutionis dumtaxat accepiſſe, alioquin nequaquam accepturos. *Quando is*, verba ſunt Cypriani, *cui libellus acceptus eſt, dicat: Ego prius legeram, & Epiſcopo tractante cognoveram, non ſacrificandum Idolis, nec ſimulacra ſervum Dei adorare debere: & idcirco ne hoc facerem quod non licebat [cum occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem, niſi oſtenſa fuiſſet occaſio] ad Magiſtratum vel veni, vel alio eunte mandavi: Chriſtianum me eſſe, ſacrificare mihi non licere, ad aras Diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc praemium, ne quod non licet, faciam*. Eo igitur praetextu crimen ſuum obvelare nitebantur, quod illud data occaſione facerent, ſecus, nulla ratione facturi. Ab hac tamen cavillatione reſipuerunt Libellatici poſtquam & commoniti & redarguti à Cypriano fuerunt, eodem ſanctiſſimo Antiſtite ſcribente ibid. *Nunc tamen etiam iſte qui libello maculatus eſt, poſtquam nobis admonentibus didicit nec hoc ſe facere debuiſſe, & ſi manus pura ſit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conſcientiam tamen ejus eſſe pollutam, flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit, nunc admonetur, & non tam crimine quàm errore deceptus, quod jam de cetero instructus & paratus ſit, conteſtatur*.

XI. Sed & pernicioſam illam opinandi licentiam, idemque inſanum dogma, licitum ſcilicet eſſe Religionem ſimulare, invexerant pridem Haereſiarchae. Praeluſit certè Simon Magus qui atteſtante Origine lib. 6. contra Celſum cap. 6., docuit, quemlibet poſſe exteriùs Religionem ſimulare, modò illibatam ſervet mentem. Eadem opinione ducebatur Menander, quemadmodum ex Tertulliano diſcimus in lib. de Anima cap. 20. Id

quo-

quoque Baſilidianis perſuaſum fuit, liberum cuilibet faſque eſſe negare vel profiteri exteriùs Religionem, prout aut tempus aut neceſſitas ferrent, eodem ſcribente Origene Tractatu 24. in Matth. Et apud Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 39. eam fuiſſe aït Haereſim Helceſſaïtarum, *quae docet, indifferentem rem eſſe Chriſtum abnegare: & eum qui ſapit, ore quidem tenus in ipſo diſcrimine negaturum eſſe, ſed non ex animi ſententia.* Iis gemina ſunt quae apud Epiphanium haer. 19. & S. Auguſtinum de haereſib. num 10. leguntur. Nec defuerunt ſequiori aetate qui illud ipſum irreligioſum dogma promoverint. Quibuſdam Arianam perfidiam conſectari detrectantibus Valens pravum idem conſilium ſuggerebat. *Veniam vobis Numen, etiamſi veſtra ſit vera Religio, facile daturum eſt, qui non veſtra ſponte, ſed vi coacti feceritis: Coactioni enim ſemper defenſio relinquitur: Voluntatis autem eſt accuſatio.* Quod narrat Theodoritus lib. 4. Haeretic. Fabul. cap. 22. Nihil autem eſt, à quo tantopere abhorruerint tam Martyres, quàm Orthodoxi Patres, qui opinionem illam velut falſam & erroneam nunquam non impugnarunt. Et ex Martyrum quidem ordine digna ſunt quae hîc adſcribantur verba Gordii, quae in oratione de illius martyrio reſervavit S. Baſilius M. *Negem ego Deum meum, in cujus cultum ſum educatus? Nonne Coelum, Sol, & Aſtra omnia lumen mihi clauderent ſuum? Credam profectò humum quam pedibus tero, mihi ruituram. Nolite errare: Deus nequaquam irrideri poteſt; ex ore noſtro nos judicat, ex noſtris, inquam, verbis nos ſervat, & damnat. Mihi conſulitis, ut Deum noſſe diſſimulem? Quamobrem? Ut vitam prorogem? Mortem differam? Dies adjiciam? At ſupernae vitae longaevos perdam annos. An ut corporis cruciatus effugiam? At ſic non videbo bona Juſtorum. Nam ire perditum dedita opera, & fraude ac dolo ſaevas Tartari poenas maccrari, manifeſta inſania eſt.*

§. III.

De contentione circa uſum ſummi, & remiſſi Canonum Juris in gravioribus peccatis remittendis.

S Y N O P S I S.

I. *Peccata graviora aliquando poſt poenitentiam, aliquando in exitu vitae, & ne in ipſo quidem exitu aliquando condonabat Eccleſia.* II. *Occaſione ſummi rigoris Montaniſtarum ad mitiorem diſciplinam ſemet inflexit.* III. *Summum jus Canonum, ſtabiliens perpetuam poenitentiam, tenuerunt Cyprianus & Clerus Romanus.* IV. *Cypriano in Africa obſiſtebant Presbyteri laxitatis amantes.* V. *Presbyteris favebant nonnulli Martyres qui vel Epiſcopo inconſulto Libellos ſubſcribebant.* VI. *Utriſque per literas occurrit Cyprianus.* VII. *Martyrum temeritati modum etiam facit Romanus Clerus, & Evangelicum vigorem defendit.* VIII. *Oſtendit, Martyribus hac in re conſulere Epiſcopos debere.* IX. *Factioſorum Presbyterorum laxitati praeiverunt Paulus quidam, & Lucianus qui & Encyclicam ſcribere auſus eſt.* X. *Conſenſio Cypriani, & Cleri Romani.*

I. HActenus non ſemel advertimus, nonnullos arbitratos fuiſſe, peccata illa quae à Montaniſtis inacceſſibilia dicta ſunt, ab aliis verò phraſeologia Johannis Apoſtoli peccata ad mortem appellabantur, ne in ipſo quidem vitae exitu remittenda eſſe, ſed potiùs eorum criminum reos perpetuae poenitentiae eſſe addicendos: ut cujus indigni atque incapaces ab Eccleſiarum Praeſulibus non legitimae poteſtatis defectu, ſed criminis gravitate judicabantur, veniam ab ipſa aeterni Dei clementia exorarent. Namque eodem tempore, quo ſeverior diſciplina haec obtinebat, nihilominus quicumque fidei extorres & perduelles errorum palinodiam canerent, ad communi-

nionem

Digitized by Google

nionem tandem admittebantur. Teſtantur id Eccleſiae Lugdunenſis & Viennenſis in Encyclica, ex qua novimus, à Pothino Epiſcopo Lugdunenſi ſuſceptos fuiſſe, & velut Martyres laudatos aliquos qui publicè fidem antea pernegaſſent. Sic enim apud Euſebium lib. 5. Hiſt. cap. 1. legimus. *Omnes ſiquidem qui à prima ſtatim comprehenſione fidem negaverant, ipſi quoque in carcerem conjecti, eadem quae ceteri Martyres, perferebant. Neque enim illis quidquam tunc profuit fidei ſuae negatio.* Et paullo poſt de Martyrum exercitatorum zelo, quo, fidei licèt perduelles, ejurato errore Confeſſores & Martyres facti fuerant ſubinde & coronati, ſubjungit eadem Encyclica. *Sed per ipſorum tolerantiam immenſa Chriſti Miſericordia tandem illuxit. Quippe mortua jam Eccleſiae membra viventium ope atque auxilio ad vitam revocata ſunt: & Martyres gratificati ſunt iis qui fidem negaverant: ingentique gaudio mater eadem Virgo Eccleſia cumulata eſt, cum eos quos tanquam extinctos abortu ejecerat, vivos jam ac ſpirantes recuperaret.* Haud aliter Natalis, de quo ſupra, etiamſi haereticus & Haereticorum Antiſtes factus fuiſſet, poenitentiâ tamen ductus Zephirini decreto Eccleſiae reſtituitur. Cujus generis exempla ſunt plurima in Hiſtoria Euſebii, & in ſcriptis Sanctorum Patrum. Diſciplinae interim limites ii tunc erant, ut ſummo jure uterentur Eccleſiaſtici Praeſules, & peccatoribus graviorum criminum reis quos perpetuae poenitentiae ſubdebant, communionem aliquando in exitu vitae largirentur, aliquando denegarent. Contra verò erant alii qui remiſſo jure utendum exiſtimarent. Vindices ſummi juris ita cum peccatoribus agebant, ut ſi illi poſt actam primi criminis poenitentiam in aliud ſimile proruerent, nonniſi exantlatis laborioſiſſimae ſatisfactionis operibus poſſent ad communionem reſtitui. Quod eleganter expreſſit Tertullianus in lib. de Poenit. cap. 9. *Hujus igitur poenitentiae ſecundae & unius quantò in arto negotium eſt, tantò operoſior probatio eſt: ut non ſola conſcientia praeferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur. Is actus exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtro confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione deponitur, confeſſione poeniten-*

tia naſcitur, poenitentia Deus mitigatur. Itaque exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt, converſationem injungens miſericordiae illicem: de ipſo quoque habitu atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum moeroribus dejicere, illa quae peccavit, triſti tractatione mutare: ceterum & potum pura noſſe, non ventris ſcilicet, ſed animae cauſſa: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiſcere, lacrymari, mugire dies noctesque apud Dominum Deum ſuum, Presbyteris advolvi, & Caris Dei adgeniculari, omnibus Fratribus legationes ſuae deprecationis injungere.

II. Intemperans rigor à Montaniſtis inductus, quo peccatis aliquibus aditum omnem poenitentiae intercludebant, reoſque adigebant ad deſperationem, locum Eccleſiae tribuit, ut collatis conſiliis maturiùs hac in re aliquid deliberaret. Poſt Encyclicam Lugdunenſem, in qua Apoſtatis & publicis fidei perduellibus ad Martyrum preces venia decreta eſt, conceſſumque & denunciatum Eccleſiis, ut hujuſcemodi homines velut Sanctos venerarentur, ceteri per Orbem Antiſtites ad mitiorem diſciplinam inflexi fuerunt. Probavit id ſuo facto ſuoque, ut loquebatur Tertullianus, decreto peremtorio Pontifex Zephirinus. Atque adeò Dionyſius uterque, Corinthiacus & Alexandrinus, ceterique Patres ſuo ſuffragio acceſſerunt. Hujus inſigne teſtimonium ſuggerit Clemens Alexandrinus in opuſculo, cui titulus: Quis Dives ſalvetur. Rem diſcutit à cap. 38. & ſeqq., ac poſt diligentem graviorum criminum recenſionem, concludit cap. 50. *Et affectus quidem inolitos confeſtim ſimulque praecidere impoſſibile fortè eſt: Dei tamen virtute, & humanis precibus Fratrumque auxilio, necnon vera poenitentia aſſiduaque meditatione res praeſtari poteſt.* Obſervaverat in cap. 42., juvenem quendam in graviſſima facinora devolutum, ad cohortationes Johannis Evangeliſtae poenitentiam amplexum eſſe. Salutare hoc remedium poenitentiae omnibus praeſto eſſe aſſeverat, tametſi graviſſimorum peccatorum conſcii ſint, modò ex animo poenitêre conſtituant, & decretis ab Eccleſia poenis ſatisfacere.

III. Aevo autem Cypriani Catholicis erat perſuaſum, effectus

ctus Redemtionis applicari omnibus per poenitentiam poſſe & debere. In eo vertebatur diſſenſio, quòd plurimi rigorem Canonum, & diſciplinam ſummi juris adhiberi oportere in eo arbitrabantur, ut graviora crimina non ſine perpetua poenitentia eluerentur. Summi hujus juris aſſertor erat Clerus Romanus cum Cypriano, qui tum in libro de Lapſis, tum ſaepe in epiſtolis rigorem poenarum, probationem propoſiti, & remedium ſatisfactionis per opera laborioſa exigit: ſecus qui facerent, declarat contra rigorem Evangelii eos facturos; non prodeſſe peccatoribus, ſed plurimum ſaepe obeſſe. De hoc uſu ſummi Juris erga Lapſos Romanus quidem Clerus in Epiſt. 30. ità ſcribit. *Antiqua haec apud nos ſeveritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua*. Cyprianus autem defenſores remiſſi juris in libro de Lapſis incuriae temeritatiſque inſimulat. *Emerſit enim novum genus Cladis, & quaſi parùm perſecutionis procella ſaevierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiae titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem, temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quaerunt ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. Poenitentia de pectoribus excuſſa eſt. Graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera, & plaga laethalis altis & profundis vulneribus infixa, diſſimulato dolore contegitur. A Diaboli aris revertentes, ad Sanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos Idolorum cibos adhuc poenae ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus invadant*. Hoc ſtylo integer ille Tractatus conſtat, & ubique fere laxitatem illam inſectatur.

IV. In Africà potiſſimùm viguit diſſenſio ob factionem Preſbyterorum quorumdam, qui remiſſo jure utentes, Lapſis promiſcuè omnibus communionem indulgebant, magna labe antiquae diſciplinae Canonum illata, ut Cyprianus quaerebatur: peſſumdatis etiam Epiſcopalibus juribus, ad quos pertinebat examinare publicos poenitentes, & qui probarentur, communione

donare.

donare. Hanc Preſbyterorum audaciam paſſim exagitat Cyprianus, & praeſertim in Epiſt. 10. acerbè his verbis exſpoſtulat. *Quod enim non periculum metuere debemus de offenſa Domini, quando aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi praepoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omninò ſub Anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia & contemtu Praepoſiti totum ſibi vindicant? Atqui utinam non proſtrata Fratrum noſtrorum ſalute ſibi omnia vindicarent! Contumelias Epiſcopatus noſtri diſſimulare & ferrè poſſem, ſicut diſſimulavi ſemper & pertuli. Sed diſſimulandi nunc locus non eſt, quando decipiatur Fraternitas noſtra à quibuſdam veſtrùm, qui dum ſine reſtitutione reſtituendae ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, magis lapſis obſunt.* In libro autem de Lapſis fucata illa Preſbyterorum argumenta refellit, qui facilitatem veniae aïebant mirabile quoddam eſſe divinae miſerationis indicium. Scribit enim ſanctus Antiſtes. *Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? Quid eis qui flere jugiter, & rogare Dominum ſuum debent, intercepta poenitentiae lamentatione communicare ſe ſimulant? Hoc ſunt hujuſmodi lapſi, quod grando frugibus; quod turbidum ſydus arboribus; quod armentis peſtilens vaſtitas; quod navigiis ſaeva tempeſtas. Solatium aeternae ſpei adimunt, arborem a radice ſubvertunt, ſermone morbido ad laethale contagium ſerpunt; navem ſcopulis ne in portum perveniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas iſta ſed tollit; non communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Perſecutio haec eſt alia & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc Lapſis occulta populatione graſſatur, ut lamentatio conquieſcat, & dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut opprimatur pectorum gemitus, ſtatuatur gemitus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longa & plena poenitentia deprecetur; cum ſcriptum ſit: memento unde excideris, & age poenitentiam.* Digna ſunt quae à Theologis & à piis omnibus viris perlegantur quae Cyprianus proſequitur argumenta, quibus ſummi juris diſciplinam tunc per Orbem Chriſtianum communiùs receptam conſtabilit, & factioſorum Preſbyterorum illorum reprehendit temeritatem, qui fuco praxeos benignioris pec-

candi

candi invitamenta atque illicia defendebant.

V. Neque verò deſtitit Cyprianus unquam commonere ubique Martyres & Confeſſores, ne perniciofae illi Preſbyterorum opinioni adhaereſcerent. Quippè nonnulli ex ipſis in eum jam errorem devenerant, ut Lapſis quotquot Libellos porrigebant, inconſulto Epiſcopo pacem elargirentur: & hoc praetextu diſſenſiones inter Epiſcopos, & Martyres ipſos ciërent. De quo ſcribit ille in Epiſt. 10. *Exponunt deinde beatos Martyres, & glorioſos Servos Dei cum Dei Sacerdote committunt. (Nam illi memores loci noſtri ad me literas direxerint, & petierim nunc deſideria ſua examinari, & pacem dari: quando ipſa ante Mater noſtra Eccleſia pacem de Domini miſericordia prior ſumſerit, & nos divina protectio reduces ad Eccleſiam ſuam fecerit.) Hi ſublato honore quem nobis Beati Martyres cum Confeſſoribus ſervant, contemta Domini lege & obſervatione, quam iidem Martyres & Confeſſores tenendam mandant, ante extinctum perſecutionis metum, ante reditum noſtrum, ante ipſum penè Martyrum exceſſum, communicent cum Lapſis, offerant & Euchariſtiam tradant: quando etiamſi Martyres per calorem gloriae Scripturam minùs contemplantes, contra legem Domini plus aliquid cuperent, à Presbyteris & Diaconis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in praeteritum factum eſt.* Equidem quotquot Martyres Spiritu divino & Evangelico zelo agebantur, illud omnes caverunt, ut Lapſis non aliter quàm conſulto Epiſcopo pacem darent: imò & eoſdem interdum ad Epiſcopos dimitterent, quorum juſtiſſimas querelas commendant in literis ad Cyprianum datis. Improbant enim unà cum illo quorumdam Martyrum & Confeſſorum nimiam ſcribendorum libellorum pruriginem, & in Epiſt. 26. ad Cyprianum inquiunt. *Animadvertimus enim te congruente cenſura & eos dignè objurgaſſe, qui immemores delictorum ſuorum, pacem à Presbyteris per abſentiam tuam obſtinata & praecipiti cupiditate extorſiſſent: & illos qui ſine reſpectu Evangelii Sanctum Domini canibus, & Margaritas porcis profana facilitate donaſſent.*

VI. Cyprianus itaque cum magni fecit hujuſmodi Martyrum praerogativam, tum preces illorum plurimi aeſtimandas eſſe decernit

cernit, modo quotieſcumque Lapſis in vitae exitu communionem conceſſerint, ſententia Epiſcopi vel Presbyteri exſpectaretur. Iccirco in epiſt. 18., quam aeſtate imminente & morbis Carthagine graſſantibus ſcripſit, Presbyteros ſuos his verbis commonuit. *Occurrendum puto Fratribus noſtris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & praerogativa eorum apud Deum adjuvari poſſunt, & ſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non exſpectata praeſentia noſtra, apud Presbyterum quemcumque praeſentem ...... exomologeſim facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in poenitentiam impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis deſideraverunt*. Id igitur ut agant Presbyteri, non invitus indulget. Sed quemadmodum in his libellis ſubſcribendis ſe ſe gerere debeant Martyres, docet in epiſt. 15, ad ipſoſmet data. *Oro vos quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores, & conſiderantes quae & qualia in praeteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quàm ſoliciti in omnibus fuerint: vos quoque ſolicitè & cautè petentium deſideria ponderetis, ut potè amici Domini, & cum illo judicaturi, & inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum: ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne ſiquid abruptè & indignè vel à nobis promiſſum, vel à nobis factum fuerit, apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.*

VII. Romani pariter Clerici apud Cyprianum epiſt. 30. inſigni documento ex antiquarum Societatum privilegiis petito, ſtatuunt modum & ordinem praerogativae hujus Martyrum in Libellis ſubſcribendis. Aſſociatae olim Urbes certa quaedam fundamentalia ſervabant, in quibus ſocietas integra continebatur. Quae autem ſociis Urbibus praerogativae concedebantur, ſervari conſueverunt quoties fundamentalibus Legibus totius politici corporis nequaquam obeſſent. Haud aliter, inquit Romanus Clerus, in coetu Chriſtianorum cujus fundamentale eſt, Evangelicae diſciplinae vigorem ſervare, Martyribus & Confeſſoribus ob virtutum excellentiam, & defendendae Religionis ac fidei meritum, quaedam praerogativae jure optimo ſunt attributae, & imprimis jus illud reconciliandorum Lapſorum. Sed quo-

quoniam Martyrum nonnulli, delectu prorſus non habito, cum omnibus indiſcriminatim utebantur eo jure, vacillabat firmitas Evangelicae diſciplinae, & compaginis Eccleſiaſticae fundamentum concuti videbatur. Quamobrem Clerus ad certos limites eam praerogativam cenſuit eſſe redigendam, literaſque ea de cauſſa ad Cyprianum perſcripſit. Monuerat iſte in epiſt. 35. ad Clerum eundem, Lapſos quoſdam qui pacem à Martyribus, exhibitis libellis impetraverant, in tantam veniſſe audaciam, ut poſthabito cum ſuo, tùm Presbyterorum Carthaginenſium examine, pacem omninò firmam & ſtabilem eſſe contenderent. Ad haec igitur reſcribit Romanus Clerus, & enormem illam temeritatem reprehendit, pacemque ſubinde tribuendam eſſe aït, ſi ad Evangelii normam exigatur. *Qui ſi habent, quid petunt quod tenent? Si autem non habere illos probatur, hoc ipſo quod petunt cur non judicium eorum ſuſtinent, à quibus petendam pacem quam utique non habent, putaverunt? Quod ſi aliunde praerogativam communicationis habere ſe credunt, cum Evangelio illam conferre conentur, ut ita demum firmiter valeat, ſi ab Evangelica Lege non diſſonat. Ceterum quo pacto Evangelicam poterit praeſtare communicationem, quod contra Evangelicam decretum videtur veritatem? Nam cum omnis praerogativa ità demum ad indulgentiae privilegium ſpectet, ſi ab eo cui ſociari quaerit, non diſcrepet; qui à Deo cui ſociari quaerit, diſcrepat, neceſſe eſt indulgentiam & privilegium Societatis amittat. Videant igitur quid in hoc negotio agere conentur. Nam ſi aliud quidem Evangelium, aliud autem Martyres dicunt poſuiſſe decretum, collidentes contra Evangelium Martyres, utrobique periclitabuntur. Nam & Evangelii fracta jam & jacens videbitur eſſe majeſtas, ſi potuit alterius decreti novitate ſuperari: & de Martyrum capite glorioſa Confeſſionis corona detracta, ſi non illam de Evangelii conſervatione invenientur conſecuti, unde Martyres fiunt. Ut merito nulli magis ſit competens, nihil contra Evangelium decernere, quam qui Martyris nomen laborabat accipere. Illud praetera vellemus addiſcere, ſi Martyres non propter aliud Martyres fiunt, niſi ut non ſacrificantes, teneant Eccleſiae uſque ad effuſionem ſanguinis ſui pacem, ne cruciatus dolore ſuperati perdendo pacem, perdant ſalutem, quam ſi ſacrificaſſent, ſe ha-*

habituri non putaverunt ; illis exiſtiment donandam, qui ſacrificaſſe dicantur : cum legem hanc debeant in aliis tenere, quam ipſi videbantur ſibi antepoſuiſſe.

VIII. Sed & ex eo argumentatur Romanus Clerus Lapſorum temeritatem, quod praerogativa concedendae pacis Martyribus attributa, iis terminis circumſcribatur, ut ſcilicet Lapſos ad Epiſcopum remittere cum precibus ſuis poſſint, non autem inſcia Eccleſia, ſuo & integro jure communionem illis elargiri. Notat iccirco hunc eſſe morem à veris Martyribus obſervatum, & proſequitur. *In quo negotio hoc ipſum, quod pro ſe ipſis facere putaverunt, animadvertimus contra ſe ipſos protuliſſe. Nam ſi dandam illis pacem Martyres putaverunt, cur ipſi non dederunt ? Cur illi ad Epiſcopum, ut ipſi dicunt, remittendos cenſuerunt ? Is enim qui jubet, poteſt utique facere, quod fieri jubet. Sed ut intelligimus, imò ut res ipſa loquitur & clamat, Sanctiſſimi Martyres utrobique adhibendum putaverunt temperamentum & pudoris & veritatis. Nam & qui à multis urgebantur, dum ad Epiſcopum illos remittunt, verecundiae propriae, ne ulterius inquietarentur, conſulendum putaverunt : & dum illis non ipſi communicant, Evangelicae Legis illibatam ſinceritatem cuſtodiendam judicaverunt.* Commendat igitur Clerus zelum Cypriani, qui & Martyres commonuerat, ut importunis hiſce Lapſorum flagitationibus modum facerent, & ipſorummet Lapſorum temeritati ac licentiae ita ſe ſe oppoſuerat, ut ne Preſbyterorum quidem benigniori opinioni parceret. *Tu tamen, Frater, nunquam pro tua caritate deſiſtas Lapſorum animos temperare, & errantibus veritatis praeſtare medicinam : licet animus aegrorum medentium reſpuere ſolet induſtriam. Recens eſt Lapſorum hoc vulnus, & adhuc in tumorem plaga conſurgens : & iccirco certi ſumus, quod ſpatio productioris temporis, impetu iſto conſeneſcente, amabunt hoc ipſum, ad fidelem ſe dilatos eſſe medicinam, ſi tamen deſunt qui illos arment ad periculum proprium, & in perverſum inſtruentes, pro ſalutaribus dilationum remediis exitioſa depoſcant illis properatae communicationis venena. Neque enim credimus ſine inſtinctu quorumdam tam petulanter ſibi pacem vindicare.*

IX. Equidem magno fuit incommodo audacior illa Preſbyte-

terorum factio, qui autores nonnullis Martyrum fuerant, ut nulla Presbyterorum & Epiſcoporum habita ratione, non rogando orandoque, ſed abſoluto quodam jure ſuo pacem Lapſis impertirent, ſeque illis communicare declararent, tametſi nullum de patratis ſceleribus, nullum de conditione Lapſorum, nullum de poenitentium dolore & propoſito examen inſtitueretur. A Paulo quodam Martyre haec licentia incoeperat, in turpe vigoris Evangelici detrimentum ruitura. De quo ſcribit ad Clerum Romanum in Epiſt. 35. Cyprianus. *Quorumdam perſpecta temeritate, qui poenitentiam agere & Deo ſatisfacere detrectant, pacem non dandam ſibi poſtulantes, ſed quaſi jam datam ſibi vindicantes, quod dicant, Paulum omnibus pacem dediſſe, ſicut in Literis eorum quarum exemplum ad vos tranſmiſi, legetis*. Acceſſit Martyr & ipſe Lucianus, qui Pauli veſtigia legens, hanc praeſumtionem mirum in modum dilatavit. De eo ad Clerum Romanum ſcribit Cyprianus in Epiſt. 27. *Frater noſter Lucianus & ipſe unus de Confeſſoribus, fide quidem calidus & virtute robuſtus, ſed minùs Dominica lectione fundatus, quaedam conatus eſt, imperiti jam pridem ſe vulgi autorem conſtituens, ut manu ejus ſcripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur*. Et quum Martyres quoſdam ipſo Luciano, & Paulo cautiores laudaſſet, è veſtigio ſubjungit. *Lucianus verò non tantùm Paulo adhuc in carcere poſito, nomine illius libellos manu ſua ſcriptos paſſim dedit, ſed & poſt ejus exceſſum eadem facere ſub ejus nomine perſeveravit, dicens, hoc ſibi ab illo mandatum*. Crevit autem uſque adeò Luciani audacia, ut nomine Martyrum omnium Encyclicam conſcripſerit, & velut exemplar formamque agendorum in hac cauſſa, cum ad Cyprianum, tum ad alios tranſmiſerit. Lucianum ceteroſque monuerat S. Doctor, ut maturiùs in concedenda pace deliberarent. Verumtamen illi eò pertinaciae devenerunt, quò Epiſcopis imponere ſibi perſuaſerint. *Poſtquam verò*, ſcribit Cyprianus, *ad eos* (Lucianum, & Martyres) *literas miſi, ut quaſi moderatius aliquid & temperatius fieret, univerſorum Confeſſorum nomine idem Lucianus epiſtolam ſcripſit, qua penè omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum Domini, & Evangelii ſanctitas & firmitas*

ſirmitas ſolveretur. Scripſit enim omnium nomine univerſis eos pacem dediſſe, & hanc Formam per me aliis Epiſcopis innoteſcere velle, cujus epiſtolae exemplum ad vos tranſmiſi. Quos tumultus, quaeque incommoda haec epiſtola Luciani omnium Martyrum nomine inſignita, Eccleſiis intulerit, narrare proſequitur Cyprianus, & quibus poteſt argumentis hanc Luciani temeritatem exagitat omnibus. In iis verò quae ſequuntur epiſtolis alia etiam recenſet, quae ad Evangelii vigorem penitùs evertendum, atque ad Hierarchici Ordinis poteſtatem conterendam Martyres praeſumſerunt.

X. Ex iis quae hactenus diſputavimus, apprimè relucet uſus Encyclicarum quae ad moderandum jus illud à Martyribus occupatum fuerunt adhibitae. Cyprianus enim Epiſtolas omnes in hac controverſia emanatas direxit ad Clerum Romanum, ut rem omnem accuratè expenderet, ſuaque ſententia ſaniori diſciplinae accederet, quemadmodum in cit. Epiſt. 27. ſcribit. Addidit etiam ſanctiſſimorum aliorum Martyrum Literas, qui ambitum Luciani improbaverant. Quapropter ut Clerus Romanus in eandem ſententiam coïret, etiam atque etiam rogat, clauditque his verbis epiſtolam ſuam. *Laborantes hìc nos, & contra invidiae impetum totis fidei viribus reſiſtentes, multum ſermo veſter adjuvit, ut divinitùs compendium fieret; & priuſquam venirent ad vos literae, quas vobis proximè miſi, declararetis nobis, quod ſecundùm Evangelii legem ſtet nobiſcum fortiter atque unanimiter etiam veſtra ſententia.* Quod vehementer Cyprianus exoptabat, praeſtitit Clerus Romanus in Epiſtolis 30. 31. & 36. ad eundem tranſmiſſis.

§. IV.

§. IV.

De Proviſorio ſeu Fiduciario Decreto Ab Eccleſiis Romana, & Africana per Encyclicas edito in Cauſſa Lapſorum.

S y n o p s i s.

I. *Factionibus, & perſecutione vexatur Africana Eccleſia.* II. *Proviſorium Decretum evulgat, idemque Cyprianus cum tredecim aliis Epiſtolis in hac controverſia ſcriptis ad Clerum Romanum tranſmittit.* III. *Ratio decreti edendi ex Cypriano propoſita.* IV. *Exemplo Civilium Edictorum illuſtrata.* V. *De eodem ſcribit ad Clerum Carthaginenſem* VI. *Eidem adjungit Tomum XIII. Epiſtolarum.* VII. *Decretum Encyclicum ſuis literis approbat Clerus Romanus.* VIII. *Approbat etiam Afrorum Sententiam, ut Decretum Peremtorium ad finem uſque perſecutionis differatur.* IX. *In idem judicium conſpirarunt Occidentales.* X. *Literas Cleri Romani conſcribit Novatianus, & Martyres etiam ſubſcribunt.* XI. *Martyrum pariter Literae Literis Cleri junguntur.* XII. *Quae fuerit Martyrum de hac controverſia ſententia.* XIII. *Decretum promovet per Africam Cyprianus.* XIV. *Promovet & Cleri & Martyrum ſuffragatorias Literas.* XV. *Autoritas decreti ex eo deducta, quod ejus tranſgreſſores ſeverè multentur.* XVI. *Ex Opuſculo Cypriani de Lapſis confirmata.* XVII. *Obtrectatores Decreti duce Feliciſſimo quicumque erant, coërcentur; & praeſtita illi ab univerſo Orbe conſenſio demonſtratur.*

I. Diſſidium hoc Eccleſiae inteſtinum circa ann. 250., quo Deciana perſecutio depopulabatur gregem Chriſti, de reconciliatione Lapſorum excitatum, miſerrimam fecit Africanarum Eccleſiarum conditionem. Namque Preſbyterorum factio pertinax quae ſubinde in apertum Schiſma erupit, laxiori ſuae opinioni innixa audacter tuebatur, Lapſis omnibus nul-

Digitized by Google

lo inſtituto delectu communionem omnino eſſe concedendam. Eorum impulſu Martyres multi & Confeſſores pacem in libellis dabant, datamque contra decreta & placita Epiſcoporum acerrimè propugnabant. Ipſa plebs in liberiorum opinionum patronos, ut aſſolet, pronior ad tumultum uſque & ſeditionem haec acta defendebat. Lapſi verò quid non tentarent, ut quam à Martyribus pacem ſubſcriptione libellorum nacti fuerant, poſthabitis Epiſcoporum comminationibus defenderent, juraque communionis adepti, in ordine Stantium Fidelium haberentur. In his rerum anguſtiis quid agerent Eccleſiarum Antiſtites, aut opem luxatae diſciplinae allaturi quae conſilia capeſſerent? Coïre in Synodos, & contentionem communibus votis dirimere, ne optandum quidem erat, quando iis omnibus periculum capitis imminebat, qui poſt vulgata Decianae perſecutionis edicta in ſuſpicionem Chriſtianae profeſſionis venirent. Quid igitur? Non aliud praeſto fuit remedium, quàm circularibus Literis viciſſim Eccleſiarum judicia inquirere, & ad unanime unum & concors decretum devenire.

II. Igitur Eccleſiarum Praeſules modum ut ponerent factionibus, & unitatem ſarcirent, piè ſapienterque Oeconomiae Eccleſiaſticae ſalubre temperamentum ſunt amplexi: nimirum ut ſemota paulliſper ſummi juris obſervantia, remiſſo utentes dum contentio fervebat, diſtractas invicem Eccleſias ad unitatem revocarent. Sancitum iccirco fuit, ut libellos quicumque à Martyribus obtinebant, offerrent Epiſcopis, ſatisfacerent, atque in exitu vitae communionem obtinerent: Ceteri verò Lapſi impoſitam ſibi poenitentiam ſuſciperent, & interim finem perſecutionis praeſtolarentur, quando Eccleſiae integrum futurum erat hanc de Lapſis controverſiam certo & peremtorio judicio definire. Ceterum Antiſtites cauſſae gravitatem advertentes, nunquam non conati ſunt iis qui diſſentiebant, ſaniorem partem ſententiamque perſuadere. Cyprianus ſcribens in Epiſt. 20. ad Clerum Romanum de iis omnibus luculenter ediſſerit, quae ejuſdem cum Clero illo ſententiae conſors peregerat, anteaquam ad ſalubre hoc temperamentum deveniret. *Et quid*

egerim

Digitized by Google

egerim, inquit, *loquuntur vobis epiſtolae pro temporibus emiſſae numero XIII., quas ad vos tranſmiſi. In quibus nec Clero conſilium, nec Confeſſoribus exhortatio, nec extorribus, quando oportuit, objurgatio, nec univerſae Fraternitati ad deprecandam Dei miſericordiam allocutio & perſuaſio noſtra defuit, quantum ſecundum legem fidei, & timorem Dei, Domino ſuggerente, noſtra mediocritas potuit eniti. Poſteaquam verò & tormenta venerunt, ſive jam tortis Fratribus noſtris, ſive adhuc ut torquerentur incluſis, ad corroborandos & confirmandos eos noſter ſermo penetravit.* (utique per Epiſtolas ad martyrium hortatorias, de quibus ſupra diſſeruimus) *Item cum comperiſſem eos qui ſacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent, vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam polluiſſent, exambire ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione corrumpere, ut ſine ullo diſcrimine atque examine ſingulorum, darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem; Literas feci, quibus Martyres, & Confeſſores conſilio meo quantum poſſem ad Dominica praecepta revocarem. Item Presbyteris, & Diaconibus non defuit Sacerdotii vigor, ut quidam minùs diſciplinae memores, & temeraria feſtinatione praecipites, qui cum Lapſis communicare jam coeperunt, comprimerentur intercedentibus nobis. Plebi quoque ipſi quantum potuimus, animos compoſuimus, & ut Eccleſiaſtica diſciplina ſervaretur, inſtruximus.* Praeclara eſt omnis haec Cypriani oratio, ex qua diſcimus, quanta cum accuratione examen à Praeſulibus ante Encyclicarum evulgationem inſtitueretur. Una enim cum praeſenti Encyclica tranſmiſit ille ad Clerum Romanum Epiſtolas XIII. alias in controverſia Lapſorum editas, ut Clerus Fiduciarium hoc decretum re perſpecta & maturè diſcuſſa, ſuſciperet ſuoque ſuffragio communiret. Publica enim id genus Edicta Seculi more componebantur. Valerianus quum perſecutionem in Chriſtianos edixiſſet, epiſtolam ſeu relationem, quam Aetas illa appellabat orationem, ad Senatum tranſmiſit, eique annexuit Edictorum exemplaria, quae ad varios Provinciarum Judices de perſecutione dederat. Formam publicorum hujuſmodi Edictorum diſcimus ex Cypriano ſcribente in Epiſt. 80. ad Succeſſum. *Reſcripſiſſe ad Sena-*

tum, ut Epiſcopi, & Presbyteri, & Diacones incontinenti animadvertantur: Senatores verò, & Viri Egregii, & Equites Romani, dignitate amiſſa, etiam bonis ſpolientur, et ſi ademtis facultatibus, Chriſtiani eſſe perſeveraverint, capite quoque multentur: Matronae ademtis bonis in exilium relegentur. Caeſariani quicumque vel priùs confeſſi fuerant, vel nunc confeſſi fuerint, confiſcentur, & vincti in Caeſarianas poſſeſſiones deſcripti mittantur. Subjecit etiam Valerianus Imperator Orationi ſuae exemplum Literarum, quas ad Praeſides Provinciarum de nobis fecit: quas Literas quotidie ſperamus venire, ſtantes ſecundùm fidei firmitatem ad paſſionis tolerantiam, & exſpectantes de ope & indulgentia Domini, vitae aeternae coronam. Mos ſcilicet & conſuetudo obtinebat, ut epiſtolae omnes ad rem publicam facientes, tum majoribus, tum aequalibus tribunalibus intimarentur, ut in ea quae agenda forent, concordes unanimeſque omnes conſpirarent.

III. Aperit igitur Cyprianus in hac Epiſtola 20. ad Clerum Romanum acta omnia, quae decretum hoc Fiduciarium praeceſſerunt, ut Romana Eccleſia ſervatam moderationem & aequitatem perpendens, in eandem ſimul diſciplinam concederet. *Poſtmodum verò*, ſubjungit Cyprianus, *cum quidam de Lapſis ſive ſua ſponte, ſive aliquo incitatore, audaci flagitatione prorumperent, ut pacem ſibi à Martyribus & Confeſſoribus promiſſam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad Clerum Literas feci, & legi eis mandavi, ut ad eorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, ſiqui libello à Martyribus accepto de ſeculo excederent, exomologeſi facta, & manu eis in poenitentiam impoſita, cum pace ſibi à Martyribus promiſſa ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me autorem temerè conſtitui: ſed cum videretur & honor Martyribus habendus, & eorum qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus, & praeterea veſtra ſcripta legiſſem, quae hùc ad Clerum noſtrum per Clementem Hypodiaconum nuper feceratis, ut iis qui poſt lapſum infirmitate apprehenſi eſſent, & poenitentes communicationem deſiderarent, ſubveniretur: ſtandum putavi & cum veſtra ſententia, ne actus noſter qui adunatus eſſe & conſentire circa omnia debet, in aliquo diſcreparet. Planè ceterorum*

cauſas,

cauſſas, quamvis libello à Martyribus accepto, differri mandavi, & in noſtram praeſentiam reſervavi: ut cum, pace à Domino nobis data, plures Praepoſiti convenire in unum coeperimus, communicato etiam vobiſcum conſilio, diſponere ſinguli & reformare poſſimus.

IV. Habes hinc liquidò demonſtratum, Epiſcopos, quoties Encyclicum quodpiam decretum conderent, ita Legis eſſe dicique Autores, ut omnino conſenſus Eccleſiarum exigatur, iidemque, quod praecipuum eſt, communicent conſilium ſuum cum Apoſtolica Sede. Ut autem penitiùs haec Cypriani actio introſpiciatur, memoria repetendus venit priſtinus Imperii mos, quo Magiſtratuum Ordines Edicta ſua aut praecepta in publicum bonum evulgaturi, ad Populos, atque ad Urbes dirigere imprimis conſueverunt, quod ſive per relationem, ſive per concionem orationemve fieri dicebant. Moris hujus ſpecimen exhibet Trebellius Pollio in vita Claudii. Is ad Imperium electus quum fuiſſet, Populis per edicta declaravit, Aureolum eſſe Tyrannum, & ei nequaquam obtemperandum: Ad Senatum verò de eadem re orationem tranſmiſit, ſcribente Pollione. *Qui primùm ut factus eſt Imperator, Aureolum qui gravior Reipublicae fuerat, quod multum Gallieno placebat, conflictu habito, à Reipublicae gubernaculis depulit, Tyrannumque miſſis ad Populum Edictis, datis etiam ad Senatum orationibus judicavit.* Haud aliter Cyprianus in XIII. laudatis epiſtolis velut totidem edictis praeſcribit Africanae Eccleſiae, quid in Lapſorum controverſia eſſet agendum. A Clero autem Romano velut concione & oratione petit conſenſum ſuum ſuffragiumque.

V. Porro ad eundem Clerum ſcribit, ſe hujus Fiduciarii decreti primum Clero Carthaginenſi & Africano normam dediſſe, cujus ab ipſo poſtulat confirmationem. Normae autem rationes expoſuit in antecedenti epiſtola 19. ad Clerum Carthaginenſem, cui ut executioni mandaretur, diſtrictè praeceperat. In ea tametſi perſeveret S. Antiſtes in propoſito ſummi juris adhibendi cum Lapſis, nihilominus ob periculoſas excitatas factiones temperamento decreti Fiduciarii acquieſcit, quod Formam

appellat. *Quoniam tamen ſignificaſtis, quoſdam immoderatos eſſe, & communicationem accipiendam feſtinanter urgere: & deſideraſtis in hac re Formam à me vobis dari: ſatis plenè ſcripſiſſe me ad hanc rem proximis literis ad vos factis credo, ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo coeperint, exomologeſi facta, & manu eis à vobis in poenitentiam impoſita, cum pace a Martyribus ſuis promiſſa ad Dominum remittantur. Ceteri verò qui nullo libello a Martyribus accepto invidiam faciunt, quoniam non paucorum, nec Eccleſiae unius, aut unius Provinciae, ſed totius Orbis haec cauſſa eſt, exſpectent de Domini protectione Eccleſiae ipſius publicam pacem.* Cyprianus verbis illis, *invidiam faciunt*, deſignat querulas & calumnioſas quorumdam in eum voces, quod nimiae & intemperantis ſeveritatis, non verae diſciplinae zelo ſic ageret. Qua de cauſſa ſubjungit, rem hanc ob criminum gravitatem particularibus decretis nequaquam expediri poſſe, ſed cum omnium poſt perſecutionem Epiſcoporum conſenſu, cum omnium examine, omniumque ſententia definiri oportere. *Hoc enim*, inquit, *& verecundiae, & diſciplinae, & vitae ipſi omnium noſtrum convenit, ut Praepoſiti cum Clero convenientes, praeſente & Stantium plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus.*

VI. In horum ſanè Actorum ordine & recenſione, quae in hac Encyclica contigerunt, auguſtiſſimè ſplendet non ſolùm Epiſcoporum & Eccleſiarum conſenſus, ſed etiam ratio examinis ante editum decretum inſtituti, & diſciplina in mittendis recipiendiſve Encyclicis obſervata. Unà cum epiſtola 27. ad Clerum Romanum tranſmiſit Cyprianus Tomum velut Encyclicum, complectentem epiſtolas XIII. ab ipſo in hac de Lapſis controverſia vulgatas, quarum meminit in epiſtola 20. & argumentum proponit. Formam Encyclici Tomi eaſdem habuiſſe, vel ex eo colligimus, quod Pamelius in quatuor Codd. MSS. velut in faſciculum unum digeſtas ſe deprehendiſſe teſtatur. Quum per Africae, Italiaeque Eccleſias paſſim legerentur, mirum non eſt ſi abs aetate ſequiori fuerint eodem ordine aſſervatae, quo illas Cypria-

nus

Digitized by Google

nus in Orbem vulgaverat. Alibi autem obſervatum à nobis eſt, receptam fuiſſe conſuetudinem, ut cum Encyclica epiſtolae ceterae conjungerentur, quae ad eandem controverſiam facere, eademque occaſione editae videbantur.

VII. Clerus Romanus ut ſimul cum Tomo Encyclico decretum Fiduciarium accepit, illud approbavit, & inſigni eruditoque reſcripto cùm remedium per Encyclicas allatum, earumque ad ſopiendas controverſias neceſſitatem commendat, tum mutuam conſenſionem judiciumque commune obfirmat. *Quamquam benè ſibi conſcius animus, & Evangelicae diſciplinae vigore ſubnixus, & verus ſibi in Decretis Coeleſtibus teſtis effectus, ſoleat ſolo Deo judice eſſe contentus, nec alterius aut laudes petere, aut accuſationes pertimeſcere: tamen geminata ſunt laude condigni qui cum conſcientiam ſciant Deo ſoli debere ſe judici, actus tamen ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis Fratribus comprobari. Quod te, Frater Cypriane, facere non mirum eſt, qui pro tua verecundia & ingenita induſtria conſiliorum tuorum nos non tam Judices voluiſti, quàm participes inveniri: ut in tuis rebus geſtis laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus, & conſiliorum tuorum bonorum cohaeredes, quia & affirmatores eſſe poſſimus. Idem enim omnes credimur operari, in quo deprehendimur eadem omnes cenſurae & diſciplinae conſenſione ſociati. Quid enim magis aut in pace tam aptum, aut in bellis perſecutionis tam neceſſarium, quam debitam ſeveritatem divini vigoris tenere? Quam qui remiſerit, inſtabili rerum curſu erret ſemper neceſſe eſt, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempeſtatibus diſſipetur, & quaſi extorto de manibus conſiliorum gubernaculo, navem Eccleſiaſticae ſalutis illidat in ſcopulos: ut appareat non aliter ſaluti Eccleſiaſticae conſuli poſſe, niſi ſiqui contra ipſam faciunt, quaſi quidam adverſi fluctus rebellantur, & diſciplinae ipſius ſemper cuſtodita ratio, quaſi ſalutare aliquid gubernaculum in tempeſtate ſervetur.* En quomodo per Encyclicas in unum omnes decretum conſpirarent Eccleſiaſtici Praeſules, omnes idem operarentur, Judices eſſent omnes, & ſalutis gubernaculum moderarentur. Agit mox Romanus Clerus de Lapſis, editumque à Cypriano judicium probant, ut ſcilicet quicumque Idololatriâ commaculati eſſent, quicumque Libel-

laici dicerentur, quorum ſcelus Apoſtatarum ſceleri declarat ſuppar eſſe, aſſiduis poenitentiae operibus ſuam reſipiſcentiam à ſcelere comprobarent, tandem in exitu vitae reconciliationem communionemque adepturi. Scitè enim Clerus nimiam lenitatem & inofficioſam adhibitam cum Lapſis benignitatem appellat omnium ſummam crudelitatem.

VIII. Partem alteram quod attinet Fiduciarii decreti à Cypriano propoſiti, quo nimirum ſanxerat, ut pro cauſſa aliorum è Lapſis differretur peremtorium judicium uſque ad redditam Eccleſiae pacem, ità approbant & commendant Romani Clerici. *Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti priùs, Eccleſiae pacem ſuſtinendam, deinde ſi collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Confeſſoribus, pariter & Stantibus Laïcis facta, Lapſorum tractare rationem. Perquam enim nobis & invidioſum, & oneroſum videtur, non per multos examinare quod per multos commiſſum videatur fuiſſe, & unam ſententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe; quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum. Aſpice totum Orbem pene vaſtatum & ubique jacere dejectorum reliquias & ruinas: & iccirco tam grande expeti conſilium, quàm latè propagatum videtur delictum. Non ſit minor medicina, quàm vulnus eſt: non ſint minora remedia, quàm funera: ut quo modo qui ruerunt, ob hoc ruerunt, quod caeca temeritate nimis incauti fuerunt: ità qui hoc diſponere nituntur, omni conſiliorum moderamine utantur, ne quid non ut oportet factum, tanquam irritum ab omnibus judicetur.*

IX. Imò etiam ex hac Romanorum Encyclica diſcimus, non Clerum illius Eccleſiae tantummodo, ſed ceteras etiam Occidentales Eccleſias decreto illi Fiduciario velut ſalubri & Oeconomico temperamento adhaeſiſſe. *Cujus temperamenti moderamen nos hìc tenere quaerentes, diù quidem, & multi, & quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longè poſitis perſecutionis iſtius ardor ejecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus, ſed Lapſorum curam*

ram

ram mediocriter temperandam eſſe credidimus, ut interim dum Epiſcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur, in ſuſpenſo eorum qui moras poſſunt dilationis ſuſtinere, cauſſa teneatur: eorum autem quorum vitae ſuae finem urgens exitus dilationem non poteſt ferre, acta poenitentia, & profeſſa frequenter ſuorum deteſtatione factorum, ſi lacrymis, ſi gemitibus, ſi fletibus, dolentis ac verè poenitentis animi ſigna prodiderint, cum ſpes vivendi ſecundum hominem nulla ſubſtiterit, ità demum cautè & ſolicitè ſubveniri Deo ipſo ſciente, quid de talibus faciat, & qualiter judicii ſui examinet pondera: nobis tamen anxiè curantibus, ut nec pronam noſtram improbi homines laudent facilitatem, nec verè poenitentes accuſent noſtram quaſi duram credulitatem.

X. Haec Romani Cleri Encyclica à Novatiano tunc Archidiacono exarata fuit, zeloque & eloquentia Cyprianicas epiſtolas aemulatur. Subſcripta autem eſt ab univerſo Clero, nec non ab iis qui Romae aderant, Confeſſoribus. Teſtatur id in epiſtola ad Antonianum laudatus ſaepe Carthaginenſis Antiſtes. *Additum eſt etiam, Novatiano tunc ſcribente, & quod ſcripſerat, ſua voce recitante: & Presbytero Moyſe tunc adhuc Confeſſore, nunc etiam Martyre ſubſcribente, ut Lapſis infirmis & in exitu conſtitutis pax daretur.* Quae pars altera fuit decreti Fiduciarii, ſeu Proviſorii. Quin etiam operam locavit ſuam Romanus Clerus, ut eadem ſententia ubique locorum obtineret. Iis certè paria ſunt quae ſcripſit ad Siciliae Epiſcopos, & quorum exemplar huic epiſtolae adjunxit. *Quales literas*, aït, *in Siciliam miſerimus, ſubjectas habebis.* Quod equidem documento eſt, eam fuiſſe Romanae Eccleſiae mentem, ut haec epiſtola more ceterarum Encyclicarum in Orbem vulgaretur.

XI. Inſuper quandoquidem magna erat Confeſſorum, & Martyrum dignitas atque autoritas, ut maturiùs Eccleſiae ceterae ad aſſenſum traherentur, non ſatis duxit Romanus Clerus id agere, ut Martyres ſupradictae Encyclicae ſubſcriberent, ſed illi peculiarem eorumdem epiſtolam annectit, commendatque. *Quamquam*, ſcribit idem Clerus, *Confeſſorum quoque quos hic adhuc in carcerem dignitas ſuae Confeſſionis incluſit, & ad certamen Evangelicum ſua fides in confeſſione jam glorioſa ſemel coronavit, literas habeas*

beas conſpirantes cum literis noſtris, quibus ſeveritatem Evangelicae diſciplinae protulerunt, & illicitas petitiones ab Eccleſiae pudore revocarunt. Niſi hoc feciſſent, diſciplinae Evangelicae ruina non facile ſarciretur, praeſertim cum nulli magis tam congruens eſſet, tenorem Evangelici vigoris illibatum dignitatemque ſervare, quàm qui ſe excruciandos & excarnificandos pro Evangelio furentibus tradiderunt, ne martyrii honorem meritò perderent.

XII. Sed in ipſas jam Moſis & ceterorum Confeſſorum literas inquiramus, quas Clerus Romanus ad Cyprianum tranſmiſit. Communicaverat idem Clerus Tomum Encyclicum XIII. Literarum, ſimulque Encyclicam Cypriani decretum Fiduciarium proponentis, cum Presbyteris, Diaconis, ceteriſque Confeſſoribus Romae in carcere detentis. Inter alias erant epiſtolae decima, & quintadecima, quae adinſtar concionum Athleticarum erant, & velut orationes ad martyrium hortatoriae. Eas legerunt Confeſſores, & in epiſtola reſcribentes, quae num. 31. legitur, Cypriano gratias referunt, ſeque ad agonem forti alacrique animo ſuſtinendum, ab earum lectione excitari fatentur. Sententiam deinde ſuam circa decretum Fiduciarium eleganti & fervida oratione exponunt. Verba illorum cedro digna proſequamur. *En aliud*, inquiunt, *gaudium noſtrum, quod in officio Epiſcopatus tui, licet interim à Fratribus pro temporis conditione diſtractus es, tamen non defuiſti ..... Sed quod nos ad majorem laetitiam robuſtius provocavit, tacere non poſſumus, quin omni vocis noſtrae teſtimonio proſequamur. Animadvertimus enim, te congruente cenſura & eos dignè objurgaſſe qui immemores delictorum ſuorum, pacem à Presbyteris per abſentiam tuam feſtinata & praecipiti cupiditate extorſiſſent; & illos qui ſine reſpectu Evangelii Sanctum Domini canibus, & margaritas porcis profana facilitate donaſſent: cum grande delictum, & per totum penè Orbem incredibili vaſtatione graſſatum non oporteat, niſi ut ipſe ſcribis, cautè moderatèque tractari, conſultis omnibus Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, Confeſſoribus, & ipſis Stantibus Laïcis, ut in tuis literis & ipſe teſtaris: ne dum volumus importunè ruinis ſubvenire, alias majores ruinas videamur parare.* Pergunt contrariam laxiòrem opinionem nervosè convel-

vellere, aliaſque addunt rationes, quibus decretum Fiduciarium omninò probant ſtabiliuntque.

XIII. Interim Cyprianus nihil per Africam intentatum reliquit, ut Collegas ſuos ad conſentiendum eidem decreto adduceret. Atque imprimis ſcripſit in epiſt. 26., nullam rationem habendam eſſe Libellorum, quos Martyres ante redditam Eccleſiae pacem Lapſis conceſſiſſent. Imperat iccirco Clero Carthaginenſi, ut literas illas XIII., ſeu Tomum Encyclicum curet intimari Eccleſiis Africae, ſubjungitque. *Et ideo inſtetur interim epiſtolis, quas ad vos proximè feceram: quarum exemplum Collegis quoque multis jam miſi, qui reſcripſerunt, placere ſibi quod ſtatuimus, nec ab eo recedendum eſſe, donec pace nobis à Domino reddita, in unum convenire, & ſingulorum cauſſas examinare poſſimus. Sed & quid mihi Caldonius Collega meus ſcripſerit, quidque ego ei reſcripſerim, ut ſciretis, utriuſque epiſtolae exemplum literis meis junxi: quod totum peto Fratribus noſtris legatis.*

XIV. Literas tum Romani Cleri, tum Confeſſorum vix accepit Cyprianus, quum animadvertens miram in obſervando tenendoque decreto proviſorio conſenſionem, continuò illas ad Clerum Carthaginenſem tranſmiſit, juſſitque ut exemplaria univerſis Africae Eccleſiis intimarentur. Namque in epiſt. 32. poſtquam disertè commemoraſſet epiſtolas Romani Cleri, & Confeſſorum, ſubjungit. *Exempla vobis tranſmiſi: vos curate quantum poteſtis pro diligentia veſtra, ut ſcripta noſtra, & illorum reſcripta Fratribus noſtris innoteſcant. Sed ſi qui de peregrinis Epiſcopis Collegae mei, vel Presbyteri, vel Diacones praeſentes fuerint, vel ſupervenerint, haec omnia de vobis audiant: & ſi exempla epiſtolarum tranſcribere, & ad ſuos perferre voluerint, facultatem tranſcriptionis accipiant....... ut in Eccleſiarum ſtatu quoquo modo interim componendo ſervetur una & fida conſenſio.*

XV. Reſtat ut quae autoritas huic Proviſorio decreto in Eccleſia fuerit attributa, paucis expendamus. Vis autem ejus mirum in modum ex eo elucet, quod Cyprianus in epiſt. 34. ad Clerum ſcripſerit, eos omnes à communione arcendos eſſe, qui decreto refragari auderent, & ſalubri, ut loquitur, auxilio obſi-

ſiſterent. Ipſum Cyprianum verbis ſuis audiamus. *Vos itaque ſecundum literas meas fideliter & ſalubriter conſulentes, à conſiliis melioribus non recedatis. Legite verò has eaſdem literas & Collegis meis, ſiqui aut praeſentes fuerint, aut ſupervenerint, ut unanimes & concordes ad fovenda & ſananda Lapſorum vulnera conſilium ſalubre teneamus, tractaturi pleniſſimè de omnibus cum convenire in unum per Domini miſericordiam coeperimus. Interim ſiquis immoderatus & praeceps ſive de noſtris Presbyteris, vel Diaconibus, ſive de peregrinis auſus fuerit ante ſententiam noſtram communicare cum Lapſis, à communicatione noſtra arceatur, apud omnes nos cauſſam dicturus temeritatis ſuae, quando in unum, permittente Domino, convenerimus.* Clericos omnes etiam peregrinos ſevero eidem decreto ſupponit Cyprianus non alia ſane de cauſſa, quàm quod Fiduciarium illud edictum ſuum pro univerſi Chriſtiani Orbis judicio magiſterioque habendum eſſe arbitraretur. Atque huc reſpiciunt quae ſcripſit ad Clerum Romanum, quum illi ſuperiorem epiſtolam dirigeret. Quippe in epiſt. 35. eandem ſententiam excommunicationis contra decreti obtrectatores & tranſgreſſores inſinuat, inquiens. *Quod ſi ultra temeritas eorum non meis, nec veſtris literis compreſſa fuerit, nec conſiliis ſalutaribus obtemperaverit, agemus ea quae ſecundùm Evangelium Dominus agere praecepit.* Reſcripſit ad haec Romanus Clerus in epiſt. 36., & quod in tranſgreſſores ſtatuerat Cyprianus, ſumma conſenſione approbavit, quin & immoderatae petulantiae & temeritatis periculoſae eoſdem coärguit.

XVI. Ad vim Encyclicae hujus ſeu decreti Fiduciarii editi accuratiùs commonſtrandam, plurimum & prae ceteris argumentis aliis facit Libellus de Lapſis, à S. Cypriano per eadem tempora exaratus, in quo & varia Lapſorum genera, & criminum quae illi patraverant, gravitatem, & difficultatem deſcribit veniae obtinendae, niſi competenti poenitentiâ divinum Numen ad gratiam & miſerationem inflectere laborarent. Id multis cum rationibus, tum exemplis adſtruit atque demonſtrat. Quandoquidem verò invaluerat atque altas radices egerat praeſumtio Martyrum, & Confeſſorum, qui Lapſis omnibus pacem

&

& communionem promiſcuè & ſine delectu concedendam eſſe arbitrabantur: laudat Cyprianus eorum praerogativam, atque id interim agit, ut jus illud certis limitibus circumſcribatur, certaque ut ratione definiatur, vehementius inſtat. *Sub Ara Dei animae occiſorum Martyrum clamant magna voce, dicentes: Quouſque, Domine Sanctus & verus, non judicas, & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui in terris habitant? Et requieſcere ac patientiam tenere adhuc jubentur: & quemquam poſſe aliquis exiſtimat remittendis paſſim donandiſque peccatis dignum fieri contra Judicem velle, aut prius quam vindicetur, ipſe alios poſſe defendere? Mandant aliquid Martyres fieri? Si juſta, ſi licita, ſi non contra ipſum Dominum, à Dei Sacerdote facienda ſunt; obtemperantis facilis et prona conſenſio, ſi petentis fuerit religioſa moderatio. Mandant aliquid Martyres fieri? Sed ſi ſcripta non ſint in Domini Lege quae mandant, ante eſt, ut ſciamus illos de Deo impetraſſe quod poſtulant; tunc facere quod mandant: neque enim ſtatim videri poteſt de divina majeſtate conceſſum, quod fuerit humana pollicitatione promiſſum.* Multa in hanc rem congerit ad decreti Proviſorii defenſionem in eodem opuſculo Cyprianus, quod cum altera ſubinde Encyclica de qua poſtea, in Orbem tranſmiſit.

XVII. Rebellium hujuſmodi motuum, quibus & Martyres nonnulli praerogativas ſuas intemperanter ampliabant, & Clerici aliquot lapſos & plebem contra decretum Fiduciarium incitabant, autor erat & dux Feliciſſimus, qui cum factioſis aliis Preſbyteris junctus, apertum ſchiſma adversùs Cyprianum invexit. Hunc S. Antiſtes gradu & communione privavit, decretumque excommunicationis in Epiſt. 41. direxit ad Caldonium, & Herculanum Collegas, & ad Rogatianum, atque Numidicum compreſbyteros, quibus haec inſuper mandat. *Has literas meas Fratribus noſtris legite, & Carthaginem ad Clerum quoque tranſmittite, additis nominibus eorum quicumque ſe Feliciſſimo junxerunt.* Inſuper cum Schiſmatici Africanam plebem miris artibus adversùs Primatem ſuum excitarent, ſcripſit ille circularem epiſtolam quae num. 43. legitur, & Feliciſſimi ſociorum-

rumque facinora prodit. De ſuo autem decreto ita edifferit. *Eadem nunc ratio, eadem rurſus everſio per quinque Presbyteros Feliciſſimo copulatos, ad ruinam ſalutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Chriſtum, eundem Chriſtum quem negaverat, deprecetur: poſt culpam criminis tollatur & poenitentia: nec per Epiſcopos, & Sacerdotes Domino ſatisfiat, ſed relictis Domini Sacerdotibus, contra Evangelicam diſciplinam nova traditio ſacrilegae inſtitutionis exſurgat: cumque ſemel placuerit tam nobis, quàm Confeſſoribus, & Clericis Urbicis, item & univerſis Epiſcopis vel in noſtra Provincia, vel trans Mare conſtitutis, ut nihil innovetur circa Lapſorum cauſſam, niſi omnes in unum convenerimus, & collatis conſiliis cum diſciplina pariter, & miſericordia temperatam ſententiam fixerimus. Contra hoc conſilium noſtrum rebellatur, ut omnis Sacerdotalis autoritas & poteſtas factioſis conſpirationibus deſtruatur.* Ubi contentionem hanc à Schiſmaticis excitatam adversùs Fiduciarium decretum appellat rebellionem, eſſeque aït everſivam autoritatis & poteſtatis Sacerdotalis, quae jura magiſterii adhibuerat in eo decreto formando, cui commune Orbis judicium acceſſit. Oppidò pulcrum & efficax eſt hoc Cypriani teſtimonium ad Encyclicarum Literarum uſum, vim, & magiſterium commendandum. Paria ſunt quae ſcripſit ad Antonianum in Epiſt. 55. ubi recenſitis actis in decreto Fiduciario promulgando, ſubjungit. *Siquis verò ante Concilium noſtrum, & ante ſententiam de omnium Conſilio ſtatutam, Lapſis temerè communicare voluiſſet, ipſe à communione abſtineretur.* De actis ipſis decreti Fiduciarii ſic loquitur. *Quae Literae per totum Mundum viſae ſunt, & in notitiam Eccleſiis omnibus, & univerſis Fratribus perlatae ſunt.* Equidem in promulgatione decreti hujus Encyclici apud Eccleſias omnes ſatis elucet, quanti haberetur diſciplina haec ſcribendarum Encyclicarum, quum fervente licet perſecutione, quae anno 250. & 251. graſſata eſt, nihilque praepediente aut rerum difficultate, aut locorum intercapedine potuerint Epiſcopi in illud decretum conſentire. Neque verò Cyprianum haec cum Antoniano jactabundum aſſeveraſſe, aut finxiſſe dixerit, cui ſanum omnino ſit ſinciput. Exploratum ſatis eſt, Antonia-

num

num jam ab anno ipſo 251., quo decretum ſequens in vulgus emanavit, ſubdubitare coepiſſe de autoritate ejuſdem Fiduciarii decreti, eique Peremtorium quod in eadem cauſſa Lapſorum ſecutum eſt, ex adverſo committere, perinde ac ſi horum alterum abrogari oporteret. Quid igitur cauſſae fuit, cur Antonianus aut falſitatis Sanctum Antiſtitem non poſtulaverit, aut tanti decretum Fiduciarium aeſtimarit, ut de Peremtorio haeſitaret? Noverat ſcilicet ille conſenſionem ab Eccleſiis omnibus decreto Proviſorio praeſtitam: rationes decreti alterius Peremtorii, quo ut indulgentiùs cum Lapſis ageretur, cautum eſt, planè ignorabat. Primum decretum Encyclicis à Novatiano ſuo, & à Clero Romano confirmatum pluris faciebat, quam quod Eccleſiae ſubinde, à quibus ipſe cum Novatiano diſtractus erat in Schiſmate, pari conſenſu eodemque magiſterio condidiſſent. Quamobrem Cyprianus ad eundem ſcribens & decreto Fiduciario nihil attribuit, quod ex Antoniani ipſius, & ceterorum conſcientia non eſſet; & Peremtorii decreti rationes omnino conſentaneas & aequas eſſe defendit, ut paullò infra prolixiùs diſputabimus.

§. V.

De exitu Decianae perſecutionis, deque Schiſmatibus Romae, & Carthagine excitatis.

SYNOPSIS.

I. *Tyrannorum ſeditionibus fractus Decius à perſecutione ceſſat.* II. *A Gothis & Barbaris proelio victus & interemtus.* III. *Qui, & unde fuerint Gothi, qui Scythae & Carpi, & qui eorum in imperium progreſſus.* IV. *Illorum dominatio poſt Decii mortem invaluit.* V. *Qui fuerit poſt perſecutionem Eccleſiae ſtatus ſub Gallo & Voluſiano.* VI. *Schiſma contra Cornelium Pont. à Novatiano*

tiano excitatur. VII. *Alterum Carthagine à Novato, Feliciſſimo, & factioſis Presbyteris*. VIII. *Novato Romam proficiſcente, Feliciſſimus electus Archidiaconus praeeſt Schiſmaticis*. IX. *Cyprianus in Concilio Carthaginenſi Privatum Lambeſitanum, & complices Schiſmaticos damnat: qui Fortunatum in Sedem Carthaginenſem intrudunt*.

I. TAndem occaſione primi belli Carporum & Gothorum anno 251., Deo Eccleſiam ſuam miſerante, truculentiſſima Decii perſecutio ceſſavit. Duos imperii hoſtes, externum unum, internum alterum, Tyrannos & Barbaros Decius expertus eſt. Atque è Tyrannorum numero, quos Trebellius Pollio uſque ad XXX. recenſuit, Valens fuit, de quo Victor de Caeſarib. *Valens Licinianus Imperator effectus eſt*. Is quidem imperium in Illyrico arripuit, de eodem ſcribente Vopiſco. *Quum paucis diebus Illyrico imperaſſet, occiſus eſt*. Ejus apud Occonem numiſma exſtat, cujus antica pars ſic inſcribitur. *Imperator Caeſar Julius Valens Pius Auguſtus. Anno I.* Macedoniae quoque Praeſes Lucius Priſcus Gothorum auxiliis fretus, tyrannidem & imperium aſſumſit: De eo ſcribit Victor de Caeſarib. *Per eos dies Lucio Priſco delata dominatio Gothorum concurſu, poſtquam dirreptis Thraciae plerisque illò pervenerat. Qua cauſſa Decio quàm potuit maturrimè Roma digreſſo, Julius Valens cupientiſſimo vulgo imperium capit. Verum utrique* (Priſcus nempe, & Valens) *mox caeſi: cum Priſcum Nobilitas hoſtem patriae cenſuiſſet*. Praeter hos fuit Perpenna, qui Tyrannidem in Galliis arripuerat: quamquam & hunc brevi interemtum, referunt Hiſtoriae Auguſtae Scriptores. Accedebat & illud incommodi, quod Gallus qui poſtea in imperio ſucceſſit, occultis machinationibus Decio inſidias, & publicae tranquillitati turbas ſtrueret.

II. Ex alia parte aſpera Gothorum gens, quae ad vicinia Paludis Meötidis multò pridem inſederat, ut Iornandes de rebus Gothicis narrat, per eadem tempora collato cum barbaris aliis exercitu, Daciam, ac Moeſiam occupaverat, atque ad ſiniſtram Iſtri ſedem fixerat: unde aſſiduis & inopinis depraedatio-

tio-

Digitized by Google

tionibus Thraciam infeſtabat. Philippus Imp. reprimere illos nequidquam molitus fuit: quod feliciter Decio contigit, qui eoſdem ad Thanaïm uſque rejecit, & Gallum ingentibus copiis inſtructum miſit qui barbaros contineret. Zoſimus lib. 1. Hiſt. cap. 23. deſcribit auſpicatiſſima prima Decii geſta adversùs barbaros, quos à regione quam incoluerant, & unde venerant, Scythas appellat. Prodit etiam tunc demum eam Romanis placuiſſe ſententiam, ut Thracia vallo ampliſſimo circumdaretur, quatenus barbari in imperii Provincias non ultra irruerent. Cetera his verbis proſequitur. *Quumque Gallum ad Thanaïdis ripam ſatis magnis cum copiis collocaſſent, ipſe* [Decius] *cum reliquis ad hoſtem propius accedebat. Rebus ex animi ſententia ſuccedentibus, Gallus ad moliendas res novas conversus, legatis ad barbaros miſſis, ut in ſocietatem inſidiarum adversùs Decium venirent, hortabatur. Illis cupidiſſimè quod imperatum erat, accipientibus, Gallus quidem cuſtodiendae ripae Thanaïdis intentus erat: Barbari verò trifariam diviſi, quodam in loco aciem inſtructam collocabant, quem locum Palus quaedam à fronte muniebat. Ubi multos ex eis Decius interemiſſet, acies ſecunda ſupervenit: qua ipſa quoque in fugam acta, pauci quidem ex acie tertia propter paludem conſpecti ſunt. Ibi quum Gallus per indicia Decio ſignificaſſet, ut eos per ipſam paludem invaderet, imprudenter ob locorum ignorantiam progreſſus, & cum copiis quas ſecum ducebat, in luto defixus, & à barbaris undique telis petitus, unà cum iis quos propter ſe habebat, nemine prorſus evadendi facultatem nacto, periit.* Lactantius quoque de Mortibus Perſecut. cap. 4. ſcribit. *Nam profectus adversùm Carpos, qui tum Daciam, Moeſiamque occupaverant, ſtatimque circumventus à Barbaris, & cum magna exercitus parte deletus, ne ſepultura quidem potuit honorari, ſed exutus & nudus, ut hoſtem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit.* Et Epitome Victoris. *In ſolo barbarico inter confuſas turbas gurgite Paludis ſubmerſus eſt, ità ut nec cadaver ejus poterit inveniri.*

III. Barbari, quibuſcum pugnavit Decius, à Zoſimo Scythae, Carpi à Lactantio, & à Scriptoribus rei Auguſtae Gothi vocantur. Ut autem & ſecum ipſis, & cum rei veritate concilientur aliquomodo Scriptores, expendenda ſunt quae in hoc argu-

Digitized by Google

mento ſcripſit Jornandes. Loquens enim de primis Gothorum irruptionibus in Romanum imperium, appoſitè obſervat, barbaros alios Gothis fuiſſe admixtos, Borones puta, Gothos, Uncgundos, ut eos Zoſimus paſſim appellat, Aſtringos, Thaphilos alioſque quos ibidem ſuo quemque nomine cenſet. Carpos autem Lactantius vocat non immeritò, quum Carporum opem ob majorem locorum experientiam Gothi expetierint. Concinit enim Jornandes cap. 16. *Sed & Carporum tria millia acceſſere, genus hominum ad bella minis expeditum, qui ſaepe Romanis infeſti erant.* Iccirco in aliis Gentium Septentrionalium tranſmigrationibus Carpi plerumque aſſociati fuerunt, ut in Langobardica expeditione in Italiam facta proclive eſt obſervare. Et Imperatores quidem à Carpis devictis cognomentum ſumere nequaquam dedignati ſunt. Apud Triſtanum Tom. II. pag. 577. nummus hodieque exſtat ſub Decio cuſus quum primùm Gothos debellaſſet, & inſcribitur. *Victoria Carpica Votis X.* Gothis tamen potiſſimam rei geſtae partem fuiſſe attributam, teſtatur Conſtantinus M. in Orat. ad Patres Nicaenos cap. 24. *Te nunc interrogo, Deci, qui Juſtorum laboribus olim inſultabas, qui Eccleſiam odio proſequebaris . . . . . . Quid rerum nunc agis poſt hanc vitam? . . . . . . Tuam certè infelicitatem ſatis ſuperque declaravit illud temporis ſpatium quod inter vitam, ac mortem tuam interceſſit: cum tu in campis Scythicis unà cum omni exercitu proſtratus, imperium Romanum tantopere ubique celebratum, Gothorum contemtui ac ludibrio expoſuiſti.* Quin etiam ità crevit in barbaris illis audacia, ut Carpi quidem vicum proprium in Moeſia conſtruxerint, de quo Ammianus lib. 27. cap. 15., & Thraciam atque oppoſitas ſiniſtrae Danubii Urbes continuò infeſtarint, adeo ut Romani ad dexterum litus ejuſd. fluminis caſtra & Urbes excitare coäcti fuerint, illorum impetus repreſſuri. De his Menander Rhetor lib. 1. cap. 15. de Gen. Demonſtrat. aït. *Neceſſarii autem, ut quod attinet ad Urbes juxta flumen conditas à Romanis, quae Carpiae dicuntur, ne trajicientes barbari infeſtarent.* Nec Carporum gens domita uſque ad Diocletianum fuit; qui victos tandem, & bello captos per tractum Pannoniae diſperſit. Conſulendi hoc de argumento Ammia-

mia-

mianus lib. 28. cap. 1. Hieronymus in Chronico, Aurelius Victor, aliique minores Scriptores.

IV. Intereà abs iſtiuſmodi Gothico bello, & à Galli conſpiratione cum Gothis habita, declinare coepit imperium, ut Conſtantinus M. obſervat; jactaque ſunt dominationis Gothicae fundamenta; cujus Epocha in annum quo Decius obiit, Chriſti autem 252. omnino incidit. Animadverterat idipſum pariter Zoſimus, qui poſt enarratam Galli proditionem, ſubjungit cap. 24. *Proſperae Barbarorum res incrementum coepere. Non enim cum praeda tantum Gallus eis ut ſuos intra fines redirent, permiſit, verùm etiam quotannis certam pecuniae ſummam dare promiſit, & ex captivis nobiliſſimum quemque per vim abduci paſſus eſt: quorum plerique capta Thraciae Philippopoli, hoſtium in poteſtatem venerant.* Narrare ibidem proſequitur Decianae totius ſtirpis internecionem, & cap. 26. de Galli imperio ſcribit. *Quum autem negligenter imperium Gallus adminiſtraret, primùm quidem Scythae nationibus ſibi vicinis terrorem incutiebant: deindè paullatim progreſſi, ad ipſum uſque mare ſitas regiones populabantur adeo quidem, ut nulla gens Romanae ditionis ab eis non vaſtata manſerit, ſed omnia prope dixerim oppida deſtituta moenibus, & iiſdem munitorum magna pars capta fuerint. Nec minus bello, quod undique ſcaturiendo velut emerſerat, lues etiam peſtilens in oppidis atque vicis ſubſecuta, quidquid erat humani generis reliquum abſumſit: quae ſanè nunquam ſuperioribus ſeculis tantam hominum ſtragem ediderat.* Loquuntur de hac Epidemica lue Dionyſius Alexandrinus, & Sanctus Cyprianus. Haec Romanarum Gentium conſternatio ceſſit in commodum Barbarorum, ſcribente eodem Zoſimo cap. 27. *Hoc rerum ſtatu cum Imperatores* (Gallus, & Voluſianus) *Rempublicam tueri non poſſent, & omnia extra Romam poſita negligerent: rurſus Gothi, & Borani, & Urgundi, & Carpi civitates in Europa diripiebant, quidquid eis ſuperabat, ſibi auferentes.*

V. Decius itaque, hinc Tyrannis, inde Gothis excidium imperio minitantibus, imò & conſpirantibus in idipſum per rebellionem Perſis, referente Zoſimo lib. 1. cap. 27., debellandis inimicis intentus, hominumque provincialium indigus à caede & perſecu-

tione Chriſtianorum ceſſavit. De hujus perſecutionis exitu loquitur Cyprianus ipſo in limine opuſculi ſui de Lapſis. *Pax ecce, dilectiſſimi Fratres, Eccleſiae reddita eſt: & quod difficile nuper incredulis ac perfidis impoſſibile videbatur, ope atque ultione divina ſecuritas noſtra reparata eſt. In laetitiam mentes redeunt, & tempeſtate preſſurae, ac nube & caligine diſcuſſa, tranquillitas & ſerenitas refulſerunt. Dandae laudes Deo, & beneficia ejus ac munera cum gratiarum actione celebranda, quamvis agere gratias noſtra vox nec in perſecutione ceſſaverit. Neque enim tantum inimico licere poteſt, ut non qui Dominum toto corde & anima & virtute diligimus, benedictiones ejus & laudes ſemper & ubique cum gloria praedicemus. Exoptatus votis omnium dies venit, & poſt longae noctis horribilem tetramque caliginem, Domini luce radiatus Mundus eluxit.* Integrae quidem Chriſtianorum paci intercedere viſi ſunt Gallus & Voluſianus, qui ob luem invaleſcentem edictis ſanxerant, ut Arae Idolorum ab omnibus frequentarentur, & paſſim ſacrificia fierent, cuſis etiam nummis cum ea inſcriptione: *Apollini Salutari*. Sed incommodum non grave admodum Chriſtianis ex eo illatum eſt, tum ob inteſtinos imperii tumultus, tum ob luem ipſam quae nullo negotio civilem politiam ſuſdeque habebat. De qua notatu non indigna ſunt quae ſcribit Cedrenus in Gallo. *Eo tempore peſtis invaluit ab Aethiopia in Occiduam uſque terrae partem propagata: neque ulla fuit Urbs ejus expers, multae etiam bis ea lue infeſtatae. Obtinuit anno XV., coepit Autumno, & deſiit ſub ortum Caniculae.*

VI. Eccleſia itaque, pace utcumque reſtituta, atque ab externis hoſtibus libera, inteſtinis diſſenſionibus & litigiis coepit divexari. Vix Romana Eccleſia diu viduata Paſtore, Cornelium elegit Pontificem, quum Novatianus Urbis Archidiaconus contra ordinationem Cornelii apertè & palam contendere, eamque velut illegitimam improbare veritus non eſt. Crevit infelix illius Eccleſiae conditio, quum idem & numeroſa factione innixus, & magna etiam plebis parte diſtracta, Schiſma induxit, dictum ab autoris nomine Novatianum: quod quemadmodum & per Orbem propagatum fuerit, & Eccleſias populoſque in exitium

per-

Digitized by Google

perduxerit, ac demum judicio Chriſtiani Orbis fuerit compreſſum, poſtea dicemus.

VII. Non aliter quaſſabatur Eccleſia Africana diro illo Schiſmate, quod Novatus Presbyter Carthaginenſis unà cum factioſis quinque Presbyteris induxerat, Feliciſſimus autem ſeditionibus ac tumultibus auxerat, plerique Lapſorum fovebant, qui licèt Fiduciario decreto coërciti, contumacis tamen propoſiti tenaces erant. Jam tum quum Cyprianus ad Sedem Carthaginenſem fuit evectus, rebellaverat ab eo Novatus, & Schiſma cum ſupradictis quinque Presbyteris nuſquam depoſuit. Quas autem turbas per Africam excitarint factioſi Presbyteri, enarravimus paullo ſupra quum de Fiduciario decreto ageremus.

VIII. Novatus interim, dum Cyprianus Clerum Carthaginenſem ordinaturus erat, Romam pergere decrevit, ſuumque velut Vicarium, & Sectariorum quos in Africa relinquebat, ducem ac principem anno 250. Feliciſſimum conſtituit. De eo ſcripſit poſtea Cyprianus in epiſt. 51. ad Cornelium. *Idem eſt Novatus, qui apud nos primum diſcordiae & Schiſmatis incendium ſeminavit, qui quoſdam iſthic ex Fratribus ab Epiſcopo ſegregavit, qui in ipſa perſecutione ad evertendas Fratrum mentes, alia quaedam perſecutio noſtris fuit. Ipſe eſt qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum Diaconum nec permittente me, nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit.* Eadem de Novato ſcribit Euſebius in Chronico. *Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens, Novatianum, & ceteros Confeſſores ſibi ſociat*. Et Pacianus in epiſt. 2. *Tuus forte Presbyter Novatus ex Africa Romam venit*. Porro Feliciſſimus Diaconus officium Archidiaconi à Novato videtur accepiſſe, ut quae ad eum gradum ſpectabant, eo abſente in Eccleſia Carthaginenſi ubi opus eſſet, etiam per violentiam obiret. Conjecturam hanc noſtram lubet ad hanc amuſſim exigere. Novimus ad Archidiaconos id olim potiſſimum pertinuiſſe, ut totius Cleri, & pauperum imprimis gererent curam, & quotuſquiſque dignus eſſet qui gauderet emolumentis Eccleſiarum, attentè perſpicerent. Officii hujus exemplum in Caeciliano Archidiacono Carthaginenſi exhibet lib. 1. Optatus. Quum igitur eodem anno S. Cyprianus in

ſeceſſu adhuc degens, velut Vicarios Carthaginem direxiſſet Caldonium, & Herculanum Epiſcopos, cum duobus Presbyteris Numidico, & Rogatiano, tum ut Fratrum neceſſitatibus ſuccurrerent, tum etiam ut eorum aetatem, merita, conditiones diſquirerent, qui ad Eccleſiaſticae adminiſtrationis officia & gradus erant promovendi; interceſſit prohibuitque Feliciſſimus: Imò illis omnibus audacter interminatus eſt, quod ſi pergerent Cypriano obtemperare, ſuae communionis jacturam eſſent facturi. Audaciae, fateor, & temeritatis plenus erat Feliciſſimus. Sed quo demum fuco rationis tantopere ſe ſe extollere, & plebi imponere poterat, ſi officio Archidiaconi nequaquam fungebatur? De hac Feliciſſimi, ac ſociorum pertinacia ſcripſerunt Vicarii ad S. Cyprianum, qui in epiſt. 41. reſcripſit, ut Feliciſſimum cum aſſeclis ſuis multarent excommunicationis ſententia: quod & illi executi ſunt, & forma denunciativa quae ad eoſdem eo vinculo innodatos declarandos fuit adhibita, legitur in epiſt. 42. Sed nihil audaciae ſuae remiſit Feliciſſimus cum aliis abſtentus; imò dum Novatus Schiſma totis viribus Romae excitabat, ille in Africa intentatum nihil reliquit, ut Schiſma ſuum prolataret. Qua autem de cauſſa cogitemus, Feliciſſimum hac in re praeïviſſe Donato, Fortunato, Jovino, Maximo, & Gordio Presbyteris, & Fiduciarium decretum in cauſſa Lapſorum emanatum imprimis convellere ſtuduiſſe, plurimumque ad Fidelium ſeductionem potuiſſe, niſi quòd gradu Archidiaconi fuerit inſignitus? Hoc certè officio defungens Feliciſſimus eò rem adduxit, ut Cyprianus epiſtolam quae eſt num 43. coäctus fuerit ad plebem ipſam conſcribere, quatenus ſpretis machinationibus Schiſmaticorum, Eccleſiae adhaereſceret; tamque vehementes excitavit motus, ut Cyprianus Carthaginem ad Paſcha celebrandum quod eo anno 251. in III. Idus Aprilis incidit, nequaquam venire potuerit.

IX. Vix tamen Cyprianus eodem anno Carthaginem ingreſſus eſt, Epiſcoporum Africanorum Concilium quantocius adunavit tum pro cauſſa Lapſorum definienda, tum etiam pro Schiſmate comprimendo. Venit ad hoc Concilium Privatus,

Lam-

Digitized by Google

Lambeſae olim in Numidia Epiſcopus, qui aliquot ante annos ob multa & gravia delicta judicio nonaginta Epiſcoporum fuerat condemnatus: licet currente interpontificio ſententiam hanc reſcindere allaboraſſet. De eo tamen ſcripſerat in epiſt. 36. ad Cyprianum Romanus Clerus. *Quod autem pertinet ad Privatum Lambeſitanum, pro tuo more feciſti, qui rem nobis ſolicitam nunciare voluiſti. Omnes enim nos decet pro corpore totius Eccleſiae, cujus per varias quaſque Provincias membra digeſta ſunt, excubare. Sed nos etiam ante literas tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam cum antehac quidam ex ipſius nequitiae cohorte veniſſet Vexillarius Privati futurus, & fraudulenter literas à nobis elicere curaret, nec quis eſſet latuit, nec literas quas volebat, accepit.* Unà cum Privato, Carthaginem etiam appulere Felix Pſeudo-Epiſcopus ab ipſo Privato conſtitutus, Jovinus, & Maximus factioſi Presbyteri, & Repoſtus jam pridem abſtentus. Sed quum ſimul omnes à Concilio rejicerentur & damnarentur, in rabiem acti, Fortunatum ex quinque illis factioſis Presbyteris unum, dixerunt Carthaginenſem Epiſcopum; atque is demum conciliabulo inito, direxit Feliciſſimum cum ſua Synodica ad Cornelium. De quo ad Cornelium pariter ſcripſit Cyprianus, ut infra commodiùs dicetur. Fervebat interim adhuc in Africa laxior illa opinio circa Lapſorum reconciliationem, multòque vehementiùs incitabantur à Schiſmaticis populi adversùs Proviſorium ſeu Fiduciarium decretum. Hic erat Eccleſiarum ſtatus, haec conditio poſt ſublatam perſecutionem Tyrannorum.

V 4 §. VI.

§. VI.

De Peremtorio Decreto à Patribus Carthaginenſibus in cauſſa Lapſorum edito, & per Encyclicas promulgato.

Synopsis.

I. Cyprianus Carthaginem regreſſus congregat Plenarium Concilium. II. Celebratur ann. 251. poſt Paſchalem ſollennitatem. III. Acta expenduntur, & decretum. IV. Decreto adjunxit Cyprianus libellum ſuum de Lapſis. V. Lapſorum tria genera diſcreta, & de unoquoque judicatum. VI. Cautum, ut in exitu pax omnibus daretur. VII. Reduces à Concilio Romano Legati audiuntur. VIII. Feliciſſimum Romae non receptum, Schiſmaticum declarat. IX. Tranſmittit ad Cornelium Epiſcoporum Catholicorum indiculos. X. Schiſmaticos denunciari debuiſſe, ex Cornelio & Cypriano demonſtratur. XI. Synodalis Encyclica publicatur. XII. Cornelius, & Occidentales eidem ſubſcribunt.

I. POſt celebratam ut diximus Paſchatis feſtivitatem, anno 251. ſub finem Aprilis, & ferè poſt biennium quod in receſſu tranſegerat, venit Carthaginem Cyprianus, celebraturus quod ſpoponderat, cum Epiſcopis Africae Concilium, in quo deliberandum erat, quid tandem & quo jure agendum eſſet cum Lapſis. Dubitandum non eſt, quin evocatoriis literis Epiſcopos Africanos commonuerit: quippe res quae tum Africae, tum Orbis totius Eccleſias tangeret, Nationalem plenariam Synodum procul dubio exigebat. Coacta igitur Synodus fuit imprimis ad cauſſam Lapſorum ventilandam definiendamque, tum etiam ad componenda diſſidia quae provincias Africanas in partes diſtraxerant. Hac de Synodo loquitur Cyprianus ipſe in epiſt. ad Antonianum. *Secundùm quod antea fuerat deſtinatum, perſecutione ſopita, cum data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſ-*

Epiſcoporum numerus, quos integros & incolumes fides ſua & Domini tutela protexit, in unum convenimus.

II. Synodi tempus quod attinet, celebrata eſt ſtatim ac Carthaginem regreſſus eſt Cyprianus, currente ſcilicet anno 251. quo Decius Gothico bello diſtractus, nequaquam impediit, quominus Epiſcopi, exſules aliique res Eccleſiae liberè agerent: & quo pace Eccleſiis reſtituta, Clerus Romanus Epiſcopum dixit Cornelium. Quin etiam contigit Synodus mox à Paſchate celebrato, qua tempeſtate viciniores Epiſcopi quotannis Carthagine ad Coetum celebrandum convenire ſimul aſſueverant. Innuit conſuetudinem hanc Cyprianus in epiſt. 56., ubi Fortunatum, ceteroſque Epiſcopos ità alloquitur. *Quoniam tamen ſcripſiſtis, ut cum pluribus Collegis de hoc ipſo pleniſſimè tractem, & nunc omnes ferè inter Paſchae prima ſollennia apud ſe cum Fratribus demorantur, quando ſollemnitati celebrandae apud ſuos ſatis fecerint, & ad me venire coeperint, tractabo cum ſingulis plenius.* Quibus verbis apertè docet, Epiſcopos in more habuiſſe ut Paſchali ſollennitate peractâ, Carthaginem ad celebranda Concilia properarent. Mos hic apud reliquas provincias uſque adeo invaluit, ut conſuetudinis obſervantia ſacris paſſim Canonibus praeſcribatur.

III. Acta Concilii deſcribit Cyprianus ipſe in epiſt. 55. ad Antonianum. *In unum convenimus, & Scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis & pacis Lapſis denegaretur, nec plus deſperatione deficerent, & eo quod ſibi Eccleſia cluderetur, ſecuti ſeculum gentiliter viverent; nec tamen rurſus cenſura Evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temerè proſilirent, ſed traheretur diu poenitentia, & rogaretur paterna clementia, & examinarentur cauſſae & voluntates & neceſſitates ſingulorum; ſecundum quod libello continetur, quem ad te perveniſſe confido, ubi ſingula placitorum capita conſcripta ſunt.* Libelli nomine vel Cyprianus Encyclicam intelligit, quae à Synodo Carthaginenſi conſcripta eſt, & Romam atque in alias provincias directa, vel opuſculum de Lapſis ſuum, quod quemadmodum prodierit, obſervaſſe inutile non eſt.

IV.

Digitized by Google

IV. Cyprianus ut compeſceret laxiorem opinionem illam, quae titulo & fuco clementiae tot ſeditiones per Africam excitaverat, hunc de Lapſis libellum conſcripſit, quo doctrinam in Fiduciario decreto propoſitam mirificè adſtruit confirmatque. Opuſculum equidem magni pretii eſt, in quo & Lapſorum genera, & criminum gravitatem, & limites praerogativis Martyrum conſtitutos, & neceſſariam Sacerdotibus in unoquoque delicto judicando maturitatem inculcat. Ipſo in limine initioque Concilii hujus juſſit Cyprianus idem opus lectitari, ut noſſent Epiſcopi omnes, quanto cum moderamine ipſe in cauſſa Lapſorum tractanda verſatus eſſet: & quemadmodum eadem Peremtorio decreto ità eſſet dirimenda, ut nulla criminibus fomenta conſequerentur. Graviſſima ſanè & acris eſt Cypriani expoſtulatio adversùs Patronos opinionis laxioris circa operis medietatem, ubi licentiam illam appellare non dubitat ſummam crudelitatem, qua non medela vulneribus, ſed certa mors aegris inferatur. Hic Libellus ad Cornelium alioſque Antiſtites cum hac ſecunda Encyclica fuit à Cypriano tranſmiſſus. De quo poſtea.

V. Interim à Concilii Patribus gravitas criminum, & varia Lapſorum conditio ad examen vocata eſt. Et Lapſos quidem in claſſes omnino tres ſecreverunt, quarum prima fuit illorum qui libellis ſecuritatem paciſcebantur, Libellatici ob id nuncupati. Altera eorum fuit, qui thus adoleverant, aut de victimis idololatricis comederant: & hi Thurificati, aut Sacrificati audiebant. Tertiam claſſem faciebant Apoſtatae, qui ejuratum Chriſtianum nomen blaſphemiis etiam onerabant. Atque ii omnes ſunt quibus Feliciſſimus cum factioſis Presbyteris pacem nullo negotio dari volebant: quibus Martyrum & Confeſſorum aliqui ſuffragio ſuo acceſſerunt. Patres itaque diſtinctione utuntur, ac Libellaticos à ceteris Lapſis ſecernunt, & cum illis remiſſo jure utendum, cum aliis verò ſummi juris limites non excedendos decernunt. Aequitatem à Patribus circa unamquamque Lapſorum claſſem ritè adhibitam, Cyprianus in epiſt. ad Antonianum commemorat. *Cum ergo inter ipſos*, inquit, *qui ſacrificaviſt, multa ſit di-*

Digitized by Google

diverſitas: quae inclementia eſt & quàm acerba duritia, Libellaticos cum iis qui ſacrificarint, jungere? Quando is cui Libellus acceptus eſt dicat. Ego prius legeram, & Epiſcopo tractante cognoveram non ſacrificandum Idolis. Breviter deinde perſtringit, ut ſupra diximus, Concilii Acta; tum verò ſubjungit. *Nunc tamen etiam iſte qui libello maculatus eſt, poſtea quam nobis admonentibus didicit nec hoc ſe facere debuiſſe, & ſi manus pura ſit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conſcientiam tamen ejus eſſe pollutam: flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit nunc admonetur, & non tam crimine, quàm errore deceptus, quod jam de cetero inſtructus & paratus ſit, conteſtatur. Quorum ſi poenitentiam reſpuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiae, ſtatim cum uxore, cum liberis, quos incolumes reſervaverant, in haereſim vel Schiſma Diabolo invitante rapiuntur: & adſcribetur nobis in die judicii, nec ovem ſauciam curaſſe, & propter unam ſauciam multas integras perdidiſſe*. De edito pro utraque claſſe Lapſorum decreto Synodali ita concludit. *Et ideo placuit, Frater cariſſime, examinatis cauſſis ſingulorum, Libellaticos interim ſuſcipi, Sacrificatis in exitu ſubveniri, quia exomologeſis apud inferos non eſt*.

VI. Synodus interim quum ceteris Lapſis ad mortem uſque poenitentiam decreverit, hauddubiè conſultum illis voluit qui inopinato interirent. Qua in re id Synodicè à Patribus cautum eſt, quod ſcribit idem Antiſtes ad Antonianum, *Sed ſiqui in infirmitatibus occupantur, illis ſicut placuit in periculo ſubvenitur; poſtquam autem ſubventum eſt, & periclitantibus pax data eſt, ſuffocari à nobis non poſſunt, aut opprimi, aut vi & manu noſtra in exitum mortis urgeri; ut quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos qui acceperint pacem: cum magis in hoc judicium divinae pietatis & paternae lenitatis appareat, quod qui pignus vitae in data pace percipiunt, hic quoque ad vitam percepta pace teneantur: Et iccirco ſi accepta pace commeatus à Deo datur, nemo hoc debet in Sacerdotibus criminari, cum ſemel placuerit Fratribus in periculo ſubvenire*.

VII. Carthagine congregati adhuc erant Patres Africani, quum duo Epiſcopi advenerunt quos Cyprianus Legatos Ro-

mam

mam miſerat, daturos operam electioni Cornelii. Eos audivit Concilium, quum referrent & acta Romanae Synodi adversùs Novatianum ejuſque Schiſma, & errores potiſſimum circà peccata quae Stoïco aſtu paria eſſe aſſeveraverat, undequaque diſſeminatos. Quae in ſequenti diſputatione opportuniùs redibunt elucidanda.

VIII. Actum pariter eſt de Feliciſſimo & factioſis Presbyteris, ac confirmata quae in illos jam emanaverat, excommunicationis ſententia. Etſi enim Feliciſſimus Fortunati quem unà cum aliis Carthaginenſem Pſeudoëpiſcopum conſtituerat, legatus Romam veniſſet ante Synodalis hujus Encyclicae promulgationem, à Cornelio tamen receptus non fuit: quippe, cum more recepto ad Clerum Romanum ſuperiore anno tranſmiſſa fuiſſet ſententia excommunicationis in Feliciſſimum dicta, jure Canonum nequaquam recipi poterat, niſi Cyprianus ipſe ſententiam quam tulerat, revocaſſet. Reipſa tum Feliciſſimum, tum Schiſmatis & pertinaciae conſortes velut excommunicatos à Cornelio, & à Clero Romano fuiſſe habitos, docet Cyprianus ipſe in epiſt. 59. ad Cornelium. *Maximè quando & Fortunati nomen jam ſatis noſſes, qui eſt unus ex quinque Presbyteris jam pridem ab Eccleſia profugis, & ſententia Coëpiſcoporum noſtrorum multorum, & graviſſimorum virorum nuper abſtentis, qui ſuper hac re priori anno ad te literas fecerunt: item Feliciſſimum ſigniferum ſeditionis recognoſceres, qui & ipſe in iiſdem Coëpiſcoporum noſtrorum factis ad te pridem literis continetur: qui non tantùm ab iis iſthic abſtentus, ſed abs te illic nuper de Eccleſia pulſus eſt.* Porro Cyprianus epiſtolam ad Cornelium anno 252. dedit, atque adeo quum memorat Concilium anni 251., hoc ipſum Carthaginenſe laudat non eo tantum titulo, quod decreta adversùs Africae Schiſmaticos ediďiſſet, ſed etiam quod multis & graviſſimis Epiſcopis conſtiterit.

IX. Ad haec, quum Fortunatus Pſeudoëpiſcopus in id potiſſimum intenderet, ut Schiſma ſuum ſtabiliret, & quod juvat conjicere, ei refragarantur aliqui, aliqui verò aſſentirentur, conducentiſſimum univerſae Synodo viſum eſt, indicare Cornelio

nelio & Romanis nomina Catholicorum Epiſcoporum, quibuſcum per literas tutò communicare poſſent. Quapropter in eadem epiſt. 59. ad Cornelium ſcribit Cyprianus. *Miſerim tibi proximè nomina Epiſcoporum iſtic conſtitutorum, qui integri & ſani in Eccleſia Catholica Fratribus praeſunt. Quod utique ideo de omnium noſtrorum conſilio placuit ſcribere, ut erroris diluendi, ac perſpiciendae veritatis compendium fieret, & ſcires tu, & Collegae noſtri quibus ſcribere, & literas mutuò à quibus vos accipere oporteret. Siquis autem praeter hos quos epiſtola noſtra complexi ſumus, ſcribere vobis auderet, ſciretis eum vel ſacrificio, vel libello eſſe maculatum, vel unum de haereticis, perverſum ſcilicet & profanum.* Commendanda mehercle haec priſcarum Eccleſiarum ſolicitudo, qua Primates & Metropolitani electis noviter Pontificibus indicabant Epiſcopos ſuos Catholicae profeſſionis, nomina etiam & Epiſcopatus deſcribebant, ut quibus Formatas ceteraſque epiſtolas dari oporteret, ſine ulla dubitatione cognoſcerent.

X. Quemadmodum vero Metropolitae Pontifici denunciabant nomina Ortodoxorum Epiſcoporum, ita quoque eorum qui aut Schiſmatici & rebelles, aut haeretici, aut denique abſtenti eſſent. Hinc quum Cornelius conqueſtus eſſet de Cypriano quod acta Fortunati Pſeudo Epiſcopi Carthaginenſis illico ad notitiam ſuam non pertuliſſet, querimoniam his verbis excepit ille in epiſt. 59. ad eundem Pontificem. *Quod autem tibi de Fortunato iſto Pſeudoepiſcopo à paucis & inveteratis haereticis conſtituto, non ſtatim ſcripſi, Frater Cariſſime, non ea res erat quae in notitiam tuam deberet per nos feſtinato ſtatim quaſi magna aut metuenda perferri: maxime quando & Fortunati nomen jam ſatis noſſes, qui eſt unus ex quinque Presbyteris jam pridem de Eccleſia profugis, & ſententia Coepiſcoporum noſtrorum multorum, & graviſſimorum virorum nuper abſtentis, qui ſuper hac re priore anno ad te literas fecerunt: item Feliciſſimum ſigniferum ſeditionis recognoſceres; qui & ipſe in iiſdem Coëpiſcoporum noſtrorum factis ad te pridem literis continetur: qui non tantùm ab iis iſthic abſtentus, ſed abs te illic nuper de Eccleſia pulſus eſt. Cum haec in notitia tua eſſe confiderem, & pro certo haerere memoriae & diſciplinae tuae ſcirem, neceſſarium non putavi celeriter,*

riter & urgenter haereticorum tibi ineptias nunciandas : neque enim ad Catholicae Eccleſiae majeſtatem pariter ac dignitatem pertinere debet , quid apud ſe haereticorum , & Schiſmaticorum moliatur audacia . Duo hinc facilè colliges . I. Encyclicam Carthaginenſem hîc memoratam , fuiſſe à Cornelio ſuſceptam , ſiquidem laudata epiſtola 59. ſcripta eſt anno 252., Encyclica verò ſuperiore anno 251. prodierat . II. Etiam conſtat , in Encyclicis denunciari conſueviſſe non tam nomina Epiſcoporum Catholicorum , quàm Schiſmaticorum , & à fide ac veritate aberrantium .

XI. Ad exitum perducto cum his decretis Concilio Carthaginenſi , Patres emiſerunt Encyclicam votis & ſubſcriptionibus Epiſcoporum omnium communitam , eamque imprimis ad Cornelium tranſmiſerunt . Celebre hoc monumentum niſi tempus edax nobis invidiſſet , magno compendio uteremur ad vim Encyclicarum in conſenſione Epiſcoporum Orbis demonſtrandam . Attendenda interim ſunt de hujus Encyclicae promulgatione quae ſcribit Cyprianus in epiſt. 45. ad Cornelium. *Quantum vero hic ad Presbyterium quorumdam , & Feliciſſimi cauſſam pertinet , quid hic actum ſit ut ſcire poſſes , literas ad te Collegae noſtri manu ſua ſubſcriptas miſerunt . Qui auditis eis , quid ſenſerint , & quid pronunciaverint , ex eorum literis diſces* . Imo & alia ejuſdem Encyclicae exemplaria ſe ad illum dirigere ſcribit unà cum aliis literis , quas ad Clerum Carthaginenſem , & ad plebem Africanam dederat pro hujuſmodi decretorum obſervantia . Illud etiam à Cornelio poſtulat , ut reſcripta eadem iterum atque iterum in Eccleſiis jubeat lectitari . *Melius autem , Frater , facies ſi etiam exempla literarum quae ad te legenda pro dilectione communi per Caldonium , & Fortunatum Collegas noſtros proximè miſeram , quae de eodem Feliciſſimo , & de Presbyterio ejuſdem ad Clerum iſtic noſtrum , & ad plebem ſcripſeram , legi illic Fratribus jubeas , quae & ordinationem , & rationem rei geſtae loquantur , ut tam iſtic , quàm illic circa omnia per nos Fraternitas tua inſtruatur . Exemplaria autem eadem nunc quoque per Mettium Hypodiaconum à me miſſum , & Nicephorum Acoluthum tranſmiſi* . Noſcimus hinc , Mettium denuò

Ro-

Romam properaſſe cum exemplaribus decretorum hujus Concilii Carthaginenſis, eaque intimaſſe Eccleſiis per Occidentem reliquis, ut Fraternitas inſtrueretur.

XII. Secuta eſt approbatio Cornelii, eandem Encyclicam ſuffragio ſuo confirmantis. Qua de re Cyprianus etiam diſſerit in epiſt. 55. ad Antonianum. *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Coepiſcopis habito conſilio, & in eandem nobiſcum ſententiam pari gravitate, & ſalubri moderatione conſenſit. De quo tibi neceſſe fuit ſeribere, ut ſcias, me nihil leviter egiſſe, ſed ſecundùm quod Literis meis fueram ante complexus, omnia ad commune Concilii noſtri conſilium diſtuliſſe, & nemini quidem ex Lapſis priùs communicaſſe, quando adhuc erat, unde non tantum indulgentiam, ſed & coronam lapſus acciperet. Poſtea tamen ſicut Collegii concordia, & colligendae Fraternitatis ac medendi vulneribus utilitas exigebat, neceſſitati temporum ſuccubuiſſe, & ſaluti multorum providendum putaſſe, & nunc ab his non recedere, quae ſemel in Concilio noſtro de communi collatione placuerunt.* Cornelium verò ceteris Occidentalium Provinciis eandem Carthaginenſem Encyclicam direxiſſe, vel illud argumento eſſe poteſt, quod Encyclica eadem probaret Pontificatum Cornelii, & Novatianum illius competitorem velut Schiſmaticum deteſtaretur: Ut propterea dubitandum non ſit, quin & Encyclicam Cornelius evulgaverit in Orbem, & unà cum actis Cornelii Chriſtianus Orbis eandem ſuſceperit.

§. VII.

§. VII.

De executione Encyclicae Carthaginenſis, & comprehenſo in ea Decreto Peremtorio.

Synopsis.

I. *Privati Lambeſitani & Fortunati conatus adverſus Encyclicam.* II. *Ejus firmitatem tuetur Cyprianus.* III. *Contraria Encyclica ſcripta ſatagit condemnari.* IV. *Auſum Schiſmaticorum, & aequitatem Decreti Peremtorii exponit.* V. *Et conſenſionem eidem Decreto ab Epiſcopis ubique omnibus praeſtitam.* VI. *Diſciplinam decreti illius in altera ad Cornelium Epiſtola evehit.* VII. *Quid circa poenitentes vi cruciatuum lapſos ſenſerit.* VIII. *Decretum Peremtorium à Gallicanis & Hiſpanis ſuſceptum.* IX. *Id exemplis Baſilidis & Martialis adſtruitur.* X. *Ab Apoſtolica Sede approbatum fuerat, & poſt Orbis conſenſionem irretractabile erat, ex Cypriano.* XI. *Decreti contemtores vel ſi Epiſcopi fuiſſent, graviter multati.*

I. AD vim autoritatemque hujus Encyclicae Carthaginenſis aeſtimandam, atque ad dignoſcendam Cornelii Pontificis, & omnium Chriſtiani Orbis Epiſcoporum approbationem conſenſionemque ſecutam, ea ſolicitè accuratèque exploranda ſunt temporis ejuſdem documenta, quibus & decretorum eorumdem tranſgreſſores damnatos, & pacis ac communionis vinculum novimus cuſtoditum. Obſervatum nobis jam eſt, Privatum Lambeſitanum, qui à multis annis abſtentus fuerat, ad hoc quidem Concilium Carthaginenſe cum factioſis quinque Preſbyteris voluiſſe cauſſam ſuam revocare, fuiſſe tamen à Concilio rejectum. Imo quum audaciſſimo facinore Fortunatus ex illis iiſdem Preſbyteris unus, ad Carthaginenſem Epiſcopatum electus fuiſſet, is perindè ac ſi legitimè Cathedram illam adeptus eſſet, Feliciſſimum, ut diximus, cum Synodica ad

ad Cornelium direxit, ut ſiquomodo fieri poterat, in primariae illius ſedis communionem obreperet. Quamobrem Feliciſſimus qui in Fortunati Preſbyterio Archidiaconi gradum occupabat, plurima Schiſmaticorum factione ſtipatus, Romam navigavit. Et quamquam Cyprianus Felicianum Acoluthum cum literis ſuis Romam extemplo deſtinaſſet, ut de illegitima ordinatione Fortunati, & de legatione Feliciſſimi certiorem Pontificem redderet, Felicianum tamen praevenit Feliciſſimus. Cornelius quidem hominem & legatione ſua, & comitum numero ſuperbientem ab audientia repulit, literaſque accipere ab eo recuſavit: ſed idipſum Feliciſſimum & aſſeclas uſque adeo ſui impotes effecit, ut pro veteri ſua audacia minis ac terroribus Pontificem aggrederentur, turpia multa & probroſa in Cyprianum & ſuos proferrent, jactitarent etiam vigintiquinque Epiſcopos ordinationi Fortunati affuiſſe, ac denique comminarentur, ſe literas quas attulerant, niſi Pontifex ultro ſuſciperet, publicè eoque invito recitaturos; eodem ſcilicet jure, quo Eccleſiaſtici Curſores ſi quas deferebant, Synodicas aut Encyclicas Epiſcopi injuria recitari inhiberent, ipſi illas publicè recitabant. Acceperat jam Cornelius acta Concilii, & Encyclicam Carthaginenſem: ſed quoniam poſterior fuerat intruſio Fortunati, Felicianus verò nondum Romam appulerat, anceps Pontifex de electione Fortunati haerebat. Literas iccirco ad Cyprianum ea de cauſſa conſcripſit, quae tamen ad nos uſque non pervenerunt. Interim Cyprianus, iiſdem perlectis, reſcripſit Cornelio Epiſt. 59. ubi vitam ac mores Privati & Fortunati, temeritatem verò Legatorum abunde deſcribit. Id autem in ea Epiſtola potiſſimum conſiderabimus, cujus rei gratia haec à nobis ſuſcepta diſputatio eſt, & quod ad Encyclicae Carthaginenſis ac Peremtorii Decreti autoritatem demonſtrandam pertinet.

II. Et quantum ad temeritatem Feliciſſimi, qui Pontifice invito Synodicam ſuam recitare comminatus fuerat, ita Cyprianus Cornelium monet, ut imprimis ſuadeat, quemlibet Epiſcopum Clericos ſuperbos & immorigeros omnino debere perſtringere. *Sed nec icciro, Frater cariſſime, relinquenda eſt Eccleſiaſtica diſci-*

diſciplina, *aut Sacerdotalis ſolvenda cenſura*, *quoniam conviciis infeſtamur*, *aut terroribus quatimur*. Id ſtabilit multis Scripturae locis, & ad magiſterium illud reducit, quo Eccleſia ſuam exſerit autoritatem. Tum verò proſequitur. *Cum haec tanta ac talia & multa alia exempla praecedant*, *quibus Sacerdotalis autoritas & poteſtas de divina dignatione firmatur*: *quales putas eos eſſe*; *qui Sacerdotum hoſtes*, *& contra Eccleſiam Catholicam rebelles*, *nec praemonentis Domini comminatione*, *nec futuri judicii ultione terrentur*? *Neque enim aliunde haereſes obortae ſunt*, *aut nata ſunt ſchiſmata*, *quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur*, *nec unus ad tempus Sacerdos*, *& ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur*. *Cui ſi ſecundùm Magiſteria Divina obtemperaret Fraternitas univerſa*, *nemo adversùs Sacerdotum Collegium quidquam moveret*, *nemo poſt divinum Judicium*, *poſt Populi ſuffragium*, *poſt Coëpiſcoporum conſenſum*, *Judicem ſe jam non Epiſcopi*, *ſed Dei faceret*: *nemo diſſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet*: *nemo ſibi placens*, *& tamen ſeorſim foris haereſim novam conderet*, *niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegae temeritatis ac perditae mentis*, *ut putet*, *ſine Dei judicio fieri Sacerdotem*. Reſpicit non obſcurè Cyprianus ad Synodi Carthaginenſis ſtatuta, quae & aſpernabantur Schiſmatici, & ejus cenſuris nequidquam coërciti, Pſeudoëpiſcopum Carthagine elegerant, novamque induxerant haereſim, qua integrum ſibi adhuc eſſe arbitrabantur, Magiſterio Eccleſiaſtico ab Epiſcopis ritè conſtituto pertinaciter obniti. Quapropter mox ediſſerens S. Antiſtes de judicii ſemel editi firmitate, deque inſanis Schiſmaticorum inſultibus, haec ad illorum verecundiam inculcat. *Non ſcilicet Chriſtus*, *qui Sacerdotes aut conſtituit*, *aut protegit*, *ſed ille qui Chriſti adverſarius*, *& Eccleſiae ejus inimicus*, *ad hoc Eccleſiae Praepoſitum ſua infeſtatione proſequitur*, *ut gubernatore ſublato*, *atrocius atque violentius circa Eccleſiae naufragia graſſetur*. *Nec quemquam fidelem & Evangelii memorem*, *atque Apoſtoli praemonentis mandata retinentem*, *movere debet*, *Frater cariſſime*, *ſi quidam in extremis temporibus ſuperbi*, *& contumaces*, *& Sacerdotum Dei hoſtes*, *aut de Eccleſia recedunt*, *aut contra Eccleſiam faciunt*, *quando tales nunc futuros & Dominus*, *& Apoſtoli ejus ante praedixerint*. Et

paul-

Digitized by Google

paullò poſt. *Eccleſiam tamen quae in Chriſtum credat, & quae ſemel id quod cognoverit, teneat, numquam ab eo omnino diſcedere: & eos eſſe Eccleſiam, qui in Domo Dei permanent.* Sic Cyprianus decreta Carthaginenſis Concilii ſuſcipit defendenda adversùs Schiſmaticos & rebelles, ſupremumque & irreformabile in illis magiſterium agnoſcit.

III. Certat pari ſtylo in eadem epiſtola Cyprianus pro Encyclicis decretis ejuſdem Concilii, quae, ut ſupra obſervatum, aſſeverat à Cornelio & Romana Synodo fuiſſe confirmata, atque adeò irreformabilia evaſiſſe. Rejicit proinde omnem Schiſmaticorum adverſantem conatum, & ne illorum Antencyclicae aut ſuſcipiantur, aut lectitentur, graviter admonet. Cornelium inſuper laudat, quod Antencyclicam Fortunati Pſeudoëpiſcopi à Feliciſſimo allatam rejeciſſet; & quoniam Schiſmaticorum minas veritus aliquomodo fuerat, Pontificem, & in ipſo Epiſcopos omnes adhortatur, ut forti ac virili animo id genus ſcripta ab Eccleſiis ſuis avertant. *Satis*, inquit, *miratus ſum, quum animadvertiſſem, te minis atque terroribus eorum qui venerant, aliquantulum eſſe commotum, cum te, ſecundum quod ſcripſiſti, aggreſſi eſſent cum ſumma deſperatione comminantes, quod ſi literas quas attulerant, non accepiſſes, publicè eas recitarent, ac multa turpia ac probroſa, & ore ſuo digna proferrent. Quod ſi ita res eſt, Frater cariſſime, ut nequiſſimorum timeatur audacia, & quod mali jure atque aequitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione proficiant, actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiae gubernandae ſublimi ac divina poteſtate: nec Chriſtiani ultra aut durare, aut eſſe jam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, ut perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus. Nam & Gentiles, & Judaei minantur, & Haeretici, atque omnes quorum pectora & mentes Diabolus obſedit, venenatam rabiem ſuam quotidie furioſa voce teſtantur. Non tamen icirco cedendum eſt, aut ideò adverſarius & inimicus major eſt Chriſto, quia tantùm ſibi vendicat & aſſumit in ſeculo. Manere apud nos debet, Frater cariſſime, fidei robur immobile, & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus atque impetus oblatrantium fluctuum, vel ut petrae objacentis formidine & mole debet obſiſtere:*

X 2 *Nec*

Nec intereſt unde Epiſcopo aut terror aut periculum veniat, qui terroribus & periculis vivit obnoxius, & tamen ſit de ipſis terroribus ac periculis glorioſus. Cetera quae perlegantur, digna ſunt, ut quanta ſit Epiſcopalis dignitas & poteſtas, & quo vigore defendenda ſint quae ſemel Eccleſia conſtituit, ac Praeſules ubique omnes unanimi conſenſione decreverunt, accuratè dignoſcatur.

IV. Preſſius inſiſtit Cyprianus in propugnandis decretis circa Lapſos editis, atque in facinoribus Schiſmaticorum eorumdem inſectandis. Hos enim primos fuiſſe docet, qui Decreto Fiduciario auſi fuerint repugnare. Et criminationes quidem adversùs illos contexens, ita ſcribit. *Intercedunt, ne rogetur Deus, qui indignari ſe ipſe teſtatur. Intercedunt, ne exoretur precibus & ſatisfactionibus Chriſtus, qui negantem ſe negare profitetur. Nos in ipſo perſecutionis tempore de hoc ipſo literas miſimus* [Encyclicas ſcilicet, Decretum Fiduciarium complectentes] *nec auditi ſumus. Concilio frequenter acto* [in quo ſcilicet Decretum Peremtorium conditum eſt] *nec conſenſione tantùm noſtra, ſed & comminatione decrevimus, ut poenitentiam Fratres agerent, & poenitentiam non agentibus nemo temerè pacem daret. Et illi contra Deum ſacrilegi, contra Sacerdotes Dei impio furore temerarii, de Eccleſia recedentes, contra Eccleſiam parricidialia arma tollentes, elaborant (ut opus ſuum Diaboli malitia conſumment) ne vulneratos Divina Clementia in Eccleſia ſua curet; miſerorum poenitentiam mendaciorum ſuorum fraude corrumpant; ne Deo indignanti ſatisfiat; ne Chriſtum Dominum ſuum, qui Chriſtianus eſſe vel erubuit ante, vel timuit, poſtmodum quaerat, ne ad Eccleſiam qui de Eccleſia receſſerat, redeat. Datur opera, ne ſatisfactionibus & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. Pax vera falſae pacis mendacio tollitur, ſalutaris ſinus matris noverca intercedente praecluditur, ne de pectore atque ore Lapſorum fletus & gemitus audiatur.* Multus eſt deinceps Sanctus Praeſul in ea antitheſi, quam inter Encyclicam Carthaginenſem, & Antencyclicam Schiſmaticorum inſtituit, eorumque intolerabilem aſtum & rabiem adversùs Eccleſiaſticum Magiſterium his verbis paullo poſtea exagitat. *Quibus etiam*

ſa tis

Digitized by Google

ſatis non fuit ab Evangelio receſſiſſe, ſpem Lapſis ſatisfactionis & poenitentiae ſuſtuliſſe, fraudibus involutos, vel adulteriis commaculatos, vel ſacrificiorum funeſta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Eccleſia exomologeſim criminum facerent, ab omni & ſenſu & fructu poenitentiae removiſſe: niſi foris ſibi extra Eccleſiam, & contra Eccleſiam conſtituiſſent conventiculum perditae factionis, cum malè ſibi conſciorum, & Deum rogare ac ſatisfacere nolentium caterva confluerct. Autores Antencyclicae quum ad hunc modum depinxiſſet, progreditur ad aequitatem juris illius demonſtrandam, quo in rejicienda Schiſmaticorum Encyclica uſus eſt Pontifex, editumque à Catholicis judicium firmum ratumque haberi oportere aſſeverat. Illud etiam opportunè annotat, Epiſcopos Africae omnes, omnemque plebem, ne reciperentur in Eccleſiam quotquot hanc temeritatem rebellium probaſſent, unanimiter interceſſiſſe. *O ſi poſſes*, inquit, *Frater cariſſime, iſtic intereſſe nobiſcum, quum pravi iſti & perverſi de Schiſmate revertuntur, videres quis mihi labor ſit, perſuadere patientiam Fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito, recipiendis malis curandiſque conſentiant.*

V. Tandem Cyprianus, ut hujuſmet apologiae quam pro Encyclicis in cauſſa Lapſorum editis ſuſcepit adversùs Antencyclicam Fortunati Pſeudoëpiſcopi aliorumque Schiſmaticorum, gravitatem aeſtimationemque apud Cornelium probaret, rogat eum vehementer, ut eandem apologiam omnino curet in Eccleſiis recitari. *Quamprimum*, ſcribit ibidem, *ſciam, Frater cariſſime, pro mutua dilectione quam debemus & exhibemus invicem nobis, florentiſſimo illic Clero tecum praeſidente, & ſanctiſſimae atque ampliſſimae plebi legere te ſemper literas noſtras: tamen nunc & admoneo & peto, ut quod alias ſponte atque honorificè facis, etiam petente me facias, ut hac epiſtola relecta, ſiquod illic contagium venenati ſermonis & peſtiferae ſeminationis irrepſerat, id omne de Fratrum auribus & pectoribus exuatur, & bonorum integra ac ſincera dilectio ab omnibus haereticae detractionis ſordibus repurgetur.* Vocat haereticos illos, qui poſt evulgata per Encyclicas magiſteria divina, palam repugnare, & Antencyclicas opponere non

erubuerant. Adeo penes Eccleſias ſacer erat, adeo multae autoritatis conſenſus unanimis Epiſcoporum. Id quod indicant ſequentia Cypriani verba, quibus epiſtolam claudit. *Quamquam ſciam, illic Fraternitatem noſtram, veſtra ſcilicet providentia monitam, ſed & ſua vigilantia ſatis cautam, nec capi Haereticorum venenis poſſe, nec decipi: tantumque apud illos praevalere magiſteria & praecepta divina, quantus illis in Deum timor eſt; tamen ex abundanti vel ſolicitudo noſtra, vel caritas, ſcribere ad vos iſta perſuaſit, ut nulla cum talibus commercia copulentur .... ſimuſque ab eis ſeparati, quàm ſunt illi de Eccleſia profugi: quia ſcriptum eſt: Si autem & Eccleſiam contemſerit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus .... Nulla ſocietas fidei & perfidiae poteſt eſſe: qui cum Chriſto non eſt, qui adverſarius Chriſti eſt, qui unitati & paci ejus inimicus eſt, nobiſcum non poteſt cohaerere.* Sanè haec Cypriani epiſtola quantaquanta eſt, nobiliſſimum appellari poteſt magiſterii hujus per Encyclicas uſurpati documentum.

VI. Elucet pariter Encyclicarum vis & autoritas in ejuſdem Cypriani epiſtola 60., quae eſt ad Cornelium per id temporis ſcripta, quo Pontifex, Imperatore Gallo in Eccleſiam ferociente, exul Centumcellis degebat. Laudat in ea Cyprianus glorioſam illius confeſſionem, quemadmodum & Fratrum, atque imprimis Lapſorum qui dum poenitentiae actibus juxta Decretum Peremtorium intenti erant, ſteterunt in hac perſecutione fortiores & conſtantiores. Miris itaque laudibus proſequitur tum Decretum ipſum Peremtorium, tum fortitudinem Chriſtianorum. *Quot*, inquit, *illic Lapſi glorioſa confeſſione ſunt reſtituti? Steterunt fortes, & ipſo dolore poenitentiae facti ad praelium fortiores, ut appareat nuper ſubitatos eſſe, & novo atque inſuetae rei pavore trepidaſſe; rediiſſe ad ſe poſtmodum, fidem veram & vires ſuas de Dei timore collectas, ad omnem patientiam conſtanter & firmiter roboraſſe, nec jam ſtare ad criminis veniam, ſed ad paſſionis coronam.*

VII. Verùm in ipſa Decreti Peremtorii intelligentia dubitatio apud Africanos exorta eſt, quid nimirum in cauſſa illorum

fie-

Digitized by Google

fieri oporteret, qui quum per annos tres omnibus poenitentiae actibus certum animi dolorem, & reſipiſcentiam oſtenderant, victi tamen cruciatibus, fuerant lapſi. Hac de re ſex Epiſcopi Cyprianum interrogarunt, qui Epiſt. 56. ad eoſdem reſcripſit. *Quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto, his indulgentiam Domini non defuturam, quos conſtat ſtetiſſe in acie, nomen confeſſos eſſe, violentiam Magiſtratuum, & Populi furentis incurſum immobilis fidei obſtinatione viciſſe, paſſos eſſe carcerem, diu inter minas Proconſulis, & fremitum Populi circumſtantis, tormentis laniantibus ac longa iteratione cruciantibus repugnaſſe: ut quod in noviſſima infirmitate carnis ſubactum videtur, meritorum praecedentium defenſione relevetur: & ſit ſatis talibus gloriam perdidiſſe, non tamen debere nos eis & veniae locum claudere, atque eos à paterna pietate, ut à noſtra communicatione privare, quibus exiſtimamus ad deprecandam clementiam Domini poſſe ſufficere, quod triennio jugiter ac dolenter, ut ſcribitis, cum ſumma poenitentiae lamentatione planxerunt. Certè non puto incautè & temerè his pacem committi, quos videmus militiae ſuae fortitudine non priùs pugnae defuiſſe, & ſi acies etiam denuò venerit, gloriam ſuam poſſe reparare.* Addit, hujus novae controverſiae judicium referri oportere ad Concilium proximo Vere celebrandum. Idque reipſa actum eſt in Concilio Carthaginenſi, ubi plures Epiſcopi quorum nomina habet Epiſtola Synodalis quae eſt num. 61. in eam ſententiam iverunt, ut ob inſtantem perſecutionem mitius cum Lapſis ageretur. Synodicam enim ſuam his verbis aggrediuntur. *Statueramus quidem jam pridem, Frater cariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſario, & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, agerent diu poenitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat, aut permittebat paterna pietas & divina Clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſeculo recedentes ſine communicatione & pace, ad Dominum remitterentur.* Argumenta etiam innuunt, quibus id ſtatuendum cenſuerunt, ut quicumque poenitentiae addicti erant, ob inſtantis perſecutio-

nis diſcrimen relaxentur, & communione donentur. Quapropter concludunt. *Placuit nobis, Sancto Spiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere pronuntiatur & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti, & examinatis ſingulorum cauſſis, pacem lapſis dare, imò pugnaturis arma ſuggerere: quod credimus vobis quoque paternae miſericordiae contemplatione placiturum.*

VIII. Ex iis quae in Galliis, & Hiſpaniis contigerunt, vis Peremtorii Decreti facilè cognoſci poteſt, & quod earumdem Provinciarum Eccleſiae ſubſcripſerint Encyclicae Carthaginenſi, commodè judicari. Stephano Romanorum Pontificatum gerente, erat in Provincia Proconſulari Aſſuri, ſeu Aſſuritarum Fortunatianus Epiſcopus, qui ſub Decii perſecutione profanis ſacrificiis ſemet polluerat. Quum verò autoritate Encyclicarum quas Cyprianus ediderat, probaverat Cornelius Pontifex, & ceterae per Orbem Eccleſiae ſua conſenſione firmaverant, Sacrificati omnes Clericali ordinatione, & Sacerdotali honore exciderent, tantumque poſt plenam poenitentiam ad communionem laïcam admitterentur, Fortunatianus ab Epiſcopatu dejectus eſt. In omnem tamen partem vir apprimè contumax intentus erat, ut ad Epiſcopatum obreperet. Cujus rei admonitus Cyprianus, ſcripſit Epiſtolam 65. ad Epictetum Fratrem, atque ad plebem Aſſuritanam, graviterque inſtat, ut Fortunatianum longè ab honore & gradu Epiſcopali depellant. Exagerat autem in hac Epiſtola crimen quod ille tum adversùs Religionem Chriſti, tum contra Decretum Encyclicum perpetraverat. *Sic*, inquit, *quorumdam pectora tenebrarum ingruentium profunda caligo caecaverat, ut de praeceptis ſalubribus nihil lucis admittant, ſed ſemel a recto limite veri itineris averſi, per praeceps & abruptum criminum ſuorum nocte atque errore capiantur. Nec mirum, ſi conſilia noſtra, aut Domini praecepta nunc abnuunt qui Dominum negaverunt*. Vides hìc, Cyprianum non ſolùm judicium conſiliumque Orbis nuncupare quod prodierat Peremtorium Decretum, ſed Domini praeceptum diſſertè nominare, ob eam quam Divinus Spiritus univerſae Eccleſiae praeſtat aſſiſtentiam. Qua de cauſſa pro-

Digitized by Google

proſequitur. *Quod ne tales ad Altaris impiamenta & contagia Fratrum denuò redeant, omnibus viribus excubandum eſt, ut quantum poſſumus ab hac eos ſui ſceleris audacia retundamus; ne adhuc agere pro Sacerdote conentur qui ad mortis extrema dejecti ultra lapſos Laicos ruinae majoris pondere ruërunt.*

IX. Et ſanè diſciplinam illam eandem quam in Encyclicis deſcripſerat, ſervari & in Hiſpaniis, & in Galliis Cyprianus curavit. In Hiſpaniis quidem Baſilides, qui ſaeviente perſecutione nefando idololatrico libello ſeſe commaculaverat, in Deum & Religionem blaſphemus, ſpontè Epiſcopatum depoſuit, atque in ejus locum Sabinus electus fuit. Martialis in Gallia, quum actis publicis inſtitutis, confeſſus eſſet, obtemperaſſe ſe Idololatris, & Chriſtum abnegaſſe, locum in Epiſcopatu ceſſit Felici. Acta haec Hiſpani, & Gallicani ad Cyprianum tranſmiſerunt, qui in Synodo Carthaginenſi Anno 254. omnia rata habuit, emiſitque Synodicam quae legitur num 67., & in qua ad rem ſcribit. *Cumque alia multa ſint & gravia delicta, quibus Baſilides, & Martialis implicati tenentur, fruſtra tales Epiſcopatum ſibi uſurpare conantur, cum manifeſtum ſit ejuſmodi homines nec Eccleſiae Chriſti poſſe praeeſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere. Maximè cum jam pridem nobiſcum, & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto Mundo conſtitutis, etiam Cornelius Collega noſter, Sacerdos pacificus & juſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit ejuſmodi homines ad poenitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri atque Sacerdotali honore prohiberi.* Et ſub finem his verbis concludit. *Propter quod integritatis & fidei veſtrae Religioſam ſolicitudinem, Fratres dilectiſſimi, & laudamus pariter & probamus, & quantum poſſumus adhortamur literis noſtris, ne vos cum profanis & maculatis Sacerdotibus communicatione ſacrilega miſceatis, ſed integram & ſinceram fidei veſtrae firmitatem religioſo timore ſervetis.* Idem argumentum multipliciter confirmat ibidem Cyprianus agens de Martiano Arelatenſi, ut poſtea dicemus ubi ad ſchiſma Novatianum cujus ille primipilus fuit, diſputando venerimus, multaque occurrent obſervanda, quae communem Orbis Chriſtiani venerationem erga hujuſce-

ſcemodi Encyclicas abundè teſtantur. Interim dum Cyprianus ſcribit, Decretum Peremtorium *ab omnibus* ubique *Epiſcopis in toto Mundo conſtitutis* fuiſſe acceptatum, ſubſcriptum, confirmatumque, colligere pronum eſt, judicii praerogativam Eccleſiaeque magiſterium in hiſce Encyclicis repraeſentari, quarum decreta velut Domini praecepta Orbis Catholicus religioſo obſequio ſuſceperit.

X. Hinc ſcribit Cyprianus, cauſſam Martiani definiri oportere adamuſſim Peremtorii Decreti: quod & Synodus Carthaginenſis in epiſt. 67. decreverat. Agens enim ille eadem de cauſſa in Epiſt. 68. ad Stephanum Pont. obſervat, Martianum Arelatenſem, qui propter gravia crimina & ob fotum ſchiſma Novatianum, Epiſcopatu licet multatus, audientiam tamen poſtulabat, cauſſam agere nequaquam ancipitem & dubiam, quam ſcilicet definiverat Encyclica ab Eccleſiis ſuſcepta, & comprehenſum in illa Decretum Peremtorium, cui Cornelius & Lucius conſenſum praebuerant ſuum. *Ex quibus*, inquit, *cum Marcianus eſſe coeperit, & ſe Novatiano conjungens, adverſarius miſericordiae & pietatis exſtiterit, ſententiam non dicat, ſed accipiat, nec ſic agat, quaſi ipſe judicaverit de Collegio Sacerdotum, quando ipſe ſit ab univerſis Sacerdotibus judicatus.* Ab iis nimirum qui ſupradictam Encyclicam ſuffragio ſuo firmaverant. Permanentem hanc in Sede Apoſtolica doctrinam his verbis exprimit. *Servandus eſt enim Anteceſſorum noſtrorum Beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus: quorum memoriam cum nos honoremus, multò magis tu, Frater cariſſime, honorificare & ſervare gravitate & autoritate tua debes, qui Vicarius & ſucceſſor eorum factus es. Illi enim pleni Spiritu Dei, in glorioſo martyrio conſtituti, dandam eſſe Lapſis pacem cenſuerunt, & poenitentia acta fructum communicationis & pacis negandum non eſſe, literis ſuis ſignificaverunt, quam rem omnes omnino ubique cenſuimus.* Repetit Cyprianus hoc loco, quod ſupra jam obſervavimus, judicium ſcilicet Epiſcoporum omnium per Orbem conſtitutorum ad Encyclicam Carthaginenſem eſſe conſecutum. Deinde rationem aperit, qua quum Encyclicae ab uno aliquo Epiſcoporum ritè evulgantur,

&

Digitized by Google

& à ceteris ſuſcipiuntur, in unum idemque judicium omnes conſpirant: quoniam videlicet unus eſt magiſter, unus Rector Eccleſiae Spiritus Sanctus. *Neque enim poterat eſſe apud nos ſenſus diverſus, in quibus unus eſſet Spiritus: & ideo manifeſtum eſt, eum Spiritus Sancti veritatem cum ceteris non tenere, quem videmus diverſa ſentire*. Agnoſcit in Encyclica Cyprianus ſupremum Eccleſiaſticum magiſterium, atque Orbis judicium à Divino Spiritu profectum eſſe, cui aſſeverat repugnare illos qui Decreto Peremtorio repugnarent. Magni ponderis eſt hoc Cypriani teſtimonium ad cavillationes refellendas, quibus neſcio qui homines circulatoriae artis non ignari, & hanc ipſam doctrinam velut novitiam traducere, & ob eandem nobis intemperanter iraſci nequaquam ſunt dedignati.

XI. Tandem ad illud quod ſuſcepimus argumentum facit cauſſa Therapii Epiſcopi. Is Victori Presbytero lapſo ante plenam ſatisfactionem pacem dederat contra Decreti Peremtorii autoritatem. Res à Fido Epiſcopo delata eſt ad Synodum Carthaginenſem ſexaginta ſex Epiſcoporum; ut hinc appareat, decreti traſgreſſores ea culpa laboraſſe quae ad Concilium Nationale deferri oporteret. Licentia Therapii diu expenſa eſt, & contraria Peremtorio Decreto tandem judicata. Quod ad Fidum ſcribit Cyprianus in Epiſt. 64. *Legimus Literas tuas, Frater cariſſime, quibus ſignificaſti de Victore quodam Presbytero, quod ei antequam poenitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Therapius Collega noſter immaturo tempore, & praepropera feſtinatione pacem dederit. Quae res nos ſatis monuit, receſſum eſſe à Decreti noſtri autoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur. Sed librato apud nos diu conſilio, ſatis fuit objurgare Therapium Collegam noſtrum, quod temerè hoc fecerit, & inſtruxiſſe, ne quid tale de cetero faciat. Pacem tamen quomodocumque à Sacerdote Dei ſemel datam, non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem ſibi conceſſam uſurpare permiſimus*. Sic cum Trophimo lapſo, de quo in Romana Synodo actum eſt, oeconomi-

cè

Digitized by Google

cè fuit definitum, ut reſtitueretur. Quod teſtatur Cyprianus in Epiſt. 55. ad Antonianum. Et Cornelius in ſua adverſùs Novatianum Encyclica, apud Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 43., agens de tribus Epiſcopis qui Schiſmaticum hominem ordinaverant, ad rem ſcribit. *Nec multò poſt unus ex illis Epiſcopis ad Eccleſiam rediit, delictum ſuum cum lamentis ac fletibus confitens. Quem nos, quum univerſus Populus pro illo intercesſiſſet, ad communionem laicam ſuſcepimus.*

CAPUT VII.

DE LITERIS ENCYCLICIS

IN CAUSSA NOVATIANI SCHISMATIS, ET CATHARORUM EMANATIS.

DUae factiones ambae ſchiſmaticae & ſecum invicem pugnantes, per Africam altera, altera per univerſum Orbem diſſeminatae, contra Encyclicas Carthaginenſes ex cauſſa Lapſorum exortae ſunt, atque inſtar flammae civilis Eccleſiam omnem in partes diſtraxerunt. Africae Schiſmatici in laxiorem opinionem turpiter diffluentes, omne probationis genus in Lapſis excludebant, atque etiam reis graviorum criminum ultro communionem & pacem largiebantur, ſpretis Encyclicis ſive cum Fiduciario, ſive cum Peremtorio Decreto evulgatis. Contra verò Novatiani omnem poenitentiae aditum Lapſis omnino intercludebant, & adverſùs Encyclicum Peremtorium Decretum ſeveritate turgidi fucatique vulgarunt Antencyclicam, oppugnaturi judicium illud in quod Orbis univerſus conſenſerat. Media ſtetit Catholica Eccleſia, utramque factionem ex aequo deteſtans: utque magiſterium ſuum tueretur, oppoſuit Antencyclicae Novatiani apologeticum alterum & Encyclicum ſcriptum, quo Schiſmatis haereſiſque autor Novatianus proſcriptus eſt. Haec omnia eò lubentiùs diſputanda ſuſcipimus, quòd

quae

Digitized by Google

quae Capite ſuperiori de Encyclicis Carthaginenſibus diſſeruimus, luculenter ſolidèque confirmentur.

§. I.

De Fortunato, & Novatiano, ac de Schiſmate utriuſque.

SYNOPSIS.

I. *Novati Schiſma ab opinandi licentia exortum Eccleſiam Africanam vexat.* II. *Schiſmatici Feliciſſimo duce eligunt Pſeudo-Epiſcopum Carthaginenſem Fortunatum.* III. *Jactantes plurimorum Epiſcoporum communionem refellit Cyprianus.* IV. *Novatiani Romani Presbyteri indoles & mores.* V. *Stoïcae Philoſophiae ſectator, paria eſſe crimina omnia opinabatur.* VI. *Quo ſenſu unam poenitentiam lapſis concedi poſſe docuerit.* VII. *In propria ſecta illibatam & puram manere Eccleſiam ſenſit.* VIII. *Novato Carthaginenſi tunc Romae agenti jungitur.* IX. *Cornelium electum Pontificem communionis cum Lapſis inſimulat.* X. *Eligitur Pſeudo-Pontifex Romanus, & ſuam ordinationem Encyclica promulgat.* XI. *Curſores ſuis Diaconicis inſtructos in Orbem mittit.*

I. NOn uno jam loco advertimus, Anno Chriſti 251. quo Decius bellorum incurſionibus fractus à perſecutione ceſſavit, cauſſam Lapſorum intuliſſe Africanis Eccleſiis novam perſecutionem. Quinque Epiſcopi pridem abſtenti, utpote Sacrificati, cum ſuis Preſbyteris à Feliciſſimo ſeductis contra S. Cyprianum elegerunt Epiſcopum Carthaginenſem Fortunatum. Primordia factionis hujus à Novato ſunt repetenda, qui adverſùs Cypriani electionem nihil reliquerat intentatum. Ingenium hominis, mores, & acta accuratè deſcribit Cyprianus ipſe in Epiſt. 52., quam per id temporis tranſmiſit, quo ille Romae degens prolatando Novatiano Schiſmati operam dabat. ***Nam de Novato***, inquit, ***nihil inde ad nos fuerat nuntiandum, cum magis***

giſ per nos nobis debeat Novatus oſtendi, rerum novarum ſemper cupidus, avaritiae inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia & ſtupore ſuperbi tumoris inflatus, ſemper iſtic Epiſcopis malè cognitus, quaſi haereticus ſemper & perfidus omnium Sacerdotum voce damnatus, curioſus ſemper ut prodat, ad hoc adulator ut fallat, nunquam fidelis ut diligat, fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tempeſtas ad fidei facienda naufragia, hoſtis quietis, tranquillitatis adverſarius, pacis inimicus . . . . . . *Idem eſt Novatus qui quoſdam iſtic ex Fratribus ab Epiſcopis ſegregavit, qui in ipſa perſecutione ad evertendas Fratrum mentes alia quaedam perſecutio nobis fuit. Ipſe eſt qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum Diaconum, nec permittente me, nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit; & cum ſua tempeſtate Romam quoque ad evertendam Eccleſiam navigans, ſimilia illic & paria molitus eſt, à Clero portionem plebis avellens, Fraternitatis benè ſibi cohaerentis & ſe invicem diligentis concordiam ſcindens. Planè quoniam pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma praecedere, illic majora & graviora commiſit. Qui iſtic adversùs Eccleſiam Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit.* Cetera apud ipſum Cyprianum videantur. A Novato & Sociis Preſbyteris licentiam illam opinandi ortam eſſe, qua nullo delectu habito jura communionis omnibus Lapſis impertiebant, ſcribit idem Cyprianus in Epiſt. 52. ad Cornelium, ubi quum Novati, & ceterorum Preſbyterorum crimina recenſuiſſet, ad illorum ſchiſma deveniens, aït. *Taceo itaque de fraudibus Eccleſiae factis; conjurationes & adulteria, varia delictorum genera praetereo: unum illud (in quo non mea, nec hominum, ſed Dei cauſſa eſt) de eorum facinore non puto eſſe reticendum, quod à primo ſtatim perſecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, & ſacrificiis nefandis non tantùm Diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſae Lapſorum atque ora fumarent, communicare cum Lapſis, & poenitentiae agendae intercedere non deſtiterunt.* Hujuſce factionis meminit pariter Cyprianus in Epiſt. 14., ipſo receſſus ſui initio ad Clerum, & Preſbyteros Carthaginenſes ita ſcribens. *Ad id verò quod ſcripſerunt mihi Compresbyteri noſtri Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui, quando à*

pri-

Digitized by Google

primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro, & conſenſu plebis meæ privatim ſententia gerere. Illi enim ſcripſerant, velle ſe communicationem Lapſis impertiri. Quapropter reponente Cypriano, nihil ſe velle judicio privatim ſuo deliberare, iidem in ſchiſma ruere, ſuaque autoritate id efficere coeperunt, ut cum Lapſi Canones poenitentiales ſuſdeque haberent, tum Martyrum plurimi & Epiſcopo & Clero inconſulto, pacem Lapſis elargiri praeſumerent.

II. Novatus itaque ſub ipſum Decianae perſecutionis initium ut quod in Africa excitaverat ſchiſma, Romam venturus ſtabiliret, creavit Feliciſſimum Archidiaconum, & factioſorum Preſbyterium conſtituit, cui Africani Epiſcopi quinque adhaerebant. Improbus Archidiaconus qui oblationes omnes à Clero receptas pro ſuo munere cuſtodiebat diſtribuebatque, pellicere ſpe lucri facillimè potuit quoſcumque perditos homines ad ſuae factionis conſortium. Sanctione quidem Decreti Fiduciarii compreſſi ſunt & abſtenti Schiſmatici, celebratoque poſt Decianam perſecutionem Carthaginenſi Concilio in ordinem redigi viſi ſunt. Sed, quid non temeritati atque errori proclive? Feliciſſimus & factioſi Preſbyteri, utroque judicio poſthabito, novumque ducem ſchiſmatis Privatum Epiſcopum nacti, cauſſam dicere in Concilio praeſumſerunt. Et quum à Cypriano, atque à Patribus Carthaginenſibus rejicerentur, in tantum irae atque impotentiae efferbuere, ut & Cyprianum, & Patres velut Canonum refractarios depoſitionis ſententia innodare auderent, & Pſeudoëpiſcopum Carthaginenſem Fortunatum eligerent, quem Epiſcopi quinque multò pridem depoſiti conſecrarunt. Imò Feliciſſimus, qui cum perditorum caterva Romam properaverat Fortunati Synodicam Cornelio Pont. exhibiturus unà cum Novato, licet receptus nequaquam ſit; vires tamen ut adderet electioni ſive intruſioni Fortunati, ubique per Romanum tractum id ſtuduit perſuadere, quod quinque ſupra viginti Numidiae Epiſcopi Fortunato communicarent. Mendacium hoc inſigne aperuit Cyprianus in Epiſt. 52. ad Cornelium, ubi de Epiſcopis Fortunati ordinatoribus diſſerit, quos Privatus Lambeſitanus

nus jam ab anno 242. depoſitus, Carthaginem ſecum deduxerat. *Venerat etiam cum illo* (ſcilicet Privato) *& Felix quidam, quem ipſe extra Eccleſiam in haereſi Pſeudoëpiſcopum olim conſtituerat: ſed & Jovinus, & Maximus comites cum Privato haeretico aſſuerunt, ob nefanda ſacrificia & crimina in ſe probata, ſententia novem Epiſcoporum Collegarum noſtrorum condemnati, & iterato quoque à pluribus nobis in Concilio anno priori abſtenti. Cum his autem quatuor junctus eſt & Repoſtus Saturnicenſis* (legi jubent aliqui *Utinunenſis*, autoritate Collationis Carthaginenſis cap. 123.) *qui non tantùm in perſecutione ipſe cecidit, ſed & maximam partem plebis ſuae ſacrilega perſecutione dejecit. Hi quinque cum paucis velSacrificatis, vel malè ſibi conſciis, Fortunatum ſibi Pſeudoëpiſcopum cooptarunt, ut criminibus in unum convenientibus talis eſſet ſcilicet Rector, quales illi qui reguntur.*

III. Conditione Pſeudoëpiſcopi, & factioſi Preſbyterii accuratè enarrata, & ad hunc modum deſcripta, progreditur Cyprianus ad mendacium illud refellendum, quo jactabundi Schiſmatici de numero adhaerentium ſibi Epiſcoporum gloriabantur. *Hinc jam & cetera mendacia, Frater cariſſime, potes noſcere, quae illic homines deſperati & perditi ventilaverunt, ut cum de Sacrificatis, vel haereticis ampliùs quàm quinque Pſeudo-Epiſcopi non fuerint qui Carthaginem venerint, & Fortunatum ſibi dementiae ſuae ſocium conſtituerint: illi tamen quaſi filii Diaboli, & mendacio pleni auſi ſunt, ut ſcribis, jactare, vigintiquinque Epiſcopos affuiſſe: quod mendacium & iſtic priùs apud Fratres noſtros jactabant, dicentes XXV. Epiſcopos de Numidia eſſe venturos, qui ſibi Epiſcopum facerent: quo in mendacio ſuo poſtquam, quinque ſolis convenientibus naufragis & à nobis abſtentis, detecti ſunt atque confuſi: Romam cum mendaciorum ſuorum merce navigaverunt, quaſi veritas poſt eos navigare non poſſet, quae mendaces linguas rei certae probatione convinceret*. Atque haec erat miſerrima Africanae Eccleſiae facies, quum ſaeviſſima Tyrannorum perſecutio graſſata eſſet, & Schiſmatici audaciores ſacra omnia jura peſſumdarent.

IV. Per eadem tempora Romae Novatianus, vir ceteroquin doctus, elegans, & ſecularis eruditionis affectator ſuperbus, Cor-

Cornelio in Pontificem electo tumultibus & ſeditionibus bellum indixit. Romae primùm Archidiaconus fuit: inunctus poſtea Preſbyter, pro ſua eloquentia & ad ſuadendum exercitatione delectus ab Eccleſia fuit qui Martyribus in carcere poſitis, doctrinae ſubſidiis opitularetur. Interim oborta in Eccleſiam perſecutione, quum à Clero admoneretur officii, reſpuit miniſterium. Indolem Novatiani appoſitè deſcripſit Cornelius in ſua Encyclica, apud Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 43. *Qui perſecutionis tempore prae metu ac nimia vivendi cupiditate Presbyterum ſe eſſe negavit. Admonitus enim & rogatus à Diaconis, ut ex cubiculo, in quo ſe ipſum incluſerat, egreſſus Fratribus conſilio indigentibus ſuccurreret, tantum abfuit, ut hortantibus Diaconis morem gereret, quin potiùs ira & indignatione percitus, abiit & diſceſſit.* Qui Novatianum admonuiſſe dicuntur, erant Diaconi Martyrum, quibus ea inerat ſolicitudo, ut alimenta ceteraque vitae ſubſidia praeſtarent, dum Preſbyter Martyrum conſilio ſuo & exhortatione juvabat. Non itaque inficiatus eſt Novatianus ſuſceptum Preſbyteratus ordinem, ſed munus obeundum ab eo qui Preſbyter Martyrum agebat. Quocirca ſubjungit Cornelius. *Neque enim Presbyterum ſe amplius velle eſſe reſpondit, ſed alterius Philoſophiae deſiderio teneri.* Patet multò luculentius Novatianum non quaſi conſecratus Preſbyter non fuiſſet, officium hoc & miniſterium erga Martyres detrectaſſe, ſed ſuomet irreligioſo ingenio obſecundaſſe, ſi, quod advertit in eadem Encyclica Cornelius, diligenter attendamus, eum nempe conſtitutum aliquando in gravi vitae diſcrimine, ſacrum baptiſma ſuſcepiſſe, atque adeo jure Canonum ad Preſbyterium nequaquam potuiſſe aſſumi, ſeu fuiſſe, ut hodie loquimur, irregularem. *Nam*, verba ſunt Pontificis, *cum egregius ille vir Eccleſiam Dei reliquiſſet, in qua poſt ſuſceptum baptiſmum, Presbyteri gradum fuerat conſecutus, idque per gratiam Epiſcopi, qui manus illi imponens, eum ad Preſbyterorum ordinem evexit. Cui cum univerſus Clerus, multique ex Populo refragarentur, eo quod non liceret quemquam ex iis qui urgente vi morbi in lectulo perinde ac ille, perfuſi fuiſſent, in Clerum aſſumi: poſtulavit ab iis Epiſcopus, ut hunc ſolum ordinari à ſe paterentur.*

Digitized by Google

V. Praetereunda ſicco pede non ſunt verba Cornelii, quibus affirmat, Novatianum ea de cauſſa Martyribus inſervire noluiſſe, quod *alterius Philoſophiae deſiderio* teneretur: quaerendumque eſt, cui eſſet Philoſophiae addictus, quaeve dogmata ſequeretur. Non aliud autem Philoſophicum Syſtema ſectatus videtur Novatianus, quàm Stoïcum, juxta quod crimina omnia eſſe paria defendebat. Docet id Cyprianus in Epiſt. 55. ad Antonianum, ubi Stoïciſmum in Novatiano reprehendit. *Alia eſt Philoſophorum, & Stoicorum ratio ...... qui dicunt omnia peccata paria eſſe, & virum gravem non facilè flecti oportere. Inter Chriſtianos autem, & Philoſophos plurimum diſtat.* Et in Epiſt. 60. ſcribit. *Quid ad haec Novatianus, in perniciem Fratrum lingua ſua perſtrepens, & facundiae venenata jacula contorquens, magis durus ſecularis Philoſophiae gravitate, quàm Philoſophiae Dominicae lenitate pacificus, deſertor Eccleſiae, miſericordiae hoſtis, interfector poenitentiae, doctor ſuperbiae, veritatis corruptor, perditor caritatis.* Clariùs ea de re loquitur Ambroſius lib. 1. de Poenitentia cap. 1., ubi aït, Novatianos *omnia peccata, Stoicorum quodam more, paribus putaſſe aeſtimanda menſuris, & aequè illum qui Gallum Gallinaceum, atque illum qui Patrem ſuffocaverit, in perpetuum coeleſtibus aſſeruiſſe abdicandum myſteriis.*

VI. Hinc & alterum conſecutum eſt Novatiani commentum, quo docuit, unam eſſe cuilibet peccatori concedendam poenitentiam, qui ſi poſtea vel ſemel in crimen labatur, omni ſpe ulterioris poenitentiae excidat neceſſe ſit. Immanem hujuſmodi errorem in Marciano Arelatenſi, Novatianorum laqueis irretito, perſtringit S. Cyprianus in Epiſt. 68. ad Stephanum. *Tenens haereticae praeſumtionis duriſſimam pravitatem, ut Servis Dei poenitentibus & dolentibus, & Eccleſiam lacrymis, & gemitu & dolore pulſantibus, divinae pietatis, & lenitatis paternae ſolatia & ſubſidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis & communicationis relicti, ad luporum rapinam & praedam Diaboli projiciantur. Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubvenire, Frater cariſſime, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandae Eccleſiae libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus*

Digitized by Google

bus exhibemus, ut tamen lapſis erigendis & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiae divinae medicinam non negamus. Et Epiphanius haereſi 59. ubi de Novatiano. *Ad eam ſe convertit haereſim, nullam ut eſſe ſpem ſalutis aſſereret, atque unam dumtaxat poenitentiam.* Feſellit inertes homines quòd peccata aliqua ad mortem appellarit Antiquitas, eòque progreſſi ſunt, ut poſt primam poenitentiam omnia aeque ad mortem peccata dogmatizarint, obſervante Socrate lib. 7. Hiſt. cap. 2., in quo de haereſi Novatiana, deque dogmatis Sectatorum ediſſerit. Pacianus quoque in epiſt. 3. ad Sympronian. agens de tractatu aliquo Novatianum ſyſtema complectente, aït. *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me confertis undique propoſitionibus deſtinaſti, hoc continet. Quod poſt baptiſmum poenitere non liceat; quod mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit: imò quod ipſa pereat recipiendo peccantes.*

VII. Vulgò itaque gloriabantur Novatiani, puram atque illibatam Eccleſiam penes unam Sectam ſuam manſiſſe: in Cornelio autem, & Cypriano turpiter defeciſſe. Cujus rei gratia ſe Catharos, ſeu Mundos appellitari volebant. Quam in rem ſcribit Euſebius lib. 6. Hiſt. cap. 43. *Etenim Novatus* [Graeci ſaepe Novatum, & Novatianum pro ſua rerum Occidentalium imperitia confuderunt] *Eccleſiae Romanae Presbyter, arrogantia adversùs eos elatus, quaſi nulla ſpes ſalutis poſthac ſupereſſet, tametſi omnia explerent quae ad ſinceram converſionem puramque confeſſionem pertinent, propriae cujuſdam ſectae eorum qui tumore mentis elati ſeipſos Catharos cognominarunt, autor extitit.*

VIII. Vix autem Romam Novatus appulit, ſeſe Novatiano confeſtim adjunxit, teſtante eodem Euſebio in Chronico. *Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens, Novatianum & ceteros Confeſſores ſibi ſociat.* Idipſum Catalogi Romanorum Pontificum Autori vetuſtiſſimo proditum: qui & illud obſervat, Novatum anſam Novatiano & animos adjeciſſe, ut à Catholica Eccleſia diſcederet. *Eo tempore ſupervenit Novatus ex Africa, & ſeparavit ab Eccleſia Novatianum, & quoſdam Confeſſores, poſtquam Moyſes in carcere defunctus eſt.* Moyſes, ut alibi annotavimus, Cypria-

no adhaerebat pro Fiduciario Decreto in cauſſa Lapſorum. Quamobrem ut animadvertit, Novatum & Novatianum in unam factionem coïre, quorum alterum à Cypriano damnatum noverat, alterius reſpuit communionem. Innuit id Cornelius in ſua Encyclica apud Euſebium ſcribens de Novatiano. *Quem etiam Moſes Beatiſſimus Martyr, qui nuper apud nos egregio & admirando martyrio perfunctus eſt, dum adhuc in vivis eſſet, audaciam ejus ac furorem perſpectum habens, à communione ſua ſeparavit, unà cum quinque Presbyteris qui ſe pariter cum illo ab Eccleſiae corpore abruperant*. Moſe tamen fatis functo, Confeſſores plerique adhaeſerunt Novatiano, ut Cyprianus inſinuat in epiſt. 54. ad Confeſſores. *Poſtquam vos de carcere prodeuntes Schiſmaticus, & Haereticus error excepit, ſic res erat, quaſi gloria veſtra in carcere remanſiſſet*. Certò autem conſtat, nonniſi defuncto Moſe Confeſſores è carceribus fuiſſe dimiſſos.

IX. Ut Cornelius electus fuit Pontifex, homo ſcilicet in eam ſententiam admodum proclivis, quam eodem anno 251. & menſe electionis ſuae Carthaginenſis Synodus tulerat, Novatus haud ignarus, electum Pontificem continuò literas aſſumti Pontificatus ad Cyprianum dediſſe, metuens etiam, ne ex utriuſque communione conſenſioneque id demùm conſequeretur, ut quemadmodum à Cypriano damnatus fuerat, ſic à Cornelio damnaretur, autor fuit Novatiano, ut Cornelium per fas & nefas calumniis exagitaret, ac velut Libellaticum nequaquam jure Canonum eligi potuiſſe oſtenderet. Quod ſtrenuè naviterque praeſtitit Novatianus, ſcribente in epiſt. 3. ibid. Paciano. *Nec multò poſt* [ſcilicet ab adventu Novati in Urbem] *iſtum Epiſcopatu Cornelii anxium, cum aliquantis ut in tali re ſolet, ex ſua parte fautoribus, nutantem impellit, dubitantem fovet, ut magnum aliquid ſperet, hortatur: invenit aliquos ex eorum numero qui tempeſtatem perſecutionis illius evaſerunt, apud quos hanc ipſam de Lapſis receptis Cornelio conflaret invidiam: dat eorum Epiſtolas ad Novatianum. Ille ex autoritate Epiſtolarum, ſedente jam Romae Epiſcopo, adversùs fas Sacerdotii ſingularis, alterius Epiſcopi ſibi nomen aſſumit. Cornelium Lapſis communicaſſe arguit, ſe vindicat innocentem.*

Digitized by Google

tem. Sed quemadmodum calumniam fuco veritatis illinierint, praeſtat ediſcere ex Cypriani epiſt. 55. ad Antonianum. *Quod autem quaedam de illo* [Cornelio] *inhoneſta & maligna jactantur, nolo mireris, cum ſcias, hoc opus eſſe ſemper Diaboli, ut Servos Dei mendacio laceret, & opinionibus falſis glorioſum nomen infamet, ut qui conſcientiae ſuae luce clareſcunt, alienis rumoribus ſordidentur. Exploraſſe autem Collegas noſtros ſcias, & veriſſimè comperiſſe, nullam illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum eſſe: ſed neque cum Epiſcopis qui ſacrificaverunt, communicationem ſacrilegam miſcuiſſe; ſed eos demum quorum cauſſa audita & innocentia comprobata ſit, conjunxiſſe nobiſcum*. Ea nimirum arte Cornelium inſectabantur pravi homines, ut eum ſi fieri poſſet, Cypriano committerent, ejuſque Peremtorio Decreto in cauſſa Lapſorum evulgato. Delictum autem adſtruebant facto Trophimi, qui lapſus licèt fuiſſet, nihiloſecius à Cornelio fuerat ſuſceptus. Quod quidem egiſſe Pontificem ad normam Eccleſiaſticae Oeconomiae, Cyprianus advertit, adeo ut ratio aliqua Peremtorii Decreti ſit habita. Sed ipſum ſuis verbis audiamus. *Nam & de Trophimo de quo tibi ſcribi deſideraſti, non ita res eſt, ut ad te pertulit rumor & mendacium malignorum. Nam ſicut Anteceſſores noſtri ſaepe fecerunt colligendis Fratribus noſtris, cariſſimus Frater Cornelius neceſſitati ſuccubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abſceſſerat, redeunte nunc ad Eccleſiam Trophimo, & ſatisfaciente, & poenitentia deprecationis errorem priſtinum confitente, Fraternitatem quam nuper abſtraxerat, cum plena humilitate & ſatisfactione revocante, auditae ſunt ejus preces. Et in Eccleſiam Domini non tam Trophimus, quàm maximus Fratrum numerus qui cum Trophimo fuerat, admiſſus eſt. Qui omnes regreſſuri ad Eccleſiam non eſſent, niſi cum Trophimo comitante veniſſent. Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito, ſuſceptus eſt Trophimus, pro quo ſatisfaciebat Fratrum reditus, & reſtituta multorum ſalus: ſic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut laïcus communicet, non ſecundùm quod ad te malignorum literae pertulerunt, quaſi locum Sacerdotis uſurpet*.

X. Igitur Novati perſuaſionibus excitatus Novatianus, inſti-

Digitized by Google

tuit cum Cornelio de Pontificatu contendere, confictiſque communicatoriis epiſtolis, iiſque etiam literis in vulgus jactatis; quas à quinque Preſbyteris ſibi conſentientibus, licet pridem in carceribus cum Moſe Martyre & orthodoxis ſtetiſſent, ad electionis confirmationem acceperat, haberi Pontifex & agnoſci voluit. Continuò apud Eccleſias praeſertim Italicas inauditum retro facinus divulgatum eſt, atque Urbicarii imprimis Epiſcopi à Schiſmate abhorrere, Novatianum deteſtari, exſecrari, devovere coeperunt. Ille interim quum Epiſcopalem conſecrationem omnino ſuſcipiendam eſſe animadverteret, fallendi artifex verſipellis, dolis & fraudibus Praeſules nonnullos aggreditur. Preſbyter, opinor, Romae primùm fuerat, quem ſequior aetas Primicerium dixit, cui nimirum publicarum literarum ſolicitudo erat contradita. Nomine itaque totius Cleri Romani evocatoriam ad tres extremorum Italiae limitum Epiſcopos dedit imperans, Romam ut venirent diſſidia & jurgia compoſituri. Ab iis igitur quos modò promiſſis precibuſque, modò minis & terroribus corruperat, ordinationem accepit. Quod Eccleſiis per Orbem ceteris denuntiavit in ſua Encyclica ad hunc modum Cornelius: *Is qui ſe Doctorem & Eccleſiaſticae diſciplinae propugnatorem ferebat, cum Epiſcopatum ſibi à Deo minimè conceſſum rapere ac vindicare conaretur, duos deploratae ſalutis homines ſibi ſocios adjunxit: ut eos in exiguam ac viliſſimam Italiae partem mitteret, atque illinc accitos tres Epiſcopos, homines plane rudes ac ſimplices, fraudulenta quadam molitione deciperet: conſtantiſſimè affirmans, ipſos quamprimum Romam proficiſci oportere, ut omnis undecumque orta diſcordia, ipſorum unà cum aliis Epiſcopis interventu atque arbitrio ſedaretur.*

XI. Duos illos quos à Novatiano tranſmiſſos fuiſſe memorat Pontifex, perſonam Dominicorum Curſorum induiſſe, nihil dubito: quemadmodum in Schiſmate Donatiano feciſſe Ingentium, in Diſſert. I. §. III. oſtendimus. Nam ſi ſecus contigiſſe fingas, quae amabo ratio ſuberat Epiſcopis illis, nullo licet doctrinae genere praeſtantibus, moris tamen quotidiani non ignaris, ut evocatoriae ab hominibus illis delatae fidem habe-

Digitized by Google

haberent, & Romam incunctanter peregrinarentur? Fatendum igitur eſt, & Novatianum quondam Preſbyterorum Primicerium Curſoribus ſuis Diaconicam dediſſe, qua ſemetipſos probarent: & Epiſcopos illos utramque Epiſtolam ſibi à Curſoribus delatam velut legitimam ſuſcepiſſe. Quam fallendorum Epiſcoporum, & prolatandi Schiſmatis artem imitati poſtea ſunt Donatiani. Fraudem certè innuit verbis illis Pacianus. *An Novatianus, quem abſentis Epiſtola finxit*. Rei autem exitum ipſo Cornelii ſtylo proſequamur. *Qui cum adveniſſent homines, ut jam diximus, ſimplicioris ingenii, nec in his perditorum hominum artibus ac fallaciis ſatis triti, eos ille à quibuſdam ſuis ſimillimis quos ad id comparaverat, incluſos hora decima, temulentos & crapula oppreſſos, adumbrata quadam & inani manuum impoſitione Epiſcopatum ſibi tradere per vim cogit: eumque nullo ſibi jure competentem, per fraudem atque inſidias vindicat. Nec multò poſt unus ex illis Epiſcopis ad Eccleſiam rediit, delictum ſuum cum lamentis & fletibus confitens: Quem nos, quum univerſus Populus pro illo interceſſiſſet, ad communionem laïcam ſuſcepimus. Reliquis etiam duobus Epiſcopis ſucceſſores ordinavimus, eoſque in loca eorum direximus,*

§. II.

De Antencyclica Novatiani adversùs Decretum Peremtorium in cauſſa Lapſorum, & contra S. Cornelium.

SYNOPSIS.

I. *Novatianus in Pſeudo-Synodo Romana condemnat Peremtorium Decretum, & electionem Cornelii, iiſque de rebus Encyclicam ſcribit.* II. *Aſſeclas in ipſa ſacra Synaxi pro ſuamet electione convocat.* III. *Quid in Antencyclica, & Libello eidem adjuncto decreverit pro cauſſa Lapſorum.* IV. *Literas à Confeſſoribus extorquet, jungitque Antencyclicae.* V. *Curſores in Orbem, & imprimis Carthaginem dimiſſi à Cypriano refelluntur.* VI. *Quo jure, quibuſque mediis id egerit Cyprianus.* VII. *Idemmet calumnias in Cornelium jactatas diluit.* VIII. *Curſores per vicos & oppida Novatianum apud plebem ſtudent approbare.* IX. *Profecerunt potiſſimum in Phrygia & Paphlagonia Montaniſtica lue adhuc infectis.* X. *In ſingulis ferè Provinciis ſuae factionis Epiſcopos crearunt.*

1. UT Romanam Cathedram per ſummum nefas adeptus eſt Novatianus, collectis Epiſcopis tum ordinatoribus ſuis, tum aliis quos factione ſua implicuit, vocatis etiam aliquibus Confeſſoribus qui partes ejus ſequebantur, animum ad Pſeudo-Synodum celebrandam appulit. In hoc ſeditioſorum conventiculo irritum pronuntiatum eſt Decretum Peremtorium Concilii Carthaginenſis, quo Lapſis poenitentibus ſub ipſum vitae exitum communio indulgebatur: tum Decreti illius propugnatores extra Eccleſiam eſſe declarantur: Cornelius, velut libellaticus atque adeo contra jura ordinatus, abdicatur Pontificatu, laïcaeque communioni perpetuò addicitur. Tandem Encyclica ad Eccleſias omnes tranſmittenda decernitur, atque ejus rei gratiâ publici Curſores eliguntur. Aſtruebat itaque Novatianus

tianus in ea Pſeudo-Synodo legitimam electionem ſuam, quod Cornelius communionem lapſis tandem impertiendam decreviſſet, ideoque ab inſectatione Decreti Peremtorii Synodalia acta oportuit exordiri. Haec ex Hiſtoria Socratis decerpta ſunt, qui lib. 4. cap. 28. poſt enarratam Novatianorum conſuetudinem in Paſchate celebrando, arrepta occaſione Schiſma ad hunc modum deſcribit. *Novatus* (lege, *Novatianus*) *Presbyter Eccleſiae Romanae ideo diſſidium fecit, quod Cornelius Epiſcopus fideles qui tempore perſecutionis à Decio Imperatore contra Eccleſiam excitatae, idolis ſacrificaverant, in communionem ſuſcepiſſet. Hanc igitur ob cauſſam cum ſeceſſiſſet ab Epiſcopis, qui idem cum ipſo ſentiebant, ad Pontificatum evectus, ſcripſit ad omnes ubique Eccleſias, ne eos qui Daemonibus immolaverant, ad ſacra myſteria admitterent: ſed ut hortarentur quidem eos ad poenitentiam, indulgentiam autem criminum relinquerent Deo, penès quem jus arbitriumque eſt crimina remittendi. His literis ad omnes Provincias perlatis, ſinguli pro ſuis moribus de his quae ſignificabantur, tulere judicium.*

II. Interim quum peracta Synodo, ſacra Synaxis foret celebranda, illud jusjurandum ab aſſeclis ſuis Novatianus exegit, quod eſt Cornelio proditum in Encyclica ad Orthodoxas Eccleſias, apud Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 43. *Etenim oblatione facta, portionem ſingulis dividens, dum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus qui portionem accipit, ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, nec prius dimittens, quàm jurati iſta dixerint: ipſis enim utar illius verbis: Jura mihi per corpus, & ſanguinem D. N. J. C., te nunquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum. Ita miſer ille non priùs guſtare ſinitur, quàm ſibi ipſe malum imprecatus ſit. Et cum panem illum accipiens, dicere debuiſſet, Amen; ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.* Atque infandis hujuſcemodi artibus factionem quam inſtituerat, Novatianus confirmavit.

III. Progreditur deinde ad conſcribendam Antencyclicam, eique adjungendum libellum quo facinora Cornelii denuntiarentur. Ac in Antencyclica quidem miris modis exagitat Peremtorium Decretum eo tempore editum, ſuumque haereticale ſyſtema

ſtema

Digitized by Google

ſtema confingit, in quo poſt poenitentiam ſemel peccatoribus impertiendam, ſi denuo in idem aliudve crimen relabantur, omnem poenitentiae aditum intercludebat, indubitanter aſſeverans, nullam autoritatem condonandorum hujuſcemodi peccatorum Eccleſiae eſſe attributam. Intercidit, aut in forulis Bibliothecarum latitat haec Novatiani Antencyclica. Verumtamen ex Literis Cypriani & Paciani ſatis apparet, hoc pertinaci homini fuiſſe ſcribendi argumentum. Libellum autem quod attinet, in eo totis criminationum & calumniarum plauſtris in Sanctiſſimum Pontificem debacchatur, eumque paſſim exagitat, quòd Libellaticorum crimine commaculatus eſſet, quòd Lapſis omnibus communionem & pacem promiſcuè exhiberet, & id genus alia in eum facinora conjicit, quae in epiſt. 55. ad Antonianum latè recenſuit oppugnavitque Cyprianus, quò undique laceſſitam Pontificis dignitatem & famam vendicaret.

IV. Acta Pſeudo-Synodi ſuae, Antencyclicam, & Libellum ut probaret Catholico Orbi Novatianus, Literas à Confeſſoribus nonnullis obtinuit, eaſque Antencyclicae conjungendas. Mirum eſt, quantum detrimenti intulerint Cornelii partibus nomina Martyrum, & praejudicata non tam gradus celebritas, quàm autoritas confeſſionis. Namque quum invaluiſſet multò pridem apud Fideles & Eccleſias ea perſuaſio, quod Literae Martyrum ad publicam fidem faciendam emolumenti plurimum haberent, vix palam innotuit, ea Confeſſores ſuis literis confirmaſſe quae Novatianus in Antencyclica decreverat, & Pontificia ac Synodali autoritate propoſuerat amplectenda, quum multi paſſim & ubique viſi ſunt à Cornelio deſciſcere, probare Novatiani Pontificatum, vereri dignitatem, & dogmata ultrò conſectari. Ingentes quidem tumultus ab iis Confeſſorum epiſtolis excitatos, produnt Schiſmatici ipſi ad Eccleſiam reduces, deque eo ſcribit Cornelius in epiſt. ad Cyprianum num. 49. Agens enim de Confeſſoribus, ceteriſque ad unitatem Eccleſiae regreſſis, formulam deſcribit qua in Schiſmate ejurando uti debuerunt. *Qui cum veniſſent*, inquit Pontifex, *& à Presbyteris quae geſſerant, exigerentur, noviſſimè quod per omnes Ec-*

cleſias

cleſias literae calumniis & maledictis plenae eorum nomine frequentes miſſae fuiſſent, & penè omnes Eccleſias perturbaſſent; circumventos ſe eſſe affirmaverunt; nec quod in literis ineſſet ſciſſe: tantumque circumductos commiſiſſe ſe quoque ſchiſmata, & haereſis autores fuiſſe; ut putarentur ei manus quaſi in Epiſcopum imponi: Qui, cum haec & cetera fuiſſent exprobrata, ut abolerentur & de memoria tollerentur, deprecati ſunt. Hinc Pacianus appellat *fictas epiſtolas*, quas ſcilicet Novatianus & Novatus conſcribentes, à Confeſſoribus, ut ſignarentur, impetrabant, & velut ex illorum conſcientia & voluntate exaratas in vulgus emittebant.

V. Curſores plurimos delegit Pſeudo-Pontifex, hujuſcemodi ſcripta ubique perlaturos, anteaquam facinoris rumor, literaeque Cornelii Eccleſias pervagarentur. Et illi quidem Carthaginem appulere, quum adhuc Concilium ſub Cypriano haberetur: & ſtrenuè contenderunt, ut in eo Africae Conventu legerentur Antencyclica, & libellus criminationum in Cornelium, coram probaturi, ut jactabant, vera eſſe & certa quaecumque in ſcriptis iiſdem eſſent comprehenſa. Curſorum adventum, nomina, & impotentiam, qua ad ſchiſma inducendum effraenes agebantur, deſcribit Cyprianus in epiſt. 45. *Venerunt ad nos, Frater cariſſime, miſſi à Novatiano, Maximus Presbyter, & Augendus Diaconus, & Machaeus quidam & Longinus. Sed enim cum ex literis quas ſecum ferebant, & ex eorum ſermone atque aſſeveratione Novatianum Epiſcopum factum comperiſſemus, illicitae & contra Eccleſiam Catholicam factae ordinationis pravitate commoti, à communicatione eos noſtra ſtatim cohibendos eſſe cenſuimus, refutatis interim ac retruſis, quae obſtinatè ac pertinaciter aſſerere tentabant.* Se inquit Cyprianus ex epiſtolis illorum fraudem detexiſſe, quòd, opinor, eâ formâ ſubſcriptionum deſtituerentur, qua Romanus Clerus in hiſce Eccleſiaſticis epiſtolis perſcribendis uti conſueverat.

VI. Porro Epiſcopi cujuſcumque, aut Metropolitani, aut Primatis jus erat inquirendi in epiſtolarum veritatem, conditionemque mittentis, miſſorumque, ne qua ſcilicet fraus, neve ullus intercurreret dolus. Hac de cauſſa Cornelius reſpuit Literas,

Digitized by Google

ras, quas Feliciſſimus Fortunati Pſeudo-Epiſcopi Carthaginenſis legatus Romam attulerat. Et Cyprianus non immeritò ſuſpicatus, acta haec omnia de quibus inſtituta praeſens diſputatio eſt, prae ſe ferre impoſturam, recitari apud Synodum ſuam inhibuit, quouſque Caldonius & Fortunatus, duo Epiſcopi Africani Romam dimiſſi pro Cornelii ordinatione, Carthaginem regrederentur. Quapropter Legati Novatiani, non fruſtra veriti, ne fraus in apricum deduceretur, nullum non moverunt lapidem, ut Cypriano licet invito Antencyclicam libellumque in Cornelium contumelioſum, unà cum intextis Confeſſorum literis publicè apud Eccleſias recitarent. Rectè de illis Cyprianus in epiſt. 44. ſcribit. *Qui cum in ſtatione invidioſis quoque conviitiis & clamoribus turbulentis proruerent, & flagitarent, ut crimina quae ſe afferre ac probare dicebant, publicè à nobis, & à plebe cognoſcerentur: gravitati noſtrae negavimus convenire, ut Collegae noſtri jam delecti, & ordinati, & laudabili multorum ſententiâ comprobati, ventilandum ultra honorem maledica aemulantium voce pateremur.* Interim non deſtitit Cyprianus fraudes quas agnoverat, & Concilio, & univerſis Eccleſiis ſuis patefacere. Reticet tamen rationem inſtituti examinis, quo Antencyclicae & Curſorum pravitas detecta eſt, lucem nobis ſi vel obiter commemoraſſet, non exiguam allaturus in Priſcorum Antiſtitum ſolertia deſcribenda, admirandaque accuratione, qua eos in Encyclicis publicandis uſos eſſe, par eſt exiſtimare. Omnia per Curſorem ſuum Primitivum hac de cauſſa tranſmiſſum, enarraturum ſe aït, ſcribens ibid. *Et quia, quibus refutati & compreſſi ſunt, & illicitis conatibus haereſim feciſſe nudati ſunt, in epiſtolam congerere longum fuit: ex Primitivo Compresbytero noſtro pleniſſimè ſingula, quando ad vos veniet, audietis.* Ubi verò Cyprianus aït miſſos eoſdem *in ſtatione* comminatos fuiſſe, lectionem Encyclicae ſe inſtituturos, eodem repugnante Praeſule, procul dubio innuit publicum aliquem conventum, cui Clerus & plebs univerſa intereſſe deberet.

VII. Zelo quem in refellenda Antencyclica Novatiani, ejuſque fraudibus patefaciendis adhibuit, eodem uſus eſt ad redarguen-

gucadas calumnias, quas factioſi homines libello denunciativo in Cornelium conjecerant. Qua de re ſcribit ad Pontificem in epiſt. 45. his verbis. *Honoris etiam communis memores, & gravitatis Sacerdotalis, ac Sanctitatis reſpectum tenentes, ea quae ex adverſo in librum ad nos tranſmiſſum congeſta fuerant acerbationibus criminoſis, reſpuimus: conſiderantes pariter & ponderantes, quod in tanto Fratrum religioſoque conventu conſidentibus Dei Sacerdotibus, & altari poſito, nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facilè promenda ſunt, & incautè ac temerè publicanda quae diſcordioſo ſtylo ſcripta audientibus ſcandalum moveant, & Fratres longè poſitos, ac trans mare conſtitutos, incerta opinione confundant. Viderint qui furori ſuo, vel libidini ſervientes, & divinae Legis ac Sanctitatis immemores, jactare interim geſtiunt quae probare non poſſunt: & cum innocentiam deſtruere atque expugnare non valeant, ſatis habent fama mendaci & falſo rumore maculas inſpergere.* Saluberrimè poſtea commonet, quemadmodum excipiendae ſint illatae Clericis & Sacerdotibus criminationes: *Certe quod Praepoſitis, & Sacerdotibus congruit, danda opera eſt, ut talia quum à quibuſdam ſcribuntur, per nos reſpuantur. Ubi enim erit quod diſcimus, ac docemus ſcriptum eſſe: contine linguam tuam à malo . . . . Porro haec fieri debere oſtendimus, ſi quando talia quorumdam calumnioſa temeritate conſcripta ſunt, legi apud nos patimur. Et iccircò, Frater cariſſime, cum ad me talia de te, & Compresbyteris tecum conſidentibus ſcripta veniſſent, quae religioſam ſimplicitatem ſonabant, nec ullis maledictorum & conviciorum latratibus perſtrepebant, Clero, & Plebi legi praecepi.*

VIII. Curſores igitur Novatiani repulſam paſſi, & prohibiti ne Carthagine Antencyclicam, & propudioſa in Cornelium ſcripta vulgarent, per Urbes diſcurrere, privatas domos fidelium pervagari, & quotquot poſſent ad factionem ſeditionemque pertrahere. Illorum effraenem temeritatem accuratè deſcribit Cyprianus in epiſt. 44. *Ac ne eorum furens audacia unquam deſiſteret, hic quoque in Schiſmatis partes Chriſti membra diſtrahere, & Catholicae Eccleſiae corpus unum ſcindere ac laniare nituntur; ut oſtiatim per multorum domos, vel oppidatim per quaſdam Civitates diſ-*

currentes, obſtinationis ſuae, & erroris ſibi quaerant comites. Quibus ſemel reſponſum dedimus, nec mandare deſiſtimus, ut pernicioſa diſſenſione & concertatione depoſita, impietatem eſſe ſciant, Matrem deſerere: & agnoſcant atque intelligant, Epiſcopo ſemel facto, & Collegarum ac plebis teſtimonio ac judicio comprobato alium conſtitui nullo modo poſſe: proinde ſi pacificè ſibi ac fideliter conſulunt, ſi ſe aſſertores Evangelii Chriſti eſſe confitentur, priùs ad Eccleſiam revertantur. Inter alia nimirum, quae illi jactitabant, illud erat praecipuum, quod Novatianus ejuſque comites eſſent *aſſertores Evangelii Chriſti*. Hinc iidem Curſores etiam Apoſtoli dicti ſunt, ſcribente de iiſdem Cypriano in epiſt. 55. ad Antonianum. *Per plurimas Civitates novos Apoſtolos ſuos mittit.* Et hujuſcemodi titulorum praeſumtorum cauſſa Novatianum feſtivè ſimul & acerbè exagitat ſub finem epiſtolae 2. Pacianus. *Novatianus his melior? Emendator Prophetarum, Doctor Apoſtolorum? Jam cum Chriſto videtur ut idem Moyſes? Jam ut Paulus in tertium Coelum ſublimis evehitur?* Et in epiſt. 3. luculentiùs. *Ergo à Chriſti uſque ad Decii principatum nullus intelligens? Poſt Decium denique omnis Epiſcopus impatiens: omnes alii diſſoluti, qui ſe miſcere perditis mallent, qui perire cum miſeris, qui alieno vulnere vulnerari? Novatiano vindice juſtitia liberatur, authore corrigitur quidquid erravit.*

IX. Interim quum fraudibus hiſce & machinationibus Schiſmatici praeveniſſent Encyclicam Cornelii, plurimarum Provinciarum Populos in ſuam factionem traduxerunt. Imò quandoquidem haec haereſis quantum ad poenitentiam peccatoribus denegandam, affinis admodum erat placitis Montaniſtarum, Provinciae Phrygiarum & Paphlagoniae, in quibus Montaniſtica lues graſſabatur, Schiſmati non difficulter adhaeſerunt, idemque adhuc profitebantur aetate Theodoriti, ut ipſemet atteſtatur lib. 3. Haeretic. Fabul. cap. 5. & Socrates quoque de Novatiano ſchiſmate verba faciens, *in Provinciis*, inquit, *Phrygiae, & Paphlagoniae exacta Eccleſiae illorum regula ac diſciplina etiam num vigent.*

X. Poſt ſchiſma paſſim & ubique diſſeminatum, Novatiani

in

Digitized by Google

in ſingulis fermè Civitatibus aliquos ſuae profeſſionis viros conſtituere coeperunt, per quos factio confirmaretur. Quamobrem Cyprianus ſcripſit in epiſt. 59. ad Cornelium. *Nam & pars Novatiani Maximum Presbyterum, nuper ad nos à Novatiano legatum miſſum, atque à noſtra communicatione rejectum, nunc iſtic ſibi feciſſe Pſeudoepiſcopum dicitur*. Et in epiſt. 55. ad Antonianum. *Ille poſt Dei traditionem, poſt connexam & ubique conjunctam Catholicae Eccleſiae unitatem, humanam conatur Eccleſiam facere, & per plurimas Civitates novos Apoſtolos ſuos mittit, ut quaedam recentia inſtitutionis ſuae fundamenta confirmet: cum jam pridem per omnes Provincias, & per Urbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi in aetate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti, ille ſuper eos creare alios Pſeudoëpiſcopos audeat*. Improba haec tentamenta refellit idem Cyprianus in lib. de Unitate Eccl. verbis illis. *Hi ſunt qui ſe ultro apud temerarios convenas ſine divina diſpoſitione praeficiunt, qui ſe Praepoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi nomen ſibi aſſumunt*. Quapropter Anaſtaſius Bibliothecarius, ſive quis alius vitae Cornelii antiquus ſcriptor, ad rem noſtram aït. *Sub Epiſcopatu ejus Novatus extra Eccleſiam ordinavit Novatianum in Urbe Roma, & Nicoſtratum in Africa*. Atque ad hunc modum Antencyclica Novatiani praeveniens acta legitimae ordinationis Cornelii, Italicas, Africanas, ceteraſque Orbis Eccleſias ita commovit, ut in plurimis ſchiſma invexerit, dilatarit, confirmaritque, non ſine Orbis judicio compeſcendum.

§. III.

§. III.

De Synodo Romana ſub Cornelio, deque Literis Encyclicis adverſùs Novatianos evulgatis.

Synopsis.

I. *Synodus Carthaginenſis Legatos Novatiani repellit, & probat electionem Cornelii.* II. *Primitivus Romam Legatus cum Encyclicis Cornelii in Africam regreditur.* III. *Duplex Romana Synodus ea de re celebratur.* IV. *Decreta, & alterius Romanae Synodi Encyclicae contra Novatianos expenſae.* V. *Alteram ſcribit Cornelius ad Fabium Antiochenum.* VI. *Cyprianus quoque Encyclicam ad omnes Afros ſcribit, & Synodum congregat Nationalem.* VII. *Antiochena Synodus à Fabio indicta, celebratur ab illius ſucceſſore Demetrio.* VIII. *Zelo Demetrii Antiocheni & Dionyſii Alexandrini approbatur electio, & Encyclica Cornelii per univerſum Orientem.* IX. *Dionyſius Literas quibus reſipiſcere jubet, ſcribit ad Novatianum.* X. *Reſcripta Praeſulum totius penè Orbis ad Cornelium anſam praebuerunt, eundem velut Imperii perduellem criminandi.*

I. CYprianus ut agnovit Schiſmaticorum nequitiem, proditiones, & impietatem, in ipſo calumniarum contra Cornelium libello ſatis expreſſam, utque detexit ex epiſtolis ipſis, & procaci turgidoque agendi modo fraudem & impoſturam, ab eo quidem quod celebrabatur, Concilio Carthaginenſi rejecit Curſores, eorumdemque ſuſcipere ſcripta penitus detrectavit; judicium tamen ferre diſtulit, quouſque Epiſcopi qui ab Eccleſiis Africanis pro Cornelii ordinatione directi fuerant Romam, regrederentur Carthaginem. Vix autem iidem Africani Praeſules Africam appulere, & retulerunt, electionem Cornelii fuiſſe legitimam, quum & ipſe Cornelius velut Pontifex habitus eſt, & Novatianus cum aſſeclis ſuis ſententia lata damnantur.

Haec

Digitized by Google

Haec omnia ad Cornelium ſcripſit Cyprianus in epiſt. 45. ubi rationes proſequitur, propter quas & Curſores & Antencyclicam Novatiani omnino reſpuiſſet. ***Nam & ego, & Collegae plurimi, qui ad me convenerant*** (ſcilicet edendi Peremtorii Decreti cauſſa) ***expectavimus adventum Collegarum noſtrorum Caldonii & Fortunati (quos ad te nuper & Coëpiſcopos noſtros, qui ordinationi tuae affuerant, legatos miſeramus, ut eis adventantibus & rei geſtae veritatem reportantibus, majore autoritate & elucida per eos probatione partis adverſae improbitas frangeretur.) Supervenerunt verò Pompejus & Stephanus Collegae noſtri, qui & ipſi quoque ad inſtruendos iſtic nos manifeſta ſecundum gravitatem ac fidem ſuam indicia ac teſtimonia protulerunt, ut nec neceſſe fuerit audiri ultra eos, qui à Novatiano venerant miſſi.*** Ex his vides, Cyprianun abs propriis caracteribus Antencyclicae agnoviſſe impoſturam: in altera verò, quam Pompejus & Stephanus attulerant, indicia ac teſtimonia deprehendiſſe legitimae ordinationis Cornelii, adeout Synodus Carthaginenſis & gravitatem hujus, & illius improbitatem vel ſola lectione perſpexerit. Unde Cyprianus ipſe ad Antonianum epiſt. 55. ſcribens, ita loquitur de ordinatione Cornelii. ***Et factus eſt Epiſcopus à plurimis Collegis noſtris, qui tunc in Urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles,& teſtimonio ſuae praedicationis illuſtres de ejus ordinatione miſerunt.***

II. Inſuper Primitivo Presbytero epiſtolas tradidit Cyprianus ad Cornelium deferendas. Quum autem Primitivus Roma regrederetur Carthaginem, ſecum attulit epiſtolas tum Encyclicas de ambitu & ſchiſmate Novatiani, tum alias in quibus Pontifex vehementer conquerebatur de Polycarpo Coloniae Adrumentinae Epiſcopo, qui quum primum ad eum ſcripſiſſet, Literis Formatis velut cum Pontifice uſus fuerat: iterum autem ſcribens, Clerum Romanum in epigraphe Literarum appellaverat, nulla Cornelii Pontificis facta mentione. Reſcripſit Cyprianus in epiſt. 48. id juſſu Carthaginenſis Synodi contigiſſe, quae decreverat, nec Curſores & epiſtolas Novatiani, nec alterius cujuſcumque legationes excipere, anteaquam Legati à Concilio Romam tranſmiſſi,reverterentur, atque acta legitimae

electionis referrent. Addit, continuò ab illorum adventu Cornelii electionem apud Africanas Eccleſias ubique fuiſſe proclamatam, Novatianos autem ubique anathemate profligatos. In quo ſubit admirari ſolertem Eccleſiarum vigilantiam in mittendis ſuſcipiendiſque Eccleſiaſticis epiſtolis, quibus penè univerſa regiminis compages, & vigor diſciplinae continebatur: cautè iccirco examinandis, ne cui ſub veri & aequi ſpecie error aut dolus illuderet.

III. Inter haec Pontifex Cornelius in duplici Romana Synodo praeſidium ſuae defenſionis inſtituit. Primam celebravit continuò ac Epiſcopus ordinatus eſt, eidemque interfuerunt Italiae Epiſcopi ſexdecim, duoque Africani, Caldonius & Fortunatus. De hoc Romano conventu loquitur Autor libelli Synodici. *Synodus divina & ſacra Provincialis Patrum beatorum Romae congregata à Cornelio Beatiſſimo Papa, aliiſque octodecim Epiſcopis, quae Novatum, laqueum illum poenitentiam agere nolentium, abdicavit*. In iis enim initiis nondum in apertum ſchiſma eruperat Novatianus, ſed jurgari propter dogma incoeperat, quo defendebat, Lapſis omnem penitùs aditum intercludendum ad poenitentiam eſſe. Alteram autem Synodum Cornelius tum celebravit, quum abs Cypriano aliiſque Epiſcopis intellexit, ſibi operam dandam eſſe, ut Antencyclicae occurreret, purgaret calumnias in libello comprehenſas, & ſubcreſcentem Novatianorum factionem quacumque fas erat ratione comprimeret, collecta imprimis numeroſiore Synodo Epiſcoporum. De ea ſcribit Euſebius lib. 6. Hiſt. cap. 23. *Ob quam rem cum Romae congregata eſſet Synodus, in qua ſexaginta quidem Epiſcopi, Presbyteri verò & Diaconi multò plures convenerunt*. Dubitandum non eſt, quin haec Synodus à priori ſecernenda ſit, praeſertim cum haec menſibus aliquot poſt peractam electionem Cornelii, & denuntiatum ſchiſma quod per Orbem à Novatiani gregariis invehebatur, procul omni difficultate celebrata ſit, eademque confirmarit Encyclicum & Peremtorium Decretum Concilii Carthaginenſis. De quo Cyprianus ſcribit in epiſt. 55. ad Antonianum. *Etſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur*

Digitized by Google

batur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis Epiſcopis habito Concilio in eandem nobiſcum ſententiam pari gravitate ac ſalubri moderatione conſenſit.

IV. Haec igitur frequentior Romana Synodus, cui praeter LX. Epiſcopos & conſidentes Preſbyteros atque Diaconos, interfuiſſe etiam opinor ceterorum Epiſcoporum legatos, ſuarum Provinciarum Eccleſiarumque ſententiam de controverſo dogmate prolaturos, in hujuſmodi ferè decreta conſenſit. I. Ut Cornelius haberetur velut Pontifex legitimus & canonicè ordinatus. II. Ut aſſentirentur unanimiter Eccleſiae omnes Decreto Peremtorio, quod in cauſſa Lapſorum tulerat Concilium Carthaginenſe, & Cyprianus publicaverat. III. Schiſma Novatiani, & quae illi jungebatur haereſis anathemate reprobantur. His peractis, Encyclica ſcripta condita ſunt, atque ad Provincias tranſmiſſa, quibus omnes ſubſcripſerunt. Quamobrem poſteaquam Cornelius & acta Romanae hujus Synodi, & Encyclicas evulgaſſet, ſcribit Euſebius ibid., Eccleſias omnes in eadem decreta conſpiraſſe. *Cumque in Provinciis Antiſtites quid agendum eſſet, ſeorſum conſultaſſent, hujuſmodi decretum promulgatum eſt: Novatum quidem & eos, qui cum ipſo ſeſe inſolentiùs extulerant, & quicumque inhumaniſſimae & à fraterna caritate alienae ejus opinioni conſentire praeſumſerunt, alienos ab Eccleſia habendos eſſe: Fratres verò, qui in calamitatem inciderant, poenitentiae remediis curandos eſſe & confovendos.* Socrates quoque poſt enarratam promulgationem Antencyclicae Novatiani, ſubjungit lib. 4. Hiſt. cap. 28. *Quod enim ille* [Novatianus] *ſignificaverat, ad Sacramentorum communionem admittendos non eſſe eos, qui poſt baptiſmum crimen laetiferum commiſiſſent, aliis quidem acerba & immitis videbatur hujus regulae promulgatio, alii verò hanc regulam ut juſtam, & ad ſtabiliendam emendationis vitae diſciplinam imprimis utilem ſuſceperunt. Dum haec agitatur controverſia, ſupervenerunt Literae Cornelii Romani Pontificis, quae eis etiam qui poſt baptiſmum deliquiſſent, indulgentiam ſpondebant.* Itaque poſt Novatiani Antencyclicam, ejuſdemque Pſeudo-Synodum, ſecuta eſt Romana ſub Cornelio

Digitized by Google

Synodus, & Encyclica per Orbem tranſmiſſa, quae Synodalia decreta complectebatur.

V. Quin etiam Cornelius Pontifex alteram Encyclicam ad Fabium Epiſcopum Antiochenum exaravit. Propter diſperſas à Curſoribus Novatiani calumnias in Cornelium, nonnihil de ejuſdem electione Fabius ſubdubitaverat. Quocirca Pontifex literas ad eum multò prolixiores dedit, in quibus mores Novatiani, ſchiſma & errores latè deſcribit. Fragmenta epiſtolae hujus leguntur apud Euſeb. lib. 6. Hiſt. cap. 43. Scripta autem à Pontifice eſt poſtquam Encyclica Romanae Synodi decreta ſuſcepta ab Eccleſiis fuerunt & approbata. Euſebius enim haec praemittit. *Exſtant adhuc Epiſtolae Cornelii Romanorum Epiſcopi ad Fabium Antiochenſis Eccleſiae Praeſulem miſſae, in quibus & Romanae Synodi geſta, & omnium per Italiam & Africam, aliaſque locorum illorum Provincias ſententiae declarantur. Aliae praeterea latino ſermone conſcriptae exſtant Epiſtolae Cypriani, & aliorum Antiſtitum, qui cum ipſo in Africa congregati ſunt . . . . His adjuncta erat alia ejuſdem Cornelii Epiſtola de his, quae in Synodo decreta fuerant: & rurſus alia de facinoribus Novati.* Has opinor epiſtolas omnes in unum Tomum Encyclicum redactas, direxit Pontifex ad Fabium Antiochenum. Sed Euſebius imprimis ex ultima Cornelii, quae ad hiſtoriam facinorum Novatiani ſpectarent, decerpſit fragmenta, ut mox ſubjungit. *Ex qua nihil obſtat, quo minus hic aliqua inſeramus, ut hiſtoriae noſtrae lectores ea quae ad Novatum pertinent, perſpicuè cognoſcant.* Atque hujus Encyclicae fragmenta praecipua in ſuperioribus deſcripſimus. Sat modò fuerit annotaſſe verba Euſebii, quae ad argumentum Encyclicarum faciunt. *Sub finem autem Epiſtolae numerum recenſet Epiſcoporum, qui in Urbem Romam convenientes, amentiam Novati condemnaverant, nomina quoque illorum, & quam quiſque regebat Eccleſiam adſcribens. Eorum item qui Romae quidem minimè adfuerant, ſuperiorum tamen Epiſcoporum ſententiam literis ſuis approbaverant, vocabula ſimul & Civitates, unde ſinguli literas dederant, accuratè commemorat.* Non itaque dubitandum eſt, quin Italicarum Provinciarum Epiſcopi, ſimul ac decreta Cornelii & Roma-

Romanae Synodi prodierunt, ſententiam in Novatianum latam ſuis literis confirmarint.

VI. Cyprianus & Africani Antiſtites, quorum epiſtolae velut pars non exigua Tomi Encyclici, in tota Novatiani cauſſa emanati, ad Fabium directae à Cornelio fuerant, intantum iiſdem decretis firmandis allaborarunt, ut eorum zelo, doctrina, atque induſtria obviam Schiſmati itum ſit. Nam & ſub ipſa contentionis initia ante illius Synodi evocationem, Cyprianus ad Epiſcopos totius Africae Encyclicam exaravit pro legitima ordinatione Cornelii: quemadmodum ſcribit in epiſt. 44. *Cui rei ſopiendae neceſſarium duximus, ut ſcribentium nobis inde Collegarum noſtrorum firma & ſolida autoritas pararetur: qui moribus ac vitae & diſciplinae tuae condigna literarum ſuarum teſtimonia praedicantes, aemulis quoque & rerum vel novitate, vel pravitate gaudentibus, omnem ambigendi & diſcrepandi ſcrupulum ſuſtulerunt; & ſecundum conſilium noſtrum ſalubri ratione libratae in hoc fluctu aeſtuantium Fratrum mentes, ſincerè ac firmiter tuum ſacerdotium probaverunt.* Poſt adventum verò Caldonii & Fortunati, quos ſecuti ſunt Pompejus & Stephanus, idem Cyprianus, perſpecta medullitus cauſſa ex eorum certioribus teſtimoniis, necnon ex actis, indiciiſque ab actione Miſſorum Novatiani deductis, Nationalem Africae Synodum cenſuit evocandam. De qua ſcribit ad Cornelium in epiſt. 48. *Sed quoniam latius fuſa eſt noſtra Provincia, habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas ſibi cohaerentes, ne in Urbe ſchiſma factum abſentium animos incerta opinione confunderet, placuit, ut per Epiſcopos retenta à nobis rei veritate, & ad comprobandam ordinationem tuam facta autoritate majore; tum demum ſcrupulo omni de ſingulorum pectoribus excuſſo, per omnes omninò iſtic poſitos literae fierent (ſicut fiunt) ut te univerſi Collegae noſtri, & communicationem tuam, id eſt Catholicae Eccleſiae unitatem pariter & caritatem probarent firmiter & tenerent. Quod divinitùs eveniſſe, & conſilium noſtrum providenter perfeciſſe gaudemus. Sic enim tunc Epiſcopatus tui & veritas pariter & dignitas apertiſſima luce & manifeſtiſſima, firmiſſima comprobatione fundata eſt: ùt ex reſcriptis Collegarum noſtrorum, qui ad nos inde literas fecerunt,*

cerunt, & ex relatione ac teſtimonio Coëpiſcoporum Pompei & Stephani, & Caldonii ac Fortunati, ordinationis tuae & origo neceſſaria, & ratio juſta, & glorioſa quoque innocentia ab omnibus noſceretur. De eadem Cypriani Synodo ſcribit Autor Libelli Synodici ad hunc modum. *Synodus divina & ſacra Provincialis Carthagine, nova Africae Civitate dicta, collecta à ſacro Martyre Cypriano, qui ejus erat Epiſcopus, aliis octuaginta quatuor Epiſcopis, quae Novatum utpotè poenitentiam Lapſis negantem abdicavit*. Atque hac occaſione Cyprianus, ſchiſma ut comprimeret, aureum de unitate Eccleſiae opuſculum ſcripſit, recitavit in Synodo, ac poſtea cum Encyclica Synodali ad Eccleſias direxit, ut paullò infra oſtendemus.

VII. Fabius Antiochenus, acceptis Cornelii epiſtolis cum Tomo Encyclico in Orientem tranſmiſſo, Concilium indixit totius tractus Antiocheni: ſed morte praeventus nequaquam celebravit. Praeſtitit id illius ſucceſſor Demetrius, habuitque Synodi autores ipſos ampliſſimarum Provinciarum Primates, Helenum ex Cilicia, Firmilianum è Cappadocia, Theoctiſtum è Palaeſtina. De hoc conventu ſcribit Autor Libelli Synodici. *Synodus divina & ſancta Provincialis collecta à Demetrio ejuſdem Sanctiſſimo Epiſcopo, qui Novatum depoſuit, tanquam qui peccatoribus patrocinaretur*. Fabius certè ut à Novatiano recederet, fecerunt hortationes Dionyſii Alexandrini, de quo Euſebius lib. 6. Hiſt. cap. 44. *Eidem porrò Fabio Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus ſcribens, poſtquam & alia multa quae ad poenitentiam ſpectant, in ſuis ad illum literis expoſuit ...... Inter cetera facinus quoddam refert admiratione digniſſimum:* Lapſi videlicet poenitentiam agentis, qui pacem admirabili ratione conſecutus fuerat. Addit autem Dionyſius poſt facti narrationem. *An non igitur perſpicuè apparet, eum reſervatum fuiſſe ac tantiſper in vita permanſiſſe, quoad reconciliaretur, & deleto jam crimine pro multis quae geſſerat, bonis operibus à Chriſto agnoſci poſſet, & praedicari.* Et in altera ad eundem Fabium, cujus fragmentum recitat ibid. Euſebius capp. 41. 42., & in qua recenſet acta perſecutionis in Aegypto excitatae, forteſque Confeſſores martyrii pal-

ma

ma decoratos, ita ad rem noſtram ſcribit. *Ceterum hi divini Martyres, qui nunc ſunt aſſeſſores Chriſti & regni illius conſortes ac judicii participes unà cum ipſo judicaturi: dum hic apud nos eſſent, quoſdam ex Fratribus lapſos & Idolis ſacrificaſſe convictos ſuſceperunt: & converſionem illorum ac poenitentiam cernentes, cum judicaſſent, eam placere poſſe illi qui peccatoris paenitentiam mavult, quam mortem, eos admiſerunt, & collegerunt, atque in coetum ſuum receperunt, & in orationibus & cibo cum iiſdem communicarunt. Quid ergo nobis, Fratres, de his ſuadetis? Quid nos agere debemus? Utrum ſententiae Martyrum accedemus, & rem ab illis judicatam, ſeu potius gratiam conceſſam tuebimur & cum iis quos illi miſeratione proſecuti ſunt, benignè agemus? An contra judicium illorum irritum faciemus, noſque ipſi ſententiae illorum diſcuſſores ac Judices conſtituemus, clementiam dolore afficiemus, ordinem conſtitutum evertemus, Dei ipſius indignationem provocabimus?* Poſtremis hiſce verbis tunc exortum Novatianum ſchiſma atque haereſim innuit, omne remedium poenitentiae ſecludentem: innuit etiam decretum judiciumque Orbis, quod *ordinem conſtitutum* appellat. Quapropter appoſitè obſervat ibid. Euſebius. *Atque haec Dionyſius conſultò videtur adjeciſſe, loquens de iis, qui perſecutionis tempore prae infirmitate animi lapſi fuerant.*

VIII. Fabius ad meliorem frugem adductus, ſeſe ad Eccleſiae defenſionem parabat, quum fato defunctus eſt. Demetrius itaque illius ſucceſſor, junctus Dionyſio id effecit, ut univerſus Oriens anathematiſmis peteret ſchiſma atque haereſim Novatiani. Intantum verò profecerunt Sanctiſſimi Viri, ut Dionyſius, quum ad Stephanum electum Romanum Pontificem ſcriberet, apud Euſebium lib. 7. cap. 4. impensè gratuletur, quod Orientales Eccleſiae, quarum aliquae Novatianiſmo infectae mutuam communicationem abruperant, jam per ea tempora denuo eadem fide conjunctae, Novatianiſmum ſimul inſectarentur. Quum itaque prodidiſſet Euſebius, quemadmodum ad Stephanum ſcribens Dionyſius, *id tandem illi indicat, omnes ubique Eccleſias, mollito jam perſecutionis furore, Novati turbulentam novitatem deteſtantes, inter ſe pacem iniiſſe:* pro veritatis hujuſce demon-

eum ſcribat. Dionyſius Novato fratri ſalutem. Siquidem invitus, ut aſſeris, eò adductus es, id nobis oſtende tua ſponte redeundo. Satiùs quidem fuerat quidvis pati, ne Eccleſia Dei diſcinderetur, cum reliquis, quibus Novatianum ſuadet, ut ſepoſito ſchiſmate, ad Eccleſiam revertatur. Neque verò deflexit unquam Dionyſius ab hac ſententia. Namque ad Dionyſium Romanum Pontificem, apud Euſeb. lib. 7. cap. 8. eodem poſtea ſtylo literas dedit. *Novatianum*, inquit, *meritò averſamur, quippe qui Eccleſiam diſcidit & quoſdam ex Fratribus ad impietatem blaſphemiamque pertraxit, qui nefariam de Deo doctrinam invexit, & Clementiſſimum D. N. J. Chriſtum quaſi implacabilem calumniatur*. Cetera Dionyſii ſcripta commodius paullo infra expendemus.

X. Interim aſſidua haec literarum & Curſorum ultro citroque commercia, Antiſtitum ſcripta ſive Cornelio per Formatas communicantium, ſive Encyclicam approbantium, imò & ſuſcepta ab iiſdem itinera & inſtituti conventus, Imperiali forenſi judicio occaſionem praebuere. Romae nimirum excitata ſuſpicio eſt, à Chriſtianis poſſe in imperium tumultus ac ſeditiones traduci. Quapropter non ſine Schiſmaticorum delationibus, ut opinor, & criminationibus Cornelius velut reus majeſtatis ac perduellionis in carcerem conjicitur. Id ſupererat deſperatis Novatianorum rebus, ut captata occaſione frequentium epiſtolarum, motuum etiam & tumultuum, quos inter Chriſtianam plebem gravitas contentionis pepererat, invidiam Orthodoxis omnium periculoſiſſimam crearent, agerentque ut Praefectus Urbis, harum rerum haudquaquam incurioſus & negligens, Pontificem vinculis adſtrictum, cauſſamque dicturum accerſeret, eique indignanter proditionem exprobraret. *Sic definiſti, ut nec Dei, nec praecepta Principum, nec noſtras minas timeas, ut contra Rempublicam literas accipias & dirigas.* Quod legimus apud Anaſtaſium in Cornelio. Itaque mutuarum epiſtolarum ſcriptio, quibus Eccleſiae uſae ſunt ad Encyclicae confirmationem, locum delatoribus tribuit atrociſſimae illius calumniae confingendae, quam Cornelius refellere ſtuduit, dum ſcriptionum omnium argumentum expoſuit ſua ad Praefectum reſponſione.

ſione. *Ego de corona Domini mei literas accepi non contra Rempublicam, ſed magis ſpeciale conſilium ad animas redimendas*. Antiſtitum conſenſionem & conſpirantem profeſſionem, qua uſum redemtionis à Chriſto factae peccatoribus poenitentia ductis non denegandum ſtabiliverunt, appellat Pontifex Coronam Domini, ad quos ſcilicet Encyclicas dederat, quoſque ad refutandam infructuoſae Redemtionis doctrinam conſentientes habuerat. Oppidò praeclara eſt ea Cornelii reſponſio ad confirmandam autoritatem, quae in conſenſu Eccleſiarum poſita eſt in controverſis omninò dijudicandis. Sed cum in eo potiſſima ſuſceptae à nobis diſputationis ratio verſetur, illud ipſum argumentum paullò latiùs diducamus.

ſ. IV.

De Autoritate Magiſterii à Cornelio in Encyclica propoſiti, deque controverſiis ejuſdem pondere terminatis.

SYNOPSIS.

I. *Vis Magiſterii in Eccleſiarum conſenſione elucet*. II. *Schiſma atque haereſis Novatiani quibus cenſuris notetur, ex Dionyſio Alex.* III. *Confeſſores Novatiani laqueis irretitos convertere ſatagit Cyprianus*. IV. *Presbyteri complures ſchiſma ejurant*. V. *Hujuſce ejurationis publicae forma & actio*. VI. *Nicephorus Afrorum Curſor eidem actioni cur interfuerit*. VII. *Formula condemnandi Novatianiſmi à Cornelio per Encyclicas publicatur*. VIII. *Autoritas Encyclicae Cornelii elucet in damnatione Marciani Arelatenſis.* IX. *Eandem adſtruit Cyprianus in Epiſtola ad Magnum*. X. *Itidem in Literis ad Confeſſores reſipiſcentes* XI. *Idipſum in Libellis de Lapſis, & de Unitate exſequitur*.

I. Quo-

I. QUoties Eccleſia Chriſti pro jure divinitus ſibi conceſſo ſuam exſerit autoritatem, ita ab iis omnibus qui Chriſtiano nomine cenſentur, obſequium exigit & ſubjectionem, ut quotquot ſint contemtores ac refractarii, non audire, ſed velut in rebelles & contumaces animadvertere ſemper conſueverit. Qui ſane praecipuus eſt character magiſterii, ſeu ut Cornelius, & Cyprianus loquuntur, Coronae Antiſtitum in unum quidpiam concordi decreto conſentientium. Adeo enim in eo de quo agimus decreto aut efformando, aut confirmando Provinciarum omnium Praeſules coïvere, ut civilis politiae affectatores vereri non immerito viderentur, ne quemadmodum plurimum ad Eccleſiaſticam controverſiam compeſcendam omnium tam admirabilis conſenſio valuerat, non minus contra imperii rationes, & contra avitam Gentium religionem eorumdem arbitrio Praeſulum eſſet aliquando valitura: Quaſi ſcilicet non tantummodo ad animas abs Inferni poteſtatibus redimendas ſuis juribus uteretur Chriſtiana Eccleſia, ſed etiam [quod Salvatoris inſtitutioni ex adverſo repugnat] Mundi ambitum ſecularemque dominationem conſectaretur. Ineptus igitur ut lubet, fuerit metus hujuſcemodi Aulicorum, argumento certè eſt, unanimem conſenſum Antiſtitum pro magiſterio fuiſſe habitum, decreta eorumdem fide proclivi fuiſſe ſuſcepta, & quotquot illis refragarentur, graviorem cenſuram ſubiiſſe.

II. Et Novatianum quidem ſchiſma, poſt Antiſtitum vota & ſubſcriptiones Encyclicae factas, improbatum ubique diriſque affectum vidimus teſtimonió Dionyſii, qui ad Stephanum Romanum Pontificem ſcripſit, Eccleſias omnes deteſtatas eſſe ***turbulentam novitatem*** ſectae illius. Et hoc quantum ad ſchiſma: quod enim ad haereſim pertinet, qua Novatianus poenitentiae uſum ſuſtulit, ſcribit idem Praeſul in epiſt. ad Dionyſium Romanum pariter Pontificem, eam opinionem eſſe ***impiam, blaſphemam, nefariam doctrinam inducentem, calumniantem Chriſtum Dominum uti implacabilem***. Ubi perpendas velim ſolertiam accurationemque Eccleſiarum, quae in prava Novatorum dogma-

ta

Digitized by Google

ta animadvertentes,propriis & congruentibus cenſuris utebantur. Imò in quantam delapſus eſſet impietatem Novatianus, diro ſchiſmate in Eccleſiam invecto, ipſemet Dionyſius Alexandrinus explicat in epiſtola hortatoria, qua Novatianum, ut à factione reſipiſcat, graviter perſuadet, apud Euſebium lib. 6. cap. 45. *Si tamen vel nunc perſuaſeris Fratribus, aut eos coëgeris, ut ad concordiam redeant, majus tibi meritum erit, quam culpa. Et haec quidem non imputabitur, illud autem praedicabitur. Quod ſi Fratribus parere recuſantibus id efficere non potes, tuam ipſius animam ſerva.* Conſulendus quoque Cyprianus in epiſt. 55. ad Antonianum, ubi praeſertim quibus cenſuris Novatiani impietas comprimenda ſit, doctè pro more & luculenter edíſſerit.

III. Quoniam verò abs epiſtolis quorumdam Confeſſorum, quas ſuae Antencyclicae adjunxerat Novatianus,vires ſumſit potiſſimas hujuſmodi ſchiſma, Cyprianus ab illorum converſione tentanda exorſus eſt, ſuaſque epiſtolas per Mettium Curſorem Dominicum ea mente ad Cornelium direxit, ut ſiquidem eas probaſſet, ipſis Confeſſoribus lapſis exhiberet lectitandas. Quapropter in epiſt. 47. ſic Cornelium alloquitur. *Et religioſum nobis, & neceſſarium vobis exiſtimavi, Frater cariſſime, ad Confeſſores qui illic ſunt, & Novatiani & Novati obſtinatione & pravitate ſeducti de Eccleſia receſſerunt, literas breves facere, quibus eos pro affectione mutua convenirem, ut ad matrem ſuam, ideſt Eccleſiam Catholicam revertantur. Quas literas tibi à Mettio Hypodiacono legi prius mandavi, nequis aliud me ſcripſiſſe fingeret, quam quod meis literis continetur. Mandavi autem Mettio, à me ad vos miſſo, ut de tuo arbitrio rem gerat, etſi eaſdem literas Confeſſoribus putaveris eſſe reddendas, tunc eas reddat.* Mutuarum ſcilicet epiſtolarum omnium ſcrutator primus erat loci Epiſcopus, necujus in fraudis ſuſpicionem venirent. Epiſtola verò Cypriani ad Confeſſores legitur num. 46., atque in ea, quum miris laudibus confeſſionem illorum affeciſſet, de laqueis Novatianorum quibus irretiti fuerant, ad hunc modum diſputat. *Gravat enim me atque contriſtat, & intolerabilis perculſi & benè proſtrati pectoris*

Digitized by Google

ris moeſtitia perſtringit, cum vos illic comperiſſem contra Eccleſiaſticam diſpoſitionem (innuit Decretum Peremtorium pro Lapſis ad poenitentiam ſuſcipiundis evulgatum) *contra Evangelicam Legem, contra inſtitutionis Catholicae Unitatem, alium Epiſcopum fieri conſenſiſſe, ideſt, quod nec fas eſt, nec licet fieri, Eccleſiam aliam conſtitui, Chriſti membra diſcerpi, Dominici gregis animum & corpus unum diſciſſa aemulatione lacerari*. Carpit inſuper & exagitat Novatiani jactantiam, qui tueri ſeſe Evangelium Chriſti ſuis dogmatis aſſeverabat. *Nec putetis ſic vos Evangelium Chriſti aſſerere, dum voſmetipſos à Chriſti grege, & ab ejus pace & concordia ſeparatis . . . . . Nam cum unanimitas noſtra ſcindi omnino non debeat, quia nos Eccleſia derelicta foras exire, & ad vos venire non poſſumus, ut vos magis ad Eccleſiam matrem & ad noſtram fraternitatem revertamini*.

IV. Poſt aliquot Cypriani epiſtolas ſecuta eſt converſio Preſbyterorum, quorum pariter literas Antencyclicae junxerat Novatianus, praeſidium ſuae factioni allaturus. Ultro petierunt illi à Cornelio, ut ſibi integrum eſſet, ſchiſma & praecedentia omnia acta publica ejuratione damnare. Annuit Pontifex, alioſque delegit Preſbyteros, qui illorum reſipiſcentiam, propoſitum voluntatemque cognoſcerent. Quod ut fuit peractum, in alia Synodo re maturiùs diſcuſſâ, admittuntur Lapſi ad Schiſmatis ejurationem & ad congruam noxae ſatisfactionem. Deſcribit id Cornelius in Epiſt. 49. ad Cyprianum. *Omni igitur actu* [Preſbyteros inter & Confeſſores] *ad me perlato, placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & hodie praeſentes fuerunt, ut firmato conſilio, quid circa perſonam eorum obſervari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur: & ut motum omnium & conſilium ſingulorum dignoſceres, etiam ſententias noſtras placuit in notitiam veſtram proferri, quas & ſubjectas leges*.

V. Occurrit hìc priſca ejurationis forma, necnon Eccleſiarum ſolertia perſpicienda. Familiam Confeſſorum illorum ducebant *Maximus, Urbanus, Sidonius & Macarius, & plerique Fratres qui ſe eis adjunxerant*. De his igitur à Preſbyteris inſtitutum examen eſt, reique totius diſcuſſionem ad Cornelium retule-

tulerunt: cum aliis quinque Epiſcopis ac Preſbyteris Doctoribus, actis perpenſis, in communem ſententiam de Lapſis ſuſcipiendis conceſſerunt, modò facinus ſuum ejurare palam & publicè adigerentur. Porrò ante celebrationem publici hujus conventus & popularis ſtationis, eadem acta omnia tum ſcilicet examinis, tum Synodalis placiti Populo ſunt denuntiata. De quo ſic Cornelius. *Quod erat conſequens, omnis hic actus Populo fuerat inſinuandus, ut & ipſos viderent in Eccleſia conſtitutos, quos errantes & palabundos jam diù viderant & dolebant.* Ad haec, indicitur ſtatio & publica faciendae ejurationis actio. *Quorum voluntate cognita*, inquit Pontifex, *magnus fraternitatis concurſus factus eſt*. Recitatis igitur actis, Confeſſores & Sectarii hac uſi ſunt ejurationis forma. *Nos Cornelium Epiſcopum Sanctiſſimae Catholicae Eccleſiae electum à Deo omnipotente, & Chriſto Domino ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur: nos impoſturam paſſi ſumus. Circumventi ſumus perfidia & loquacitate captioſa; nam etſi videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico & haeretico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit. Nec enim ignoramus, unum Deum eſſe, unum Chriſtum eſſe Dominum, quem confeſſi ſumus, unum Spiritum Sanctum, unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere.* Haec coram Epiſcopis quinque, atque in ſtatione, ſeu publico Fidelium conventu peracta ſunt. De Epiſcopis enim dixerat Cornelius: *qui & hodie praeſentes fuerunt*. De ſtatione autem, ſeu publico conventu ſic ibid. ſubjungit. *Haec igitur, Frater cariſſime, eadem hora, eodem momento ad te ſcripta tranſmiſimus, & Nicephorum Acoluthum deſcendere ad navigium feſtinantem, de ſtatione ad vos ſtatim dimiſi, ut nulla procraſtinatione habita, velut praeſens in iſto Clero, & in iſto Populi coetu, Deo Omnipotenti, & Chriſto Domino noſtro gratias ageret.* Quae ſunt in ejurandis erroribus Eccleſiaſticae accurationis veſtigia illuſtria & documenta.

VI. Erat Nicephorus Curſor Dominicus, quem Cyprianus ad Cornelium, epiſtolam ut deferret quae eſt num. 45., direxerat, & in qua Sanctiſſimus Praeſul machinationes, & tumultus per Africam à Novatianis excitatos denuntiabat. Hunc igitur

igitur actis intereſſe voluit Cornelius ea mente, ut tanquam *Praeſens in iſto Clero, & in iſto Populi coetu, & in eadem ſtatione*, literis Pontificiis quas deferebat Carthaginem, vires & robur adjungeret. Hinc moribus receptum fuit, ut quoties Encyclicae evulgabantur, vel ab ipſo Curſore Dominico, vel ab Epiſcopis in Eccleſiis legerentur, praeſente tamen Curſore: quod & haec ipſa, qua de agimus, epiſtola Cornelii, & cetera quae infra deſcribentur, monumenta ſat luculenter commonſtrant. Equidem uſque adeo accurata conſuetudo non aliò reſpexit, niſi ut Curſores ſive ad alias Eccleſias progreſſuri, ſive ad propriam reduces, publicam hujuſcemodi recitationem, unanimemque acceptationem poſſent atteſtari.

VII. Acta verò haec, quae Pontifex ſuae illi epiſtolae adjunxerat, atque opera Nicephori ad Cyprianum tranſmiſerat, commonet, aliis ut Eccleſiis Africanarum Provinciarum intimentur. *Has literas*, ſcribit ſub finem Epiſtolae, *puto te debere, Frater cariſſime, & ad ceteras Eccleſias mittere, ut omnes ſciant Schiſmatici hujus & Haeretici dolum ac praevaricationem de die in diem evacuari*. Conſtat ex his, Novatiani doctrinam jam tum velut ſchiſmaticam, atque haereticam planè ab Orthodoxis fuiſſe rejectam. Nam quod Confeſſores in Formula profeſſionis, qua impietatem Novatiani deteſtati ſunt, dixerunt, ſe viſos eſſe communicare *cum ſchiſmatico & haeretico homine*, illud ipſum repetit loco nuper deſcripto Cornelius. Ut propterea omnino fatendum ſit, vi & magiſterio Encyclicae, quam & Pontifex & Romana Synodus antea ad Eccleſias vulgaverant, factionem doctrinamque Novatiani manſiſſe proſcriptam.

VIII. Hinc Cyprianus in epiſt. 68. ad Stephanum Pontificem, agens de cauſſa Marciani Arelatenſis Epiſcopi, qui pertinax aſſertor Novatianiſmi in Galliis fuerat, non obſcurè declarat, eundem autoritate Encyclicae ac judicii, quod per eam tulerat Catholicus Orbis, Epiſcopatu atque omni Eccleſiaſtico gradu & honore excidiſſe. Ideòque Stephanum adhortatur, ut ſuis literis idipſum Gallicanis Eccleſiis patefaciat. *Quapropter facere te oportet pleniſſimas literas ad Coëpiſcopos noſtros in Galliis con-*

conſtitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & ſuperbum, & divinae pietatis, ac fraternae ſalutis inimicum, Collegio noſtro inſultare patiantur, quod nec dum videatur à nobis abſtentus, qui jam pridem jactat & praedicat, quod Novatiano ſtudens, & ejus pervicaciam ſequens à communicatione ſe noſtra ſegregaverit; cum Novatianus ipſe quem ſequitur, olim abſtentus & hoſtis Eccleſiae judicatus ſit: & cum ad nos in Africam legatos miſiſſet, optans ad communicationem noſtram admitti, hinc à Concilio plurimorum Sacerdotum, qui praeſentes eramus, ſententiam retulerit, ſe foris eſſe coepiſſe, nec poſtea à quoquam noſtrum ſibi communicari, qui Epiſcopo Cornelio in Catholica Eccleſia de Dei judicio & Cleri, ac plebis ſuffragio ordin[illegible], profanum altare erigere, & adulteram Cathedram collocare, [illegible] ſacrilega contra verum Sacerdotem ſacrificia offerre tentaverit. Proindè ſi reſipiſcere, & ad ſanae mentis conſilium redire vellet, ageret poenitentiam, & ad Eccleſiam ſupplex rediret. Quam vanum eſt, Frater cariſſime, ut Novatiano nuper retruſo & refutato, & per totum Orbem à Sacerdotibus Dei abſtento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de majeſtate & dignitate Eccleſiae judicare. Gravis nimirum ſocordia videri in Epiſcopis poterat, qui dum Marciano Arelatenſi connivebant, per ludibrium haberi patiebantur autoritatem magiſterii, dignitatemque judicii, quod univerſa Chriſtiana Eccleſia irretractabiliter per Encyclicam tulerat. Quare ſubjungit è veſtigio Cyprianus. *Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelatae conſiſtentem à Te literae, quibus abſtento Marciano, alius in locum ejus ſubſtituatur, & grex Chriſti qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur.* Crimen autem, propter quod illum omninò amovendum cenſuit Sanctus Praeſul, non aliud memorat, quàm pertinaciam ejus contra ceterorum omnium decreta. *Ex quibus cum Marcianus eſſe coeperit & ſe Novatiano conjungens, adverſarius miſericordiae & pietatis extiterit, ſententiam non dicat ſed accipiat; nec ſic agat, quaſi ipſe judicaverit de Collegio Sacerdotum, quando ipſe ſit ab univerſis Sacerdotibus judicatus.*

IX. In epiſtola quoque ad Magnum eandem veritatem ſuſcipit demonſtrandam. Plurimis Scripturarum teſtimoniis dog-

ma

Digitized by Google

ma illud imprimis adſtruit, quo unam profitemur Eccleſiam, atque in eum articulum impegiſſe Novatianum, atque adeo extra Eccleſiam eſſe multis demonſtrat. Progreditur ſubinde ad refellenda Novatianorum objecta, judiciumque Orbis in Encyclica pronuntiatum appoſitè ità confirmat. *Quod ſi aliquis illud opponit, ut dicat eandem Novatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia teneat, eodem ſymbolo quo & nos baptizare; eundem noſſe Deum Patrem, eundem Filium Chriſtum, eundemque Spiritum Sanctum, ac propter hoc uſurpare eum poteſtatem baptizandi poſſe, quod videatur in interrogatione baptiſmi à nobis non diſcrepare: Sciat quiſquis hoc opponendum putat, non eſſe unam nobis & Schiſmaticis ſymboli legem, neque eandem interrogationem. Nam cum dicunt: Credis remiſſionem peccatorum & vitam aeternam per Sanctam Eccleſiam? mentiuntur in interrogatione, quando non habent Eccleſiam. Tunc deinde voce ſua ipſi confitentur, remiſſionem peccatorum non dari, niſi per Sanctam Eccleſiam poſſe, quam non habentes, oſtendunt remitti illic peccata non poſſe.*

X. Confeſſores ad Eccleſiam reduces literas ad Cyprianum dederunt, quae num. 53. leguntur, deque ejurato ſchiſmate & haereticali illius dogmate agunt. Reſcripſit ad illos Cyprianus & latè exagerat infelicem illorum conditionem, labemque ſanè maximam, qua ſemet quum Novatiano adhaeſerunt, implicuerant. *Simpliciter enim*, ſcribit in epiſt. 54., *quid in meo corde fuerit, debetis audire. Dolebam vehementer & graviter angebar, quod eis communicare non poſſem, quos ſemel diligere coepiſſem. Poſtea quam vos de carcere prodeuntes ſchiſmaticus & haereticus error excepit, ſic res erat, quaſi veſtra gloria in carcere remanſiſſet. Illic enim reſediſſe veſtri nominis dignitas videbatur, quando milites Chriſti non ad Eccleſiam de carcere redirent, in quem priùs cum Eccleſiae laude & gratulatione veniſſent*. Non alia ſanè de cauſſa tam grave Schiſmaticorum facinus demonſtrat Cyprianus, niſi quod illi à communi Eccleſiarum judicio in Encyclica manifeſtato improbè abirent.

XI. Et hinc quidem ſchiſmatis, atque haereſis notas ad Novatianos manaſſe, paullo infra declarat Cyprianus, ubi & ad

Orbis judicium appellat,& illud ipſum nuncupat conſtantiam, veritatemque in duobus libellis, quos de Lapſis, ac de unitate Eccleſiae hujus contentionis gratia vulgavit. *Et dum dominium ſibi ſemper quidam pluſquam mitis juſtitia depoſcit, aſſumunt, de Eccleſia pereunt: & dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore caecati veritatis lumen amittunt. Propter quod & nos temperamentum tenentes, & libram Domini contemplantes, & Dei Patris pietatem ac miſericordiam cogitantes, diu multumque tractatu inter nos habito, juſta moderatione agenda libravimus. Quae omnia penitus poteſtis inſpicere lectis libellis, quos hic nuper legeram, & ad vos quoque legendos pro communi dilectione tranſmiſeram: ubi Lapſis nec cenſura deeſt quae increpet, nec medicina quae ſanet. Sed & Catholicae Eccleſiae unitatem, quantum potuit, expreſſit noſtra mediocritas. Quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido, quando eum jam ſic legitis, ut & probetis & ametis. Siquidem quod nos verbis conſcripſimus, vos factis impletis, quando ad Eccleſiam caritatis & pacis unitate remeatis.* Plurima occurrunt alia in epiſtolis Cyprianicis argumenta, quibus communem eam perſuaſionem viguiſſe monſtretur, qua Orthodoxi unanimiter omnes poſt emiſſas Encyclicas, & poſt ſecutum Orbis judicium, arbitrabantur, factionem Novatiani cenſuris ſchiſmatis, atque haereſeon urendam eſſe, & ubicumque jam appareret, eſſe anathematiſmis exagitandam.

§. V.

ſ. V.

De Tomo Encyclico, Literas omnes complectente, quae ad patefaciendum Orbis judicium in cauſſa Novatiani ſunt evulgatae.

SYNOPSIS.

I. *Quid eſſent & qua de cauſſa conficerentur Tomi Encyclici.* II. *Moris exempla in ipſa Apoſtolica & primitiva Eccleſia occurrunt.* III. *Ex hiſce Tomis Hiſtoriam trium priorum ſeculorum enucleavit Euſebius.* IV. *In Archivis Eccleſiarum quum aſſervarentur autographa Encyclicarum, Romanus aliquis Presbyter eas in Tomum redegit, quae in praeſenti cauſſa prodierunt.* V. *Mos aſſervandi in Archivis autographa exemplis adſtruitur.* VI. *Duplex Tomus in hac cauſſa ſecernendus, quorum alter ex Euſebio expenditur.* VII. *De eo teſtimonium Hieronymi.* VIII. *Alter tum Cornelii, tum Dionyſii Alex. literas complectebatur.* IX. *Literarum Dionyſii ordo ac materies expenditur variis Euſebii locis & conjectaneis indidem ductis.*

I. NOn uno loco in Differt. I. de Literis Encyclicis obſervatum à nobis eſt, priſcos Eccleſiae mores id ſaepius tuliſſe, ut ſimul ac Encyclicae ad conſpirantem Antiſtitum omnium doctrinam, judicium & profeſſionem, veritatemque dogmatis oſtendendam in vulgus emittebantur, in unum pariter Codicem conjungerentur Epiſcoporum vota, ſubſcriptiones, & reſponſivae epiſtolaè, necnon Synodorum collectarum acta, relationes & qùodlibet ſcriptum, quod ad eam controverſiam facere videretur. Hoſce Codices appellarunt Majores noſtri Tomos Encyclicos, in quibus ſcilicet ut Eccleſiaſticum magiſterium eluceret, certum & accuratum examen, quod in unaquaque controverſia inſtitutum fuerat, luculentei perſpici poſſet. Non ſecus enim ac Concilii cujuſvis geſta omnia Eccleſiaſtica

in unum quempiam librum redigi conſueverunt, ut emanatae definitionis aequitas appareret & veritas: eadem planè ratione unà cum illa quae primum prodierat Encyclica epiſtola, ceterae velut in faſciculum jungebantur, ad Fraternitatis conſenſionem, totiuſque Orbis judicium commonſtrandum. Rei hujuſce & moris exempla cum in eadem Diſſert. I. nonnulla protulimus, tum in ſuperioribus ſpecimen aliquod dedimus, quum de Fiduciario Decreto ageremus. Juvat igitur ad ejuſdem conſuetudinis, priſcaeque Eccleſiaſticae accurationis documentum, de hoc quoque Encyclico Tomo diſſerere, qui temporibus Euſebii & Hieronymi magno erat in pretio, magnoque uſu ad Novatianorum cauſſam penitiùs introſpiciendam. Neque veró difficilis ea erat Eccleſiarum ſolicitudo, quum Preſbyteri Doctores vel Archidiaconi praecipuae cujuſvis Dioeceſeos id ex officio curarent, ut vel authentica hujuſcemodi ſcripta aſſervanda ſuſciperent, vel ex alterius Eccleſiae tabulariis deſcribentes, in ſua archiva conferrent. Quapropter in actis Conciliorum paſſim occurrit, prolatos fuiſſe Codices, qui plurimas id genus epiſtolas complectebantur, ex quibus ad eas quae ventilandae erant, definiendas controverſias argumenta Patres deſumebant.

II. Porrò conſuetudo illa cum ipſa Chriſtiana Religione videtur introducta, cujus ipſo in exordio epiſtolae vulgò Catholicae nuncupatae in Tomos quoſdam redigi ſimul conſueverunt. Euſebius enim lib. 2. Hiſt. cap. 23. de ſcriptis Jacobi Apoſtoli diſſerens, *cui etiam*, inquit, *adſcribi ſolet epiſtola prima earum, quae Catholicae dicuntur . . . . in ſeptem Catholicarum numero recenſetur*. Epiſtolae quoque Ignatii collectae in unum Tomum erant, quem tranſmiſſurum ſe fore ſpopondit Polycarpus in epiſt. ad Philadelphienſes. Imò in Tomò quodam peculiari aſſervatas ſuo adhuc aevo fuiſſe, atteſtatur Photius in Biblioth. Cod. 126. Hinc factum eſt, ut Summorum Virorum epiſtolae, tametſi paucis conſtarent verſibus, ad nos uſque pervenerint, quòd videlicet in hiſce collectionibus, ad fidem faciendam idoneis, apud Eccleſias aſſervarentur.

III.

Digitized by Google

III. Euſebius prae ceteris harum Literarum collectiones inviſit omnes, pleraſque etiam identidem in Hiſtoria recenſet. Quin etiam fatetur ſe ex Codice Hieroſolymitano, in quo praecipuae collectae erant ex iis quae ad finiendas controverſias in Eccleſia exortas primis tribus ſeculis prodierant, exſcripſiſſe plurimas, eaſdemque ſibi magno fuiſſe uſui ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam elucubrandam. Libro enim 6. cap. 20. poſtquam percenſuiſſet Virorum doctiſſimorum opera ac labores, ex quibus nonnulla in haſce noſtras Diſſertationes congeſſimus, ut apud Lectorem ſibi fidem adſtrueret, demonſtratis Hiſtoriae fontibus, ad rem ſcribit. *Eadem tempeſtate multi Eccleſiaſtici Viri doctrina excellentes florebant: quorum epiſtolas quas ad ſe viciſſim ſcripſerunt, hactenus aſſervatas facile eſt reperire. Extant enim noſtra quoque aetate in Bibliotheca Aeliae Urbis ab Alexandro Eccleſiae illius Epiſcopo conſtructa. Ex qua nos uberrimam materiam ad argumenti hujus, quod prae manibus habemus, tractationem in unum collegimus.* Quae verba ad hunc modum commentatus eſt Nicephorus lib. 5. Hiſt. cap. 14. *Ad ea uſque tempora quamplurimi alii eloquentia & doctrina Viri clari floruere, quorum ſcripta & epiſtolas in Bibliotheca apud Aeliam ad aetatem ſuam conſervatas eſſe, Euſebius Pamphili memoriae prodidit. Unde ſibi argumenta & materiam Eccleſiaſticae Hiſtoriae componendae ſuppeditatam eſſe ait, eam Bibliothecam idem refert inſtructam eſſe ab Alexandro, qui unà cum Narciſſo ex divino reſponſo Epiſcopalem adminiſtravit Provinciam.* Mutuae & Encyclicae erant Epiſtolae illae, quarum inſignia fragmenta inſeruit Hiſtoriae ſuae Euſebius, & ad nos beneficio illius pervenerunt. Aetatem procul dubio tam longaevam non tuliſſent aurea haec priſcae fidei & pietatis monumenta, niſi in hujuſcemodi Tomos Encyclicos collecta ſimul fuiſſent & aſſervata. Id è re publica Chriſtianae Religionis erat, ut aliquis inter Latinos aemulator Euſebii fuiſſet, qui eodem labore defungeretur ope Archivorum Apoſtolicae aliarumque praecipuarum Sedium, in quibus cum longè plurima, tum multò majoris momenti documenta ad hoc ipſum argumentum facienria, aſſervari debuerunt: quae ceteroquin penè omnia multiplex temporum viciſſitudo conſumſit.

IV.

IV. Tomum itaque Encyclicum, qui Epiſtolas in cauſſa Novatiani emanatas complectebatur, confectum arbitror ab aliquo Romano Presbytero, qui ad defendendam legitimam electionem Cornelii, epiſtolas ejus rei gratia Romam undique tranſmiſſas ſimul omnes collegit. Hic autem Tomus à multis deſcriptus, multiſque in Archivis Eccleſiarum aſſervatus, quatenus legitima Pontificatus Romani ſucceſſio, dogmatis veritas, & Novatiani haereſis comprobari poſſent, ad Euſebium uſque pervenit. Advertimus non ſemel tum in Prima, tum in praeſenti Diſſertatione, Epiſcopos quoties ad communem Eccleſiae utilitatem vulgarent epiſtolas, earum autographa in Sedibus propriis tenuiſſe, ab Archidiacono, ſive ab alio Eccleſiaſtico viro cuſtodiendas, qui poſtulantibus exſcribendi copiam faceret, ſuaque ſubſcriptione ſinceritatem exemplarium firmaret. Haec plerumque ſolicitudo ad Archidiaconum pertinuit: qui verò exemplaria ſimul cum authentico Codice conferebat, Lector erat. Hinc quum Africani Praeſules in eam ſententiam ivêre, ut decretum Fiduciarium ederent, Cyprianus Saturum ordinavit Lectorem, ut XIII. epiſtolas illas de quibus ſupra, quaeque Tomum alterum Encyclicum conficiebant, ſervaret, exſcriberet, aut ab aliis deſcriptas velut originali conformes probaret. Quod verò autographae & originales epiſtolae in Eccleſiis aſſervarentur, ut ſiqua dubitatio, ſiqua fraudis, mendi, aut adulterationis ſuſpicio oriebatur, collatione exemplarium cum authentico dignoſci poſſet, diſcimus ex Dionyſio Alexandrino, qui quum ſatisfacturus criminationibus quibuſdam ſibi apud Dionyſium Romanum Pontificem illatis, fragmentum alicujus epiſtolae ſuae tranſmittere Romam deberet, nec vigente perſecutione ex Alexandrinis Archivis deſcribere poſſet, id à Pontifice deprecatus eſt: quod totidem verbis refert S. Athanaſius in lib. de Sententia Dionyſii Alex. *Ego autem eam epiſtolam ob temporis calamitatem proferre nequeo; quod ſi Tibi verba libens miſi, multò libentiùs autographum miſiſſem, miſſurus tamen, quandocumque mihi ejus copia fuerit*. Exſtabat igitur autographum ſcriptum, quod ſe tranſmiſſurum ad Pontificem ſpondet: id nequaquam in ſe recepturus, niſi idem certo loco, certaque à perſona fuiſſet aſſervatum.

Digitized by Google

vatum. Quocirca hic idem Tomus Encyclicus in cauſſa ſchiſmatis & Novatianae haereſis collectus, Romae in authentico cuſtoditus, atque ad Eccleſias Antiochenam, & Alexandrinam tranſmiſſus, fuit etiam in Archivis Hieroſolymitanae Sedis, delatus hauddubiè à Theoctiſto Primate Palaeſtinae, qui Synodo Antiochenae interfuerat ſub Fabio, ad quem Encyclica hujuſcemodi ſcripta Cornelium direxiſſe, obſervavimus; ut hinc propterea venerit in manus Euſebii, Hiſtoriam elucubrantis.

V. Et multa quidem ſunt quae doceant, autographa Encyclicarum in ea ipſa Eccleſia, unde ad ceteras per Orbem dimanarunt, fuiſſe cuſtodita. Cyprianum Epiſtolas omnes, quas pro utroque decreto in cauſſa Lapſorum perſcripſerat, Carthagine aſſervaſſe, ſupra eſt annotatum: atque paullò infra docebimus, in Eccleſia Alexandrina cuſtodiviſſe Dionyſium ſcripta omnia originalia, quae adversùs Sabellianiſmum prodierunt. Paſſim ad hujuſmodi Literarum collectiones, quae in Archivis Apoſtolicae Sedis ſervabantur, appellant remittuntque Romani Pontifices. Et Hieronymus in Dialogo adversùs Luciferianes cauſſam exigit ad id genus ſcriptorum, quae in *Arca Eccleſiarum* cuſtodiri aſſeverat. Quod ſi Alexander Hieroſolymitanus, dum Bibliothecam conderet, Epiſtolarum atque imprimis Mutuarum & Encyclicarum Codices conlegit. quidnì & ceterae per Orbem Eccleſiae id ipſum quod Alexander, praeſtare potuiſſent? An non plane arbitrandum eſt, non minus Hieroſolymis, quam in aliis Eccleſiis eorumdem ſcriptorum exemplaria fuiſſe in pretio habita, cuſtodita, & ad poſteritatem aliquandiù tranſmiſſa? Ita equidem. Quod in cenſendis Encyclicis ſequioris aetatis multo luculentius apparebit.

VI. Duo autem in hac controverſia Tomi Encyclici editi cenſentur, alter à Cornelio cum Encyclicis evulgatus, alter verò poſtquam Eccleſiae, ſubſcriptis Epiſtolis, celebratiſque Conciliis, in Novatiani ſchiſmatis atque haereſis condemnationem coïverunt. Collectionem primi, & Epiſtolas in eo comprehenſas deſcribit Euſebius lib. 6. Hiſt. cap.43. *Exſtant adhuc Epiſtolae Cornelii Romani Epiſcopi ad Fabium Antiochenſis Eccleſiae Praeſulem miſſae: in quibus & Romanae Synodi geſta, & omnium per Italiam, & Africam,*

Digitized by Google

aliaſque locorum illorum Provincias ſententiae declarãtur. Aliae praeterea latino ſermone conſcriptae exſtant epiſtolae Cypriani, & aliorum Antiſtitum, qui cum ipſo in Africa congregati ſunt. Ex quibus colligitur, ipſis etiam placuiſſe, ut ſubveniretur iis qui in tentationem inciderant: utque author nefariae opinionis ſimul cum iis qui ad partes ipſius deſciverant, ab Eccleſiae Catholicae conſortio merito abdicaretur. His adjuncta erat alia ejuſdem Cornelii Epiſtola de his quae in Synodo decreta fuerant: & rurſus alia de facinoribus Novati. Haec prioris Tomi Encyclici in Novatiani cauſſa editi collectio erat, quae ad Fabium, ad Cyprianum, ad Dionyſium Alexandrinum atque ad alios praecipuos Antiſtites transmiſſa eſt. In eadem collectione diſtinctim recenſentur duae ſub Cornelio Romanae Synodi, ſimul cum utriuſque Encyclicis: In actis primae Synodi legebatur Encyclica Cornelii, quam Epiſtolae aliae conſequebantur circa Novatiani ſchiſmatis improbitatem editae, atque exhibentes ſententiam Eccleſiarum Italiae, Africae, aliorumque locorum. Iis Cornelius accedere voluit circularia Africanorum ſcripta tùm emiſſa, quum Peremtorium decretum in Concilio Carthaginenſi promulgatum eſt. In altera Romana Synodo adductum ad examen fuit ſchiſma Novatiani, expenſaeque fraudes, machinationes, ceteraque facinora ad judicium ſunt deducta. Quorum Actorum exemplaria una cum altera Encyclica, in qua continebatur anathema adverſus ſceleſtam factionem, ad Eccleſiarum ubique Praeſules tranſmittere Cornelius voluit.

VII. Haec Cornelii tum actorum, tum Encyclicarum collectio in tantam aevo Hieronymi aeſtimationem venerat, ut ipſe de Script. Eccleſiaſt. in Cornelio haec memoriae prodiderit. *Cornelius Romanae Urbis Epiſcopus ſcripſit epiſtolam ad Flavianum* (legas *ad Fabium*) *Antiochenae Eccleſiae Epiſcopum de Synodo Romana, Italica, Africana: et aliam de Novatiano, & de his qui lapſi ſunt; tertiam de geſtis Synodi; quartam ad eundem Flavianum valde prolixam, & Novatianae haereſeos cauſſas, & anathema continentem.* Peculiaris à Hieronymo injecta Encyclicarum mentio in eo opuſculo perquam ſuccincto, & ad rerum ſumma capita delibanda ſuſcepto, non obſcurè arguit ſummam quam apud Eccleſias haec Literarum Encyclicarum collectio obtinebat autoritatem.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Alter Encyclicus Tomus ſub Cornelio, ut dictum eſt, evulgatus, tum laudatas Encyclicas, tum inſuper illas quas reſcripſit Dionyſius Alexandrinus Antiſtes, hauddubie complectebatur. Cornelius enim commonefecit Dionyſium eorum omnium, quae adversùs Novatianorum facinora atque haereſim fuerant acta, eundemque velut ſequeſtrem conſtituit & promotorem pacis inter Orientales Eccleſias, ſchiſmatis Novatiani occaſione diſtractas. Novimus, Dionyſium non ſemel reſcripſiſſe. Ejus porro Epiſtolas vigente lapſorum & ſchiſmaticorum controverſia editas, huic ſecundo Tomo Encyclico quempiam Romae adjunxiſſe, omnibus in unum Codicem ſimul redactis, hiſce non inanibus conjecturis ſuadeor. I. quia Euſebius poſt fragmenta Encyclicae Cornelii de facinoribus Novatiani conſcriptae, continuò ſubjungit fragmentum epiſtolae Dionyſii ad Fabium, ad eandem controverſiam illuſtrandam facientis. Ex quo juvat conjicere, hanc epiſtolam in eodem Codice Encyclico ceteris fuiſſe aſſutam. II. Quia inter epiſtolas Codicis hujus altera quoque erat Cornelii ad Dionyſium epiſtola, qua illum adhortatus fuerat, ut Epiſcopos Antiocheni Tractus, qui Novatiano favere viſi fuerant, ad Catholicam unitatem adduceret. III. Quia ſimul etiam legebatur ibidem Diaconica, quae Hippolyto Dominico Curſori data fuerat, ut delaturus epiſtolas ad Cornelium & ad Confeſſores lapſos, ceteraſque ab eodem Dionyſio in ea controverſia ſcriptas, majore autoritate dignitateque illarum integritatem atteſtaretur, & Orientis atque Aegypti profeſſionem quoad vigentes contentiones enarraret.

IX. Praeſtat vero ex ipſa epiſtolarum diligenti recenſione, quam Euſebius poſt Encyclicam Cornelii inſtituit, conjectationes noſtras paullo accuratius ſtabilire. Prima igitur ex ordine epiſtola ea eſt, quam Dionyſius exaravit ad Fabium, ambigentem de electione Cornelii, deque doctrina Novatiani quae ſub ipſum contentionis initium ſeverior quidem videbatur, non tamen uſque adeo immanis, ut ſaluberrimum poenitentiae remedium aboleret. Ejus fragmentum legimus ibid. cap. 44. Altera à Dionyſio pariter conſcripta eſt ad Novatianum, in qua ad ejuſdem Antencyclicam reſpondit. Fragmentum exhibet Euſebius cap. 45. Tertiae Dionyſianae

Digitized by Google

nyſianae epiſtolae argumentum paucis perſtrinxit Euſebius cap. 46. *Scripſit etiam ad Fratres per Aegyptum conſtitutos epiſtolam de poenitentia, in qua ſuam de Lapſis ſententiam exponit, & criminum gradus diſtinguit*. Atque hanc per ſuum Patriarchalem Aegyptiacum Tractum vulgavit poſt acceptam Cornelii Encyclicam, atque edita decreta in Conciliis Romano, Italico, & Africano. IV. Pergit Euſebius. *Exſtat etiam peculiaris ejus liber de Poenitentia ad Cononem Hermopolitanae Eccleſiae Epiſcopum*. Non ſecùs enim ac Cyprianus in utraque Synodo ſua Carthaginenſi in cauſſâ lapſorum & ſchiſmatis celebrata, legit primum, deinde cum Encyclicis ad Eccleſias tranſmiſit opuſcula de Lapſis, & de unitate Eccleſiae: ſic Dionyſius quum ad Aegypti Epiſcopos ſuas illas Encyclicas intimaret de Lapſorum poenitentia, variiſque illius gradibus, argumentum fuſiore tractatu diſcuſſit, tranſmiſitque ad Cononem Epiſcopum, vel quia is dubitationibus angebatur, vel quia inſtrui cuperet. V. Pergit Euſebius. *Alia item objurgatoria epiſtola ad gregem ſuum Alexandriae*. Novarum ſcilicet rerum cupidi interdum Alexandrini fortaſſe vel Novato laxioris opinionis doctori, vel Novatiano ſchiſmatis patrono adhaereſcebant. Quamobrem Dionyſius ut priſcae fidei ac diſciplinae conſultum iret, hanc objurgationem evulgavit. VI. Proſequitur Euſebius. *Eſt & libellus de martyrio ad Origenem ſcriptus*. Atque hoc opuſculum ea mente à Dionyſio elucubratum arbitror, ut juſtas Martyrum praerogativas ſtatueret: ſiquidem nonnulli ex ipſis paullo elatiores pacem Lapſis ſine congruis probationibus indiſcriminatim concedebant, quos in ordinem S. Antiſtes redigere ſua hac ſcriptione voluit. VII. *Epiſtola quoque ad Fratres Laodicenſis Eccleſiae, cui praeerat* Telymidres *Epiſcopus: & ad Armenios ſimiliter de poenitentia, quorum Epiſcopus erat* Meruzanes: inquit Euſebius. Haec autem ſcripta fortaſſe Dionyſius emiſit, quòd illi vel à Curſoribus Novatiani, vel ab ejus Antencyclica ſcandalum paſſi viderentur, & de unitate Eccleſiaſtica nonnihil haeſitare. VIII. Addit Euſebius ibid. *Scribit praeterea ad Cornelium Romanae Urbis Epiſcopum, cujus Literas adversùs Novatum ſcriptas receperat*. Opportuna haec erat ad Cornelium epiſtola, ut is ad unguem noſſet

profeſſionem

Digitized by Google

profeſſionem totius Aegyptiaci Tractus, conſpirantemque ſimul omnium in eadem doctrina conſenſionem: qui erat Encyclicarum ſcopus. Ac Dionyſium quidem repraeſentaſſe in illa judicium Orientalis Eccleſiae, diſcimus ex iis quae continuò ſubjungit Hiſtoricus. *In qua quidem epiſtola ſignificat, ſe ab Heleno Tarſi Ciliciae Epiſcopo, & à ceteris qui cum illo convenerant, Firmiliano ſcilicet Cappadociae, & Theoctiſto Palaeſtinae Provinciae Epiſcopis invitatum fuiſſe, ut ad Synodum Antiochenam occurreret, in qua quidam Novati ſchiſma confirmare tentabant. Scribit etiam, ſibi nuntiatum fuiſſe, quod Fabius quidem diem extremum obiiſſet, Demetrianus verò in ejus locum Epiſcopus Antiochenae Eccleſiae eſſet conſtitutus. Sed & de Hieroſolymorum Epiſcopo mentionem facit his verbis. Quod enim ad Alexandrum ſpectat, is in carcerem conjectus, beato exitu defunctus eſt.* Atque hic eſt Alexander, qui Chartarum Eccleſiaſticarum ingentem numerum collegerat atque in celebri Bibliotheca condiderat. IX. Argumentum epiſtolae quae in eodem Codice concludebatur, prodit ad hunc modum Euſebius. *Sequitur deinde altera ejuſdem Dionyſii epiſtola ad Fratres Romae conſtitutos, per Hippolytum miſſa, de officio Diaconi.* Legendum, *Diaconica*, quemadmodum in Diſſert. I. locum Euſebii vertendum eſſe docuimus. Poſtremas Codicis epiſtolas tandem his verbis repraeſentat. *Rurſus aliam ad Confeſſores ibidem conſtitutos; qui Novati ſententiae etiam tum favebant. Duas quoque alias ad hos ipſos epiſtolas miſit, poſteaquam ad Eccleſiam rediiſſent.* Hiſce igitur epiſtolis atque opuſculis conſtabat Tomus ille Encyclicus. Ex argumentis autem uniuſcujuſque nemo non videt, quanto cum moderamine, & quàm ſolerti accuratione Eccleſiae Chriſtiani Orbis inſtituerent per Encyclicas commune judicium. Quis enim non admiretur & religioſam illam induſtriam, qua id genus monumenta colligebant, & fidem ac ſolicitudinem, qua ad poſteros illibata & ſincera tranſmittere eadem laborabant? Rectè proindè poſt accuratiſſimam hanc epiſtolarum recenſionem concludit ibid. Hiſtoricus. *Alias quoque complures ad diverſos ſcripſit epiſtolas, ex quibus quicumque illius operum ſtudioſi ſunt amatores (ſunt autem etiamnum plurimi) multiplicem percipere poſſunt utilitatem.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

DE ENCYCLICIS

IN CAUSSA SABELLIANISMI EMANATIS.

QUae à nobis recenſitae hactenus ſunt Encyclicae Literae ad controverſias Eccleſiaſticas componendas in Orbem emanatae, cum pleraeque non prima ac praecipua fidei capita, ſed illorum tantummodò conſecutiones, tum aliae quaecumque fuerunt, morum ac diſciplinae leges complectebantur. Suis proceſſit gradibus hominum novaturientium improbitas. Et quoniam Eccleſiaſticae unitatis compagem incaſſum ſaepius divellere, aut labefactare conati ſunt haereſis patroni & amatores, ſumma Fidei & Religionis qua Chriſtiani ſumus, principia ac fundamenta tentanda aggreſſi, ſacroſancta ipſa Trinitatis, & Incarnationis Myſteria variis perinde impiis commentis ſuis obtenebrare, atque apud ignaros Gentium Myſtas irridenda, cavillanda, ludibrio habenda propoſuerunt, non levi ſubcreſcentis Religionis detrimento. Sed rei Chriſtianae vindex Deus plurimos Eccleſiae Praeſules excitavit, qui non aliter ac Novatianorum factionem atque haereſim publicis ſcriptis exagitare & invictè refellere ſtuduerunt, novis hiſce conatibus impiorum hominum viriliter obſiſtentes, aliis atque aliis evulgatis Encyclicis Literis id effecerunt, ut Chriſtiana Sacra multò amplius obtinerent, & numero doctrinaque ſectatorum ſplenderet ubique Religio. Hinc ſanè ducenda ſunt primordia celeberrimae Epochae Aſſertorum Trinitatis, quam ſummo cum laudis praeconio memoratam à Patribus Concilii Chalcedonenſis novimus. Quippe ab hiſce temporibus illa eadem Aeterni Dei arcana myſteria, quae retro ſimplici fide credita ſunt, illuſtrari deinceps & multa cum lucis acceſſione praedicari coeperunt, non aliter quam per multiplices cognitionis gradus

Digitized by Google

gradus, & incommutabilis veritatis patefactionem ad hanc ſeneſcentis Eccleſiae aetatem pervaſura. Quod quidem cum accuratiùs demonſtrabimus in commentariis Adlocutionis Patrum Chalcedonenſium ad Marcianum, quae Typis propediem committentur; tum quatenus inſtituta haec diſputatio exigit, diſſerendum modò ſuſcipimus.

§. I.

De Haereſi Patropaſſianorum, quam Sabellius inſtauravit.

YNOPSIS.

I. *Occaſio Haereſis Patropaſſianorum aperitur, & origo à Valentinianis ducitur.* II. *Primus Sectae autor Epigonius à Presbyteris Doctoribus confutatus.* III. *Noëtus haereſim amplificavit.* IV. *Sabellius mirè per Aegyptum diſſeminavit.* V. *Unam in Deo perſonam variis appellationibus donatam agnoſcebat.* VI. *Conſequenter docuit Patrem & Spiritum Sanctum incarnatum & paſſum eſſe.* VII. *Apocryphis Apoſtolicis ſcriptis nitebatur.* VIII. *Primi hujus haereſis aſſertores Evangelio ſecundum Aegyptios utebantur.*

I. VEtus eſt criminatio ab Ethnicis Chriſtiano nomini intentata, quod videlicet nos ipſi profitentes ex Evangelii dictamine Perſonarum Divinarum diſtinctionem, non obſcurè Deos plurimos amplectamur, quod tantoperè in illis redargui atque improbari cuperemus. Fucum non imperitae tantummodò plebi, ſed ipſis etiam Eccleſiae Doctoribus fecit contentio haec ſanè omnium quae excitari unquam poſſent, difficillima. Fuerunt iccircò qui defendi Religionem arbitrarentur non incommodè, ſi aſſeverarent divinas illas Perſonas nuda eſſe unius ejuſdemque Dei nomina, ad multiplex naturae officium explicandum adhibita: eòque fidenter devenêre, ut hanc

hanc opinionem eſſe arbitrarentur longè conducibiliorem ad Dei Monarchiam à cavillationibus defendendam: quaſi verò divina revelatio, quae nos Trinitatem Perſonarum edocuit, aut humanis ratiunculis ſubnixa conſiſteret, aut caligantibus hominum mentibus integrum eſſet, arcanam & incomprehenſibilem Dei naturam cogitatione complecti. Porrò cum iidem imperiti homines nequaquam diffiterentur, tantam fuiſſe in Filio Dei clementiam ergà humanum genus primi parentis lapſu depreſſum, ut humanam formam induere voluerit, utque corporatus & carne tectus infinitis ſeſe laboribus, cruciatibus, aerumnis, morti denique teterrimae atque acerbiſſimae expoſuerit, quò paſſione ſua ab animis noſtris jugum aeternae depelleret ſervitutis; manifeſta doctrinae ſuae conſecutione dixerunt, non tam Filium, quàm & Patrem ipſum eſſe paſſum, ſiquidem nulla invicem Perſonarum ſecretione diſtarent. Quapropter ab hoc enormi dogmate illis nomen Patropaſſianorum inhaeſit. Illius originem abs ſchola Valentiniani Haereſiarchae ducit S. Athanaſius in Serm. de adventu J. Chriſti, inquiens. *Valentinianus paſſionem Trinitati communem eſſe dicit*. Neſcio, an Praxeas quoque in eadem ſchola impiè profecerit. Certè adverſum illum ſcribit Tertullianus lib. 1. *Haereſim intulit, Paracletum fugavit, Patrem crucifixit*. Imò è grege Montani non defuerunt qui eadem novitatis inſania ducerentur in divina natura explicanda. Ii dicti ſunt catà Aeſchinem, ut Autor Appendicis ad librum Tertulliani de Praeſcript. loquitur. *Privatam autem blaſphemiam illi qui ſunt catà Aeſchinem, habent, qui adjiciunt etiam hoc, ut dicant, Chriſtum ipſum eſſe Filium & Patrem*. Falſi hujus dogmatis primi quidem autores ii fuerunt: at nullus ferè, aut perquam pauci ſunt reperti, qui illud non paſſim deteſtarentur.

II. Epigonius, de quo verba facit Theodoritus Haeretic. Fab. lib. 3., errorem ſibi hunc ſuſcepit defendendum, & diſcipulos nactus in Sectam erupit, viamque Sabellio praeïvit. Scribit enim ubi de Sabellio Theodoritus. *Renovavit haereſim, quam quidam Epigonius nomine primus peperit; Cleomenes autem acceptam*

confir-

confirmavit. Atque is eſt impurus terrae filius, qui intolerabili ſuperbia abreptus, ſe eſſe dicique Moſem, Fratrem verò ſuum Aaronem praedicabat. Interim Doctores Preſbyteri exhorreſcentes illius doctrinam, qua Patrem eſſe paſſum affirmabat, cauſſam dicturum, & an ex animi ſententia tam prodigioſum in aeternum Patrem dogma proponeret, citra ambages confeſſurum accerſivere. Is autem inficiari primum, tum deinde quum decem ſibi aſſeclas adhaerere intellexiſſet, temerè inſultare, & palam publicèque haereſim profiteri coepit. Quapropter unà cum diſcipulis ſuis ab Eccleſia rejectus, non multò poſt cum Fratre ſuo, quem Aaronem appellitabat, rebus humanis irreligiosè exceſſit, nemine prorsùs invento, qui fidei deſertorum cadavera Chriſtianae ſepulturae mandare voluerit: quod nimirum contra fidem Majorum unum Patrem & Filium, genitum & ingenitum, mortalem & immortalem, qui in crucem actus eſt, docuiſſet. Quod prolixè memoratus Theodoritus enarrat. Preſbyteros autem, qui ad examen Epigonium vocarunt, ipſorum Epiſcopo decernente id feciſſe, recepta iis temporibus conſuetudo probat, cujus veſtigia vel ex eo apparent, quod Cornelius ad Cyprianum ſcribens, atteſtatur eos omnes, qui à Novatiano ſchiſmate reſipiſcerent, à Romanis Preſbyteris interrogatos fuiſſe, atque apud eoſdem tum errorum ejurationem, tum certum abjiciendi ſchiſmatis conſilium probare debuiſſe, quemadmodum in ſuperioribus annotatum eſt.

III. Noëtus Cleomenis diſcipulus quam hauſerat impietatem magna animi contentione propagavit. Hic patria Epheſius, ut ſcribit Epiphanius Haereſ. 57., vel Smyrnaeus, ut mavult Theodoritus, eò pertinaciae delapſus eſt, ut circa ann. 245. non verbo tantùm & praedicatione, ſed publicis etiam ſcriptis haereſim propugnare inſtituerit. Patrem igitur, Filium, ac Spiritum Sanctum non natura ſolùm, ſed etiam perſona, unum & ſingularem eſſe Deum contendebat, palam & ſaepè profeſſus, divinam Monarchiam nulla ratione aut conſiſtere, aut defendi à Chriſtianis poſſe, niſi ſuum illud haereticum ſyſtema conſectarentur. Ejus rei gratia loca omnia Scripturarum congerebat,

quae

quae plures eſſe Deos opinari vetant: quod tamen omninó conſequi aïebat, ſi diſtinctionem Perſonarum in Deo nequaquam pernegemus. Sed non admodum profecerunt Noëti conatus, nec niſi pauciſſimos, eoſque ſatis vulgares habuit ſectatores: ut propterea ſcripſerit B. Auguſtinus de Haereſibus num. 41. *Noëtiani enim difficillimè ab aliquo ſciuntur: Sabelliani autem ſunt in ore multorum*. Ubi equidem Auguſtinus non ambiguè carpit Epiphanium, qui perindè ac ſi eſſent diſtinctae atque invicem diverſae ſectae, Noëtianos & Sabellianos deſcribit. Quippè è veſtigio proſequitur. *Nam & Praxeanos à Praxea quidam vocant, & Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt, quia Praxeas & Hermogenes eadem ſentientes in Africa fuiſſe dicuntur. Nec tamen iſtae plures ſectae ſunt, ſed unius ſectae plura nomina ex iis hominibus, qui in ea maximè innotuerunt: ſicut Donatiſtae, iidem Parmenianiſtae: ſicut Pelagiani, iidem Coeleſtiani.*

IV. Sed quae in hac impietatis palaeſtra Epigonius, Cleomenes, & Noëtus proluſerant, ea mirum in modum excoluit, dilatavit, ac tandem velut Religionis dogmata pertinaci conſilio defendenda ſuſcepit Sabellius, natione Lybicus ſive Pentapolitanus, atque è Cyrenaïca Provincia in Oppido Ptolemaïdis ortus. Is enim haereſim, quam vel à Noëto, vel ab alio quodam ejuſdem furfuris nebulone imbiberat, uſque adeò per Aegyptum latè diſſeminavit, ut ob multitudinem ſectatorum non contemnendam factionem inſtituerit, quae gerente Dionyſio Pontificatum Alexandrinum, Provincias illas ab Eccleſiae Catholicae unitate diſtrahebat. Atque ab hac haereſi Sabellianorum ceterae deinceps emerſerunt multiplices Sectae, quae Aſſertoribus Trinitatis occaſionem praebuere ineffabilis hujus myſterii publicis lucubrationibus illuſtrandi, intantum ut adulto deinde Seculo quarto laudes & hymni ad conſubſtantialis Trinitatis confeſſionem à Fidelibus totius Chriſtiani Orbis adhiberentur, ipſaque ſummi Dei veritas, diſſipatis errorum tenebris, debellataque novatorum hominum caecitate, ſolidè luculenterque apud Populos obtineret.

V.

Digitized by Google

V. Igitur Haereſiarcha Sabellius Deum affirmabat eſſe υἱοπάτορα, adeoque Patrem & Filium eſſe unam eandemque Perſonam. Imò teſte Athanaſio in expoſitione fidei, talem in Deo aïebat ſapientiam ſeu Verbum eſſe, quemadmodum in hominibus exiſtunt, neſcio quid ſcilicet quod accidit perſonae & ſubſtantiae humanae jam prorsùs completae & perfectae. Praeſtat ipſam Haereſiarchae mentem verbis S. Epiphani dignoſcere, qui haereſi 62. ſcribit. *Horum haec opinio eſt, eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, ut ad eandem hypoſtaſim tres appellationes conveniant, aut perinde atque in uno homine corpus & anima, & Spiritus ineſt: itaut corporis inſtar ſit Pater, animae Filius, Spiritus denique in ſua divinitate humani Spiritus inſtar habeatur.* Alteram adjicit exponendae haereſeos rationem à Sabellianis adhibitam. *In Sole, in quo cum ſit una natura & ſubſtantia, ſed praedita triplici energia; & vis eſt illuminandi, calefaciendi, & rotunda figura, ſive corpus ipſum ſolare, quod diſcum vocant: vim verò calefaciendi reſpondere Spiritui Sancto, illuminandi autem Filio, Patrem verò Formam eſſe totius hypoſtaſis: Filium proinde radii inſtar certò emiſſum tempore, & poſt abſolutam Evangelii radiationem ad Autorem rediiſſe ſuum; uti radius à Sole propagatus in eundem refunditur: Spiritum autem Sanctum identidem in Fidelium inſinuari pectora, ut ea fervore ſuo ſuccendat.* Haec Sabellianiſmi ſumma fuit.

VI. At verò ex ejus doctrinae rationibus conſecuta eſt haereticalis aſſertio, & Patropaſſianorum turpis factio. Nam cum Sabellius verè Deum humanam ſibi naturam copulaſſe fateretur, conſtituto ſemel eo dogmate, dubitari non poterat, quin & Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus indiviſibiliter carnem ſumſiſſe ac mortem obiiſſe dicerentur. Haereſi huic notam Judaïſmi Baſilius M. inurit, ſcribens in epiſt. 67. *Judaïſmus eſt Sabellianiſmus ſub praetextu Chriſtianiſmi in Evangelicam praedicationem invectus. Qui enim rem unam pluribus nominibus appellatam eſſe dicit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & unam trium hypoſtaſim exponit, quid aliud facit? Nonne ſempiternam Unigeniti, quae ſecula anteceſſit, exiſtentiam negat? Negat item adventum il-*

 lius

lius ab homines quadam diſpenſatione factum, deſcenſum ad Inferos, reſurrectionem, Judicium? Quod autem ad haereſim pertinet, quatenus divinarum Perſonarum diſtinctionem inficiabatur jactatis ſine re nominibus, proſequitur ibid. Baſilius. *Eundem Deum unum ſubjecto exiſtentem, prout rerum opportunitates ſingillatim poſtulant, transformari, ac modò tanquam Patrem, modò tanquam Filium, modò tanquam Spiritum Sanctum loqui.* Quin etiam homil. 27. memoratas ex Epiphanio ſimilitudines tangit, quibus Sabelliani doctrinam ſuam proponebant. *Quippè Sabellianos*, inquit, *cum Verbum confitentur, ipſum comparare cum interno: ſapientiam verò ſimilem eſſe dicere habitui illi, qui in eruditorum anima conflatur: Atque icciréò unam eſſe Perſonam Patris & Filii, quoniam & unus homo dicitur, non diviſus ab eo quod ſecum exiſtit, Verbo & ſapientia.* Legitur hodièque ſub nomine Gregorii Taumaturgi nobilis expoſitio ſeu profeſſio fidei, in qua haec de Sabellianis occurrunt. *Qui Sapientiam in Deo exiſtimant eſſe ſicut in homine ſapientiam humanam, qua ſapiens eſt, & Verbum ſimile eſſe interpretantur verbo, quod ore profertur, vel mente concipitur, nulla hypoſtaſi.* Et paullò poſtea. *Quocirca Sabellium fugimus, qui dicit, eundem eſſe Patrem & Filium; Patrem quidem dicit eum qui loquitur, Filium verò Verbum in Patre manens, & tempore creationis patefactum, completis verò rebus in Deum remanens.* Ex quibus dogmatis de natura divina conſecutum eſt, ut Patrem juxta ac Filium arbitrarentur incarnatum, & paſſum. Paucis S. Auguſtinus in Tract. 36. in Johann. *Nam Sabelliani ſunt quidam haeretici, qui vocantur Patropaſſiani, qui dicunt ipſum Patrem paſſum eſſe.* Et Auguſtini diſcipulus Marius Mercator in Diſſert. de XII. Anathematiſmis ſcribit. *Per haec Sabellius, & Marcellus ſe in divinitatis ſubſtantia retinere debere putantes, nefando errore decepti, auſi ſunt Deum Patrem ipſi ſibi Filium, ipſum ſibi eſſe Spiritum Sanctum, ipſum incarnatum, paſſum, crucifixum, ipſum à Judaeis omnia pertuliſſe, reſurrexiſſe à mortuis, & omnia peregiſſe, quae nos per Chriſtum in perſona propria ejus pro humani generis ſalute geſtaſſe credimus & confitemur.* Philaſtrius quoque de haereſibus, Sabellium Noeti diſcipulum facit, & Patropaſſianorum magiſtrum. *Sabellius poſt illum de*

Lybia

Digitized by Google

Lybia diſcipulus ejus ſimilitudinem ſui Doctoris itidem ſecutus eſt & errorem, unde & Sabelliani poſtea ſunt appellati, qui & Patropaſſiani.

VII. Mirari equidem ſubit, quemadmodum Patropaſſiani vel in tanta Scripturarum luce tam foedè coecutierint, vel tam inepta erudaque inſomnia Chriſtianis hominibus perſuaderi potuerint. Sed quae priſcorum Haereſiarcharum ars & impoſtura fuit, nequaquam Sabellianis defuerunt neſcio qui Libri Apocryphi ſub Apoſtolorum nomine à maleferiatis fallendi architectis conficti. De quibus haereſi 62. ubi diſputat de Sabellianis, ſcribit ad hunc modum Epiphanius. *Ex Apocryphis quibuſdam hauſerunt, praeſertim ab Aegyptiorum Evangelio. Hoc enim illi nomen indiderunt, in quo pleraque ſunt hujus generis, quae ex perſona Salvatoris clam & occultè velut myſteria proponuntur, quaſi diſcipulis ipſe declaret, eundem eſſe Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.*

VIII. Evangelia plurima ſub uniuſcujuſque Apoſtoli nomine confinxerunt Haeretici, quorum nonnulla Euſebius ipſe percenſet. Quod autem Evangelium ſecundum Aegyptios dictum eſt, illud niſi fallor, è ſchola prodiit Valentini: quippe hujuſce Evangelii dogmata cum placitis Valentinianorum accuratiſſimè conſentiunt. Certè Epigonius & Noëtus, qui Sabelliano Syſtemati praeluſerunt, citra omnem controverſiam memoratum Aegyptiorum Evangelium ſunt ſecuti. Et illud ipſum aetate Origenis pervulgatum fuiſſe, ex eodem Adamantio diſcimus, qui Homil. 1. in Lucam ſcribit. *Eccleſia quatuor habet Evangelia; Haereſes plurima, è quibus quoddam ſcribitur ſecundum Aegyptios.* S. Hieronymus quoque in prooemio Commētariorum ſuorum in Matthaeum teſtatum id reliquit. *Plures fuiſſe, qui Evangelia ſcripſerunt, & Lucas Evangeliſta teſtatur . . . . & perſeverantia uſque in praeſens monumenta declarant, quae à diverſis Authoribus edita, diverſarum haereſeon fuere principia, ut eſt illud juxta Aegyptios.*

§. II.

De Encyclica Dionyſii Alexandrini adverſus Sabellianos.

S Y N O P S I S.

I. *Fraudes Sabellii & malae artes quae fuerint.* II. *A Presbyteris Ptolemaïdis nequidquam redargutus, Dionyſio Primati Alexandrino denunciatur.* III. *Dionyſius celebrata Synodo, Tractatorias in Orbem mittit, propter quas apud Dionyſium Romanum accuſatur.* IV. *Quid apud Scriptores praeſertim Eccleſiaſticos vox Tractatus & Tractatoris.* V. *Cenſura in Sabellianiſmum a Dionyſio lata.* VI. *Ejus Tractatoriae ad Xixtum Pontificem miſſae.* VII. *Alteram de eadem re Encyclicam ſcribit Dionyſius Romanus.* VIII. *Eas recepit Cyprianus Carthaginenſis.* IX. *Certavit in eadem cauſſa Doſitheus Epiſcopus Seleucienſis.*

I. PTolemaide, quae civitas ad vicinia Cyrene fuerat à Ptolomaeo Rege aedificata, moram trahens Sabellius, uſuſque & clam & palam Evangelio ſecundum Aegyptios, haereſim ſuam multiplici fraude coepit propagare. Increbeſcebat quotidie aſſeclarum factio & numerus, intantum ut illius Urbis Doctores Presbyteri hominem nequam redarguere ſint ex officio coacti. Et ea quidem arte uſus eſt Sabellius ad haereticale venenum fidelibus inſpergendum, ut ſiquando apud doctos & probos viros verba faciebat, Evangelium ſecundum Aegyptios in medium proferret; apud homines autem è trivio rudes & ſimplices cauſſam illam opinioni ſuae noviter excogitatae praetexeret, ne ſcilicet aſſerta divinarum Perſonarum diſtinctione, Deorum pluralitas inter myſteria Chriſtianorum obreperet. Utramque Sabellii fraudem quum aperuiſſet Epiphanius haereſi 62. num. 2. eleganter ad rem noſtram ſubjungit. *Deinde quoties in aliquem ex ſimplicioribus ac rudioribus inciderint, qui exactam divinarum Literarum ſcientiam non habent, hunc in modum interrogant. Quid tandem boni viri dicemus?*

Unum

Unum habemus Deum, an tres? Quibus auditis, religioſus ille nec perfecta ad cavendum ſcientia perpolitus, perturbatus illico eorum aſſentitur errori, ac Deum imprudens negat; negat, inquam, Filium, & Spiritum Sanctum.

II. Nihil interim profecerunt Doctorum Presbyterorum ſeu monita ſeu reprehenſiones, latè jamdudum graſſante verſipellis ac fraudulanti hominis praedicatione, non aliter quam per majorem poteſtatem coërcenda. Quamobrem illi, quod poſt adhibitas redargutiones reliquum erat, viri improbi contumaciam atque haereſim Epiſcopo ſuo annunciare decreverunt. Imò quandoquidem Epiſcopi jam aliquot Sabellianiſmo illaqueati haerebant, regionum illarum Presbyteri in eandem ſententiam conſpirantes, epiſtolis denunciativis tum illorum turpem lapſum & apoſtaſiam, tum Haereſiarchae pertinaciam Primati ſuo Dionyſio Alexandrino retulerunt. Haec enim ſolicitudo, ut paſſim docuimus, ipſos tangebat Doctores Presbyteros, quorum erat, ſiqui à fide Majorum deſiſcerent, Epiſcopatu licet inſignirentur, haereſim atque errores actaque omnia accuratè perpendere, & Primatibus denunciare. Optima haec Eccleſiae diſciplina pervetuſta eſt, & ab ipſo Alexandrino Dionyſio probata; qui quum ad Philemonem Romanae Eccleſiae Presbyterum ſcriberet, cujus epiſtolae fragmentum debemus Euſebio lib. 7. Hiſt. Eccl. cap. 7., inter cetera aïebat. *Hanc regulam & formam à Beatiſſimo Papa noſtro Heracla accepi. Eos enim qui ab haereticis veniebant, tametſi defeciſſent, ſeu potius non defeciſſent illi quidem, ſed in ſpeciem cum fratribus communicantes, clam perverſae doctrinae magiſtros audire delati eſſent: ab Eccleſia ejectos poſt multas tandem preces non prius admiſit, quam quaecumque ab adverſariis audierant, palam expoſuiſſent.* Eâ nimirum ratione, ut momentis perſpectis & fraudibus, quibus irretiti defecerant, aut defeciſſe à Doctoribus Presbyteris cenſebantur, opem reſipiſcentes congruentiorem acciperent.

III. Itaque Dionyſius grave diſcrimen ſecum ipſe perpendens, in quod fides & numero & conditione Lapſorum conjiciebatur, evocatis Epiſcopis & Presbyteris illius Provinciae ac regionum proximarum plurimis Synodum celebravit, de qua Libellus

 Synodicus.

Synodicus. *Synodus divina & Sancta particularis Alexandriae collecta à Confeſſore Dionyſio ejuſdem Archiepiſcopo, qui Sabellium divinitatis inimicum abdicavit.* Synodum indixit particularem Dionyſius & quod recens haereſis eſſet, & quòd in Cyrenaïca provincia uſque adeo graſſaretur, ut jam vix ac ne vix quidem Filius Dei in Eccleſiis praedicaretur. In ea autem Synodo celebrem Encyclicam condidit ad Eccleſias illas, atque ad Epiſcopos, Fratreſque & Fideles, quos ab ea dogmatis pravitate abſterrére & revocare contendit. Simul ac in Orbem prodiit Encyclica, nonnulli Eccleſiarum illarum Presbyteri, neſcio an ut per latus Dionyſii ſecurius fidem exagitarent, ipſum Sanctiſſimum Praeſulem apud Dionyſium cognominem ſuum Romanum Pontificem accuſarunt, quaſi conſubſtantialitatem divini Verbi in eo publico ſcripto abnegaſſet. Apologiam ea de cauſſa conſcripſit poſt Encyclicam, quam enarrat S. Athanaſius in opuſculo de Sententia Dionyſii Alexandrini, Tom. 1. Opp. pag. 552. *In Pentapoli ſuperioris Lybiae quidam Epiſcoporum ſententiam Sabellii complectebantur, tantumque eorum commenta invaluerant, ut vix ulteriùs Filius Dei in Eccleſiis praedicaretur. Re cognita, Dionyſius ad cujus curam eae Eccleſiae pertinebant, legatos miſit qui Authores harum rerum ab illis pravis opinionibus retraherent. Illis autem de ſtultitia ſua non remittentibus, coactus eſt ad illorum improbitatem retundendam iſtiuſmodi epiſtolam ſcribere, & humanitatem Chriſti ex Evangeliis commonſtrare, ut illis audacius Filium Dei abnegantibus, commonſtrata Dei veritate, non Patrem, ſed Filium pro nobis hominem eſſe genitum, rudibus illis & inſcitis hominibus, Patrem non eſſe Filium perſuaderet, & paullatim ad veram Filii Deitatem credendam & Patris cognitionem evehere poſſet. Hic nimirum ſcopus eſt ejus epiſtolae, quae ad retundendam eorum pervicaciam qui veritatem fidei mutare volebant, ſcripta eſt.* Hac primùm Dionyſii Encyclica Sabellianiſmus coepit oppugnari. In eadem verò Synodo Alexandrina, quod Dionyſius ipſe affirmat in epiſt. ad Xixtum de qua mox, ad examen redactae ſunt utriuſque partis epiſtolae, illae ſcilicet quas Sabellii ſectatores & Presbyteri contra Dionyſium ſcripſerant Denunciativas, & quae à Dionyſio ipſo poſt Encyclicam, ut loquitur, fuerant Tractatoris more exaratae. Porrò quid

eſſet

Digitized by Google

eſſet Encyclica Tractatoris more perſcripta, hujus & loci & inſtituti eſt paullo accuratius expendere.

IV. Vox Tractatoris non tam apud Eccleſiaſticos, quam apud Latinos Scriptores exprimit ſolertiam & accurationem in argumento aliquo verſando ſingularem. Quippe non alio ſenſu ſcripſit Cicero 1. de Orat. *Qui in iſtis artibus cognoſcendis atque tractandis ſtudium ſuum omne poſuerunt*. Et lib. 3. ejuſdem operis. *Qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vita aliud agunt*. Haud aliter in orat. 5. contra Verr. *Mihi videor eorum conſuetudinem uſu tractandoque cognoviſſe*. Hinc profectum, ut quae lungo ſtudio ac diuturna meditatione elucubrantur, Tractatus appellemus. Sumitur autem vox eadem apud Scriptores Eccleſiaſticos pro doctrinali cujuſvis argumenti examine ſatis accurato ad certam firmamque rei notitiam ingenerandam. Hoc ſenſu in Actis Martyrum Numidiae, apud Baronium ad ann. 262. num. 39. legimus. *Horum tamen caritas fuit & tanta dilectio, ut licet taciti poſſent jam devotae & obſignatae virtutis exemplis fidem Fraternitatis extruere; tamen ad ſtabilitatem perſeverantiae latius conſulentes, pectoribus noſtris rorem Tractatus ſalutaris infunderent: neque enim tacere poterant qui Dei ſermonem videbant. Nec mirum, ſi paucis illis diebus tam longè noſtrum omnium mentes eorum Tractatus ſalubris animavit, in quibus jam Chriſtus, micante gratia, de proxima paſſione fulgebat*. Hinc quaecumque in Conciliis ſolerti indagine juſtaque accuratione agitari contingeret, ea tractari dicebantur. Quae phraſis eſt ſaepius à B. Cypriano uſurpata, qui quum ſibi gravior quaedam difficultas proponeretur explananda, ſcripſit in epiſt. 56. *Quoniam tamen ſcripſiſtis, ut cum pluribus collègis de hoc ipſo pleniſſimè tractem, & res tanta exigit majus & impenſius de multorum collatione conſilium, & nunc omnes fere inter Paſchae prima ſolennia apud ſe cum Fratribus demorantur; quando ſolennitati celebrandae apud ſuos ſatisfecerint, & ad me venire coeperint, tractabo cum ſingulis plenius, ut de eo quod conſuluiſtis, figatur apud nos & reſcribatur vobis firma ſententia, multorum Sacerdotum conſilio ponderata*. Encyclicae igitur, in quibus Dogmaticorum more rationibus, ſententiis, ac traditione Patrum controverſia quaevis illuſtrabatur,

batur, ut apud Orbis Eccleſias promulgatae magiſterii vicem obtinerent, dictae etiam ſunt epiſtolae Tractatoris more conſcriptae: quia videlicet non tantum communem profeſſionem & fidem complectebantur, ſed vel novitia Haereticorum placita oppugnabant, vel Catholicam veritatem fuſiore Theologica methodo & diſputatione firmare videbantur. Hujuſmodi cum eſſent Dionyſii Alexandrini Encyclicae Literae, non immerito ſcribit ipſemet ad Xixtum, eas fuiſſe more Tractatoris exaratas. Styli equidem erat ejuſdem Antencyclica Novatiani, qua ſaluberrimum poenitentiae remedium Lapſis intercipere ſatagebat: ut propterea ſcripſerit de illa Cyprianus in lib. de Unitate. *Quorum Tractatus pectoribus & cordibus ſingulorum mortale virus infudit*. Erant & ejuſdem conditionis epiſtolae, quas Cornelius, & Cyprianus Antencyclicae Novatianorum oppoſuerunt.

V. Dionyſius itaque, qui procul dubio familiam duxit Aſſertorum Conſubſtantialis Trinitatis, publicis dogmaticis ſcriptis & quae Tractatoris more compoſita fuerant, Haereſim Sabellianam non mediocriter compreſſit. Fragmenta potiſſimum Encyclicae illius in opuſculo de ſententia Dionyſii Alexandrini recitat S. Athanaſius, & vel ex illis pronum eſt dijudicare, qua forma ceterae Tractatoriae Encyclicae conſtarent. Quoniam verò, ut diximus, conſueverunt Tractatores cenſuras notaſque inurere doctrinae contra fidem invaleſcenti, quemadmodum ubi de Haereſi Novatiana, obſervatum eſt: Dionyſius quoque opinionem Sabellii velut *impiam blaſphemamque* in Patrem, *everſivam fidei*, quae in Filium hactenus habita fuerat, & *plenam falſitatis* in Spiritum Sanctum appellat. Quapropter ipſi etiam Presbyteri in ſuis ad Dionyſium denuciativis epiſtolis monuerunt, Filium Dei in Eccleſiis haud amplius praedicari: quippe cum haberetur velut nudum nomen officiumque, non ut Perſona, ac Filius à Patre diſtinctus.

VI. Geſta haec omnia Dionyſius pro recepta conſuetudine ad Xixtum per ea tempora Romanum Pontificem denuntiavit tranſmiſitque cum altera epiſtola, in qua tum cauſſam dicit, cur Tractatoris more Encyclicam exaraviſſet, tum cenſuras etiam adjungit,

Digitized by Google

adjungit, quibus impietatem Sabellii perſtrinxerat, ut Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 6. ediſſerit. Animadvertit autem Hiſtoricus, ſe Dionyſii epiſtolas collegiſſe, quas in cauſſà & controverſia de rebaptizandis Haereticis vulgaverat, & inter quas una quaedam erat ad Xixtum Romanum Pontificem. *In eadem Epiſtola*, inquit Euſebius, *de Sabellianis Haereticis, utpote qui tunc temporis increbeſcebant, Xixtum certiorem fecit his verbis: Nam de dogmate illo, quod nuper apud Ptolomaidem Urbem Pentapoleos commotum eſt, pleno impietatis ac blaſphemiae adverſus omnipotentem Deum Patrem D. N. J. Chriſti: plenum incredulitatis erga Unigenitum ejus Filium, primogenitum omnis creaturae Verbum, quod inter homines verſatum eſt: plenum denique ſtuporis adverſus Spiritum Sanctum: cum ab utraque parte & Literae ad me allatae fuiſſent, & Fratres mecum diſſerturi veniſſent, epiſtolas quaſdam, quantum Deo juvante potui, Tractatoris more fuſius ſcripſi. Quarum exemplaria ad te miſi.* Omnes igitur quaecumque Encyclicae epiſtolae dogmaticae & Tractatoriae, quibus Sabellii placita preſſius refutabantur, ad Xixtum fuere tranſmiſſae: eaſque Pontifex, cui major Eccleſiarum ſolicitudo inerat, in Orbem evulgavit: aut ſi conſilio huic planè perficiendo nonnihil obſtitit ingruens perſecutionis turbo, ſucceſſor ejus Dionyſius id omnino perfecit.

VII. Quin etiam Dionyſius Pontifex, iiſdem Encyclicis robur ut adderet, alteram & ipſe epiſtolam exaravit, in qua cruda illa Sabellii inſomnia perſtringens, Orthodoxam de Sanctiſſima Trinitate fidem mirifice illuſtrabat. Periére quidem hae Pontificis Literae; earum tamen ſegmentum reſervavit S. Athanaſius in lib. de Decret. Synodi Nicaenae, Tom. I. Opp. pag. 275. *En tibi rurſum alterum Dionyſium Romanum Epiſcopum, ita in ſcriptis ſuis contra Sabellianos, eoſque qui talia dicunt, expoſtulantem.* Longiuſculum eſt quod è Dionyſio recitat Athanaſius, ſatiſque erit nobis verba illa exſcribere, quae impietatem Sabellii rectà petunt, & neceſſitatem adſtruunt credendi Trinitatem Conſubſtantialem, qua Dei unius monarchiam fatemur, ſimulque non repugnantem trium Perſonarum diſtinctionem. *Deinceps adverſus eos*, inquit Pontifex, *ſimiliter dicam, qui dividunt, & ſecant, & evertunt religioſiſſimum dogma Eccleſiae Dei, Monarchiam in tres quaſdam virtutes*

partientes,

partientes, & diviſas hypoſtaſes, ac Deitates tres. Nam audio quoſdam apud vos eſſe Catechiſtas & Doctores divini Verbi, qui illius ſunt opinionis autores: qui ex diametro, ut ſic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blaſphemat (cenſurâ hìc utitur à Dionyſio Alexandrino adhibitâ) *Filium ipſum aſſerens eſſe Patrem, & è contrario Patrem eſſe Filium. At iſti tres quodammodo Deos praedicant, dum Sanctam Monadem dividunt in tres hypoſtaſes peregrinas, à ſe invicem plane ſeparatas. Etenim neceſſe eſt uniri omnium Deo Dei Verbum, & in Deo manere & habitare Spiritum Sanctum. Jam vero divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam & ſummam, Omnipotentem Deum univerſorum dico, colligi & coaleſcere, prorſus eſt neceſſe.* Hinc & illud diſcimus, tantum momenti & autoritatis habuiſſe Encyclicas haſce in cauſſa Sabellii editas ab utroque Dionyſio, Alexandrino ſcilicet & Romano, ut Athanaſius grave ex illis argumentum duxerit, ad Nicaenum Decretum de Verbi Conſubſtantialitate, deque Trinitate Perſonarum, velut de rebus ad fidei integritatem pertinentibus, juxta rectiſſimam priſcorum Patrum perſuaſionem & doctrinam, defendendum. Quapropter idem Doctor alterum ejuſdem epiſtolae fragmentum laudat, ubi Pontifex ad hunc modum loquitur. *Non igitur dividenda eſt in tres Deitates admirabilis & Divina Unitas, neque ſub nomine creationis minuenda eſt dignitas & immenſa Domini majeſtas: ſed credendum eſt in Deum Patrem Omnipotentem, & Chriſtum Jeſum Filium ipſius, & in Spiritum Sanctum: uniri autem univerſorum Deo Verbum. Ego enim, inquit, & Pater unum ſumus: & Ego in Patre, & Pater in Me. Ita enim & divina Trinitas, ſimulque ſancta praedicatio Monarchiae conſervari poſſunt.* Reſpicit apertè Pontifex ad ea quae in Encyclicis ſuis adverterat Dionyſius Alexandrinus, videlicet eò proceſſiſſe doctrinam Sabellianorum, qua Filium merum ac nudum nomen arbitrabantur, ut jam Pentapolitanae Eccleſiae à praedicando Filio Dei ceſſaſſe viderentur: unde declarat idem Pontifex, ad fidem pertinere trium in Deo Perſonarum confeſſionem, manente ſarta atque tecta divina Monarchia.

VIII. Vivebat adhuc Sanctiſſimus Africae Primas Cyprianus, quum Dionyſius Alexandrinus contra Sabellium Encyclicis decertaret,

taret,

Digitized by Google

taret. Has igitur literas ad Africanos Epiſcopos juxta receptum hac in re morem perlatas fuiſſe, ex eo colligere pronum eſt, quod Cyprianus & Patropaſſianorum meminit, & eâdem illos cenſurâ afficit, qua uterque Dionyſius affecerant. Etenim in epiſt. 73. ad Jubajanum Trinitatis hoſtes enumerans, à Patropaſſianis tunc in Eccleſiam irruentibus ſic exorditur. *Patropaſſiani, Antrophiani, Valentiniani, Apelletiani, Ophitae, Marcionitae, & ceterae Haereticorum peſtes, & gladii, & venena, ſubvertentes veritatem.* Notam etiam illis inuſtam è veſtigio adjungit, inquiens. *Nihil eſt apud illos, niſi perfidia, & blaſphemia, & contentio Sanctitatis, & veritatis inimica.*

IX. Eodem ſtylo eademque ſententia, qua Dionyſius Romanus, agit Doſitheus Seleucienſis de Sabellianis, quem Author Libri Praedeſtinati num. 41. velut praecipuum Sabellii oppugnatorem memoriae prodidit. Enarrata enim Haereſiarchae, atque aſſeclarum pernicioſa doctrina, ſubjungit ad rem noſtram. *His occurrit Doſitheus Epiſcopus Seleuciae, docens cum totam Trinitatem negare, dum ſe aeſtimat Unitatem defendere. Pater enim ingenitus, Filius genitus, Spiritus Sanctus procedens ex Patre, coaequalis per omnia Patri & Filio. Deitas enim ſic recipit unitatem ſubſtantiae, ut diſtinctionem Perſonae non perdat.* Vides Doſitheum, non aliter ac Dionyſius, fidenter aſſeverare, Sabellium ſubvertere Trinitatis myſterium: ut propterea non inani conjectura opinemur, Encyclicas quemadmodum ad alios ubique Epiſcopos, ſic ad Doſitheum Seleucienſem fuiſſe tranſmiſſas; eundemque judicandae haereſis rationem ex illis, velut ex certa fixaque norma duxiſſe.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De Actione in Dionyſium Alexandrinum à Presbyteris ſuſcepta : deque more, ut dubia contra Encyclicam excitata, ab illius Autore diluerentur.

SYNOPSIS.

I. *Encyclicarum autores ſi quae obſcura ſcripſerant, elucidabant.* II. *Dionyſius ob eam quam ad Pentapolitanos ſcripſit, erroris apud Pontificem inſimulatur.* III. *Accuſationes & Dionyſii Literae in Romana Synodo diſcutiuntur.* IV. *Acta & ſententia ejuſdem Synodi.* V. *Dionyſius iis acceptis, ſcribit Apologiam.* VI. *Ortodoxus ab omnibus agnoſcitur, ejuſque Encyclicae ſuſcipiuntur.* VII. *Diſciplina haec illuſtratur exemplo Cypriani ſcribentis ad Antonianum.* VIII. *Similiter ad Moyſem Confeſſorem ſcribentis.* IX. *Et adverſus Africae ac Romae ſchiſmaticos.* X. *Sic quoque in dubiis circa Peremtorium Decretum egit pro cauſſa Lapſorum.* XI. *Idipſum in cauſſa Martialis & Baſilidis oſtenditur.* XII. *Hinc ratio redditur, cur de illis Gallicani & Hiſpani non ſolum Cornelium, ſed & Cyprianum duxerint conſulendum.*

I. PRaeclarè ut alia ſanxit vetus Eccleſiae diſciplina, ut quoties Encyclicae Literae ſententiam aut ſuapte natura ambiguam, aut cavillationibus facilem aditum non praecludentem complectebantur, ab eo ipſo à quo primùm prodierant, elucidari explanarique deberent. Cujus equidem rei diſquiſitio cum momenti plurimum habeat ad vim atque autoritatem Encyclicarum pernoſcendam, tum miram Eccleſiae ſolertiam atque accurationem commendat in publicis dogmatum fideique contentionibus dijudicandis. Sic actum cum Dionyſio Alexandrino, cujus Encyclicis ſcriptis cum nonnullae factae criminationes fuiſſent, atque ad Dionyſium Romanum Pontificem delatae, ipſi Alexandrino Dionyſio provincia data eſt, ut non tam obortas difficultates emolliret, quàm mentem in ſcribendo ſuam patefaceret. Idipſum

&

Digitized by Google

& in aliis Encyclicis obſervatum, innumeris primaevae Eccleſiae monumentis confirmare in promtu eſſet, ſi neceſſaria juxta ac facilis ea diſputatio foret. In ea igitur tantumdem verſabimur, quantum ad univerſalis Eccleſiarum conſenſionis autoritatem firmitatemque agnoſcendam expedire videatur.

II. More Tractatoris Encyclicas plurimas evulgavit Dionyſius, quo Sabellianiſmum oppugnaret, quemadmodum autor ipſemet eſt in epiſtola ad Xixtum R. Pontificem. Gliſcente enim atque in dies periculoſius graſſante haereſi per ampliſſimam Alexandrinam Diaeceſim, dum Perſonalitates divinas penitus inficiabantur aliqui, aliqui peregrinas creataſque eſſe docebant, alii vero ad nuda in uno indiviſibili Deo nomina redigebant; Sanctiſſimus Alexandrinus Praeſul unam inter alias exaravit epiſtolam ad Ammonium & Euphranorem, in qua Sabellii impiam hypotheſim arctius premit & coarguit, eoque zelo depugnat, ut dum Perſonas divinas accuratius diſtinguere ſatagit, in contrariam partem inflecti viſus ſit, perinde ac ſi doceret peregrinas, à ſe invicem ſeparatas, atque in rerum creatarum cenſum referendas eaſdem Perſonas. Eccleſiae Pentapolitanae Presbyteri [apud quos haec Encyclica pro more legi recitarique debuit] ſive quod eſſent animo in Dionyſium ſubirato, ſive, quod ego certius affirmaverim, quia argumentum in Encyclica propoſitum ejuſque ſubtiliores aut minus exactas rationes nequaquam aſſequerentur, Primatem ſuum velut reum laeſae fidei redarguere inſtituerunt apud Romanum Pontificem Dionyſium, ad quem ſcripſere epiſtolam, & propoſitiones quaſdam ex Encyclica ſumtas tranſmiſere, in quibus Filius, & Spiritus Sanctus velut perſonae Deo extraneae, nihilque ſupra ceterarum creaturarum ordinem habentes aſſeri videbantur.

III. Accuſationes ut accepit legitque Romanus Pont. Dionyſius, non ignarus, occaſione Sabellianiſmi multiplices haereticales opiniones adverſus Trinitatis dogma circumferri: atque hinc Sabellii aſſeclas blaſphemare & docere, Perſonas nihil in Deo eſſe praeter nomina; indè verò alios eaſdem arbitrari peregrinas, non tam diſtinctas, quam ſeparatas, atque ab ipſa Deitate conditas; ſapienter veritus, ne fuco refellendi Syſtematis Sabelliani,

phraſibus

phraſibus non omnino accuratis Dionyſii Alexandrini abuterentur alii Haeretici; Synodum Romae indixit habuitque, in qua & recitatae accuſationes, & niſi fallor, ipſarum Literarum exemplaria lecta ſunt, quas Dionyſius Alexandrinus jam pridem ad Xixtum dederat. Collata invicem ſunt Dionyſii ſcripta: & quoniam Patribus nequaquam conſtitit, eundem haereſis cujus fuerat inſimulatus, reum poſſe convinci, à ſententia dicenda temperatum eſt, juſſumque, ut accuſationes ad ipſum Dionyſium Alexandrinum tranſmitterentur, quatenus aut ipſemet eas refelleret, aut mentem ſuam dilucidius probaret. Quod praeſtitit ille celebri conſcripta Apologia, in qua & ſuarum Encyclicarum doctrinam ab objectis defendit, & accuſatores ipſos acerbè perſtringit, perinde ac calumniatores & Sycophantas, qui non perpenſa neceſſitate adſtruendae contra Sabellium diſtinctionis Perſonarum divinarum, ad oppoſitum errorem ſua dicta pertraxiſſent.

IV. Acta Romanae illius Synodi paucis complexus eſt in lib. de Synod. Arimin. & Seleuc. S. Athanaſius, ubi inter alia hùc pertinentia, ſcribit. *Dionyſius porrò Epiſcopus Alexandriae contra Sabellium ſcribens, & Salvatoris diſpenſationem in carne pluribus verbis exponens, iiſque convincens Sabellianos, refellenſque Patrem non fuiſſe carnem factum, ſed Verbum ejus fuiſſe quod carnem induerat, quemadmodum à Johanne dictum fuit; & in ſuſpicionem raptus, quod Filium creaturam nominaſſet, eumque factum eſſe & non conſubſtantialem Patri dixiſſet.* Et quod ad Synodum ſpectat, rurſus inquit. *Ceterum cum quidam Alexandrinum Epiſcopum apud Romanum accuſarent, quaſi qui Filium creaturam, & non ſubſtantialem Patri diceret: Synodus quidem Romae coacta rem indignè tulit, & Romanus Epiſcopus ad ſui cognominem omnium ſententiam perſcripſit.* Obſervabis hoc loco, decreta quum vulgarentur Synodi Occidentalium, ſub nomine ſolius Romani Pontificis vulgari conſueviſſe: quem & deinceps retentum morem demonſtrat Julius Pontifex in epiſtola ad Orientales, & epiſtolae Felicis III. in cauſſa Acaciana: quae omnia Synodalia ſcripta in Orientem tranſmiſſa ab Occidentalibus, ſolius Romani Pontificis nomine inſignita fuerunt. Verumtamen decreta Romanae hujus Synodi ſub Dionyſio illa eadem eſſe videntur,

Digitized by Google

dentur, quae in ſegmento epiſtolae Dionyſii Pontificis ex Athanaſio protulimus, nempe Trinitatem eſſe conſubſtantialem: eſſe quidem Deum unum, ſeu ut loquebantur, exiſtere Dei Monarchiam; perſonas tamen divinas inter ſe invicem diſtingui, ſervata ſubſtantiae unitate, eaſque non peregrinas, non ſeparatas, non creatas eſſe: quemadmodum Dionyſius ipſe in ſuis ad Xixtum Literis pridem explicuerat.

V. Hinc quum Alexandrinus idem Antiſtes & acta Romanae Synodi cum accuſationibus Presbyterorum, & epiſtolam dogmatis aſſertivam accepiſſet, tum ut Patribus morem gereret, tum ut fidem propriam à criminationibus tueretur, reſponſionem edidit, cujus vel ipſe titulus abundè docet, immunem à tam nefario ſcelere Dionyſium fuiſſe, obſervante S. Athanaſio in lib. de Sententia Dionyſ. Alexand. *Primò igitur epiſtolam ſuam Refutationem, & defenſionem inſcripſit. Quod quid aliud ſignificat, quam ſe & mentientes refellere, & quae ſcripſit defendere? Oſtendens ſe nequaquam ea mente, qua Arius, iſta ſcripſiſſe: ſed dum citaret dicta quae ad humanam Domini naturam pertinent, ſibi non excidiſſe, eundem Dominum eſſe & Verbum, & Sapientiam minimè à Patre diviſam.* Rectè profectò. Nam ſi ea unquam reipſa Dionyſius ſenſiſſet, quae illi objecerant Pentapolitani, reſponſionem ſuam ad objecta crimina vir eximie pius non refutationem & Apologiam, ſed confeſſionem potius, aut palinodiam mehercle inſcripſiſſet. Quiſquis enim calumniae titulo ſibi factas accuſationes publicis ſcriptis refellit, mentem penitus ab errore alienam geſſerit, neceſſe eſt.

VI. Ad haec; Romana Synodus non immemor ſanioris diſciplinae, neque ignara, Dionyſium Sabellianam Sectam & detexiſſe primum, & deinceps oppugnaviſſe in ſuis ad Xixtum Literis, quibuſcum collatae poſteriores ad Dionyſium datae inſimul Ortodoxae omnes deprehendebantur: rectiſſimè cenſuit, perſpicuam totius contentionis declarationem eſſe ab eodem poſtulandam: quod par erat, accuſatores ipſi feciſſent. Animadvertit id S. Athanaſius ibid. pag. 556. rationem reddens, cur Sanctiſſimus Praeſul poſt emiſſas in Orbem Encyclicas, alias atque alias Literas accuſationibus refellendis comparatas dederit. *Cauſſa*, inquit, *cur*

alias

alias epiſtolas ſcripſerit, haec eſt. Cum igitur Dionyſius Epiſcopus certior factus de Pentapolitanis, zelo Religionis epiſtolam hanc, quemadmodum dixi, contra haereſim Sabellii ad Ammonium & Euphranorem ſcripſiſſet, quidam ex Eccleſia Fratres rectè quidem ſentientes, ſed tamen cum ipſum non interrogaſſent, ut ediſcerent quo pacto ſcripſiſſet, Romam aſcenderunt, ibique eum apud Dionyſium ejuſdem nominis Romanum Praeſulem accuſarunt. Re comperta, Alexandrinus ſimul & contra Sabellii ſectatores, & Arii dogmata, propter quae ab Eccleſia ejectus fuit, volumen compoſuit, ubi aequales, ſed tamen contrarias haereſes eſſe docuit in Sabellii dogmatis, & blaſphemiis eorum qui dicunt, Dei Verbum opus, aut creaturam eſſe: poſtulavitque à Romano Praeſule, ut objecta ſibi indicaret, quibus acceptis, opus edidit ſub nomine Elenchi & Apologiae, ubi ſceleratam officinam Chriſti hoſtium redarguit, & quo pacto hanc infamiam ipſi contra ſeipſos excitarint, demonſtrat. Quin etiam illud urget Athanaſius, debuiſſe accuſatores non unam Dionyſii epiſtolam, ſed alias proferre & expendere Encyclicas, quas ediderat plurimas, & quarum exemplaria omnia ad Xixtum direxerat, quatenus multiplices atque inter ſe invicem diſſidentes haereticales opiniones circa Trinitatem è Sabellianiſmo exortas, diſtinctim refelleret. Quapropter pergit ibid. pag. 557. Sanctus Doctor. *Certè in aliis epiſtolis ita non ſcripſit, ubi rectè ſentire intelligitur: ac jure his verbis contra haereticos acclamaverit: Non ſum vobiſcum ejuſdem opinionis, ò Chriſti hoſtes: neque noſtra ſcripta Ario occaſionem dedere ſuae impietatis. In ſcriptis ad Euphranorem & Ammonium propter Sabellianos mentionem de Agricola & vite feci, aliiſque iſtiuſmodi generis exemplis, ut humanis Domini ob oculis poſitis, perſuaderem iis, ut abſtinerent dicere, Patrem eſſe hominem factum. Ut enim Agricola in vite non eſt, ita non Pater, ſed Verbum in carne fuit: & quia Verbum in vite erat ob corporalem cum palmitibus, hoc eſt, nobiſcum cognationem, vitis nominatus eſt. Hoc quidem animo ad Ammonium & Euphranorem ſcripſi: adverſus veſtram autem improbitatem alias meas epiſtolas oppono, ut agnoſcant ſapientes meam inibi defenſionem, & rectam fidei in Chriſto ſententiam.* Huic Encyclicarum ſuarum explicationi & ſententiae, quam Dionyſius evulgavit, acquieverunt ubique omnes, idemque velut communis magiſter,

Digitized by Google

non ſecus ac in cauſſa Novatiani habitus eſt. Quemadmodum enim Dionyſii ejuſdem Encyclicae id apud Orientales Eccleſias perfecerunt, ut ſepoſito Schiſmate, legitimo Pontifici Cornelio unirentur: ſic ea fuit Encyclicae qua de agimus, vis & autoritas in Sabellianiſmo profligando, ut exinde Catholicus Orbis anathema in Sabellium concordibus animis dixerit. Quod etiam in cauſſa Pauli Samoſateni, eodem praeeunte epiſtolis ſuis Dionyſio, contigiſſe paullo infra demonſtrabimus. Ad rem, illud opinor liquidò conſtat, receptum moribus fuiſſe, ut dubitationes adversùs Encyclicas excitatae ab eo qui author illarum fuerat, explanarentur.

VII. Conſuetudinis hujus ſpecimina in aliis atque aliis Encyclicis cum multa occurrunt eaque inſignia, tum pleraque ſunt ad hanc diſciplinam illuſtrandam comparatiſſima. Namque ut nihil ex iis repetamus, quae ubi de controverſia Paſchatis, diſputata ſunt circa ſolicitudinem quam Victor Caeſareenſi Antiſtiti mandavit, quatenus priſcum morem atque ordinem celebrandi Paſchatis publico ſcripto aperiret: lubet paulliſper verſari animo factum Antoniani in Numidia Epiſcopi. Is equidem ſive quod Carthaginenſi Synodo praeſens adfuiſſet, ſive quod aſſenſum ſuum ſubſcriptione praeſtitiſſet, certè probaverat decreta à Cypriano atque à Synodo edita in cauſſa Lapſorum & contra Antipapam Novatianum. Contigit nihilominus neſcio qua de cauſſa, ut idem ille continuò ac legit Antencyclicam Novatiani, qua Lapſis omnibus poenitentia omnino denegabatur, vehementer animo commoveretur, ambigeret, haeſitaret: eoque magis, quod decreta à Cypriano edita nonnihil variare, ac inter ſeſe committi poſſe viderentur. Hac igitur de re Literas ad Cyprianum dedit, qui reſcripſit epiſt. 55. pro rei merito ac controverſiae dignitate. In ea quippe abunde Cyprianus ediſſerit de universa Lapſorum cauſſa, ſeipſum naviter & ſtrenuè purgat, Cornelium omni genere rationum defendit, acriter Novatianum perſtringit, & tandem ſua Conciliique placita ita tuetur, ut non tam Apologiam editarum Encyclicarum, quam actorum omnium accuratiſſimam explicationem inſtituat. Rem aggreditur ab Encyclicis ipſis in controverſia circa Lapſos evulgatis, atque ad hunc modum

 prolo-

Digitized by Google

proloquitur. *Et quidem primùm, quoniam de meo quoque actu motus videris, mea apud te perſona & cauſſa purganda eſt, ne me aliquis exiſtimet à propoſito meo leviter receſſiſſe: & cùm Evangelicum vigorem primò & inter initia defenderim, poſtmodum videar animum meum à diſciplina & cenſura priore flexiſſe; ut his, qui Libellis conſcientiam ſuam maculaverint, vel nefanda ſacrificia commiſerint, laxandam pacem putaverim. Quod utrumque non ſine librata diu & ponderata ratione à me factum eſt.* Hae ſunt dubitationes, quas diligentiori examine ſumit diſcutiendas: cujus rei gratia rationes quibus Orbis judicium inniteretur, latè expendit, & tempeſtivum oeconomici temperamenti medium ſolidè & luculenter adſtruere elaborat.

VIII. Eadem de cauſſa quum Moſes celeberrimus alioquin Confeſſor, atque adhuc in carcere ob Chriſtianae fidei profeſſionem conſtitutus, unà cum ceteris Confeſſoribus per Antencyclicam Novatiani fuiſſet circumventus; adeout pariter omnes ſuſpicati Peremtorium Decretum in Encyclica abs Cypriano editum, nonnihil enervare diſciplinae Evangelicae vigorem, Schiſmati adhaeſiſſent: Cyprianus ut eam labem à Catholica Eccleſia depelleret, literas Decreti apologeticas ad Confeſſores ſcripſit: qui utrumque illius Tractatum & de Lapſis, & de Eccleſiae unitate, unà cum hiſce Literis pervolventes, ad meliorem frugem ſunt regreſſi, & de erroribus ſpontè atque ultrò ejuratis epiſtolam ad Cyprianum dederunt. Adeò proficiebant autores Encyclicarum, quoties aut è re ipſa natas, aut à captioſis hominibus excitatas difficultates publicis ſcriptis vellent amovere.

IX. Nihil minus à recepto eo more abludit quod Carthaginenſis idem Praeſul egit occaſione Feliciſſimi & Schiſmaticorum. Ii nimirum & Fiduciarium Decretum, quod per Encyclicam Cyprianus evulgaverat, primì rejecerunt, & deinceps alteri Peremtorio Decreto ejuſdem vehementiùs obſtiterunt, ſparſis Romae plurimis contra S. Antiſtitem contumeliis. Ad eum igitur detulit Cornelius quidquid Romae à Schiſmaticis agebatur. Ille verò tum acta propria, tum ſententiam in Schiſ-

maticos

maticos latam prolixa diſputatione tuetur in epiſt. 59. ad Cornelium, ubi inter alia de Eccleſiarum omnium in idem judicium conſenſione ita diſſerit. *Cum haec tanta ac talia & multa alia exempla praecedant, quibus Sacerdotalis autoritas & poteſtas de divina dignatione firmatur, quales putas eſſe eos, qui Sacerdotum hoſtes, & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec praemonentis Domini comminatione, nec futuri judicii ultione terrentur? Neque enim aliunde haereſes obortae ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundùm magiſteria divina obtemperaret Fraternitas univerſa, nemo adverſum Sacerdotum Collegium quidquam moveret: nemo poſt divinum judicium, poſt Populi ſuffragium, poſt Coëpiſcoporum conſenſum, judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo diſſidio unitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placens ac tumens ſeorſim foris haereſim novam conderet, niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegae temeritatis ac perditae mentis, ut putet ſine Dei judicio fieri Sacerdotem*. Quae Cypriani oratio apertè reſpicit utrumque ſchiſma, Romanum & Africanum, quod per Encyclicas fuerat condemnatum. Eas autem divina magiſteria appellat, earumque ſuſcipit defenſionem.

X. Concilia Carthaginenſe, & Romanum in Decreto Peremtorio & Encyclico probaverant, Lapſis quidem uſque ad vitae exitum agendam poenitentiam eſſe, pacem autem & communionem in exitu conſtitutis nequaquam eſſe denegandam. Duae hinc excitatae ſunt controverſiae, quarum altera quaeſitum eſt, an ingruente perſecutione pax Lapſis attribui poſſet; altera an qui in vitae diſcrimine conſtituti pacem obtinuerant, ſi inopinato convaluerint, perſiſtere in eadem pace debeant. Utraque contentio ad Cyprianum delata eſt, qui idcircò Epiſcopos Carthaginem evocavit, atque in Synodo rem diſcutiendam propoſuit. Omnium conſenſu itum eſt in affirmativam ſententiam, dataque fuit ad Cornelium Synodica, quatenus idem Pontifex in Romano Concilio eadem dubia ventilari ac determinari curaret: atque adeò quod communi ſententia ediderant Peremtorium Decretum,

Digitized by Google

communibus pariter votis & concordibus animis intelligerent, atque propugnarent. Benignioris hujuſce opinionis motiva expendit Carthaginenſis Synodus in epiſt. 57. apud S. Cyprianum, quem omninò praeſtat conſulere.

XI. Atque ex his nullo negotio intelligimus, cur Hiſpanicae Eccleſiae Cyprianum & Carthaginenſem Synodum interrogarint, an jus eſſet retinendi Epiſcopatus Baſilidi & Martiali Lapſis, quum vi Decreti Peremtorii Epiſcopatu utique excidiſſent, atque inter Laïcos rejecti, perpetua poenitentia multandi forent. Synodus enim Carthaginenſis, auditis Curſoribus Hiſpanicarum Eccleſiarum, reſcripſit ad hunc modum. *Cum in unum conveniſſemus, legimus literas veſtras, Fratres dilectiſſimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum Coepiſcopos noſtros pro fidei veſtrae integritate, & pro Dei timore feciſtis, ſignificantes, Baſilidem & Martialem Libellis Idololatriae commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos, Epiſcopatum gerere, & Sacerdotium Dei adminiſtrare non oportere, & deſideraſtis reſcribi ad haec vobis, & juſtam pariter & neceſſariam ſolicitudinem veſtram vel ſolatio vel auxilio noſtrae ſententiae ſublevari.* Mox verò juxta decreta per Encyclicas edita, quibus & Apoſtolica Sedes, & ceterae per Orbem Eccleſiae conſenſum praebuerant ſuum, ita proſequitur. *Maximè cum jam pridem nobiſcum, & cum omnibus omninò Epiſcopis in toto Mundo conſtitutis, etiam Cornelius Collega noſter, Sacerdos pacificus & juſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit, ejuſmodi homines ad poenitentiam quidem agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.*

XII. Quin etiam Fauſtinus Lugdunenſis non ſolùm Romanum Pontificem conſulendum in cauſſa Marciani Arelatenſis opinabatur, ſed pariter & Cyprianum & Africanos in hujus rei judicium vocari oportere: Siquidem Marcianus & Libellaticus, & Novatianus effectus in ea decreta impegerat, quorum per Encyclicas autor & propagator eſſe ferebatur Cyprianus. Quapropter ſcribit is ad Stephanum Pontificem in epiſt. 68. *Fauſtinus Collega noſter Lugduni conſiſtens, Frater cariſſime, ſemel*

atque

Digitized by Google

atque iterum mihi ſcripſit, ſignificans ea, quae jam vobis ſcio utique nuntiata tam ab eo, quàm à ceteris Coëpiſcopis noſtris in eadem Provincia conſtitutis, quod Marcianus Arelate conſiſtens, Novatiano ſe ſe conjunxerit, & à Catholicae Eccleſiae unitate, atque à corporis noſtri & Sacerdotii conſenſione deceſſerit, tenens haereticae praeſumtionis duriſſimam pravitatem, ut ſervis Dei poenitentibus & dolentibus, Eccleſiam lacrymis & gemitu & dolore pulſantibus, divinae pietatis & lenitatis paterna ſolatia & ſubſidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis & communicationis relicti ad luporum rapinam, & praedam Diaboli projiciantur. Conſilium itaque judiciumque utriuſque à Fauſtino depoſcitur, Stephani quidem, qui Eccleſiae totius & Primas & Caput erat, Cypriani autem, quia Decreti Peremtorii fuerat praecipuus autor, & aſſiduus erat propugnator. Quod & ſeqq. verbis perſpicuè demonſtrat, inquiens. *Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubvenire, Frater cariſſime, qui divinam clementiam cogitantes, & gubernandae Eccleſiae libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen Lapſis erigendis, & curandis vulneribus bonitatis & miſericordiae divinae medicinam non denegemus*. Quibus in memoriam revocat Decretum utrumque, Peremtorium ſcilicet, atque alterum adversùs Novatianum, quem Africanae, & ceterae Chriſtiani Orbis Eccleſiae à Religione & ſacris omnibus alienum haberi & eſſe pronuntiaverant. Ad utriuſque decreti firmitatem commonſtrandam acerrimè pugnat Cyprianus: ut propterea Gallicana Eccleſia, praeter Stephani Pontificis ſententiam, Cypriani etiam votum expetierit, ut decretis Encyclicarum quibus ſeſe oppoſuerat, ſubjacere Marcianum declararetur atque conſtaret. Quod Cyprianus quidem plurimis & rationibus & documentis oſtendit, indubitanter concludens, Marcianum graviſſimi ſceleris reum teneri, & pari ſententia multari debere, tametſi ſententiae executionem Stephano relinquat. *Quapropter*, ſubjungit ibid., *facere te oportet pleniſſimas literas ad Epiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & ſuperbum & divinae pietatis ac fraternae ſalutis inimicum, Collegio noſtro inſultare patiantur, quod nec-*

dum videatur à nobis abſtentus. Cetera vide ſis apud eundem. Plurimum enim conferunt ad praecipuum ſuſceptae diſputationis caput, pertinuiſſe nimirum ad Autores Encyclicarum refellere, aut explanare dubitationes, quas adversùs hujuſcemodi ſcriptorum autoritatem excitari contigeret.

§. IV.

De Encyclica Novatiani adversùs Sabellium.

Synopsis.

I. *Novatiani liber de Trinitate quibus de cauſſis exaratus*. II. *Eidei Ortodoxam expoſitionem complectitur*. III. *Adinſtar Encyclicae Tractatoriae vulgatus*. IV. *Divinam Verbi naturam adſtruit ex ipſo Syſtemate Sabellianorum*. V. *Iiſdem etiam argumentis utitur, quibus Dionyſius in ſua Tractatoria uſus fuerat*. VI. *Loca quaedam Scripturarum ab intelligentia Sabellianorum vendicat*. VII. *Eos ex iiſmet locis redarguit*. VIII. *Aſſeclas quoque Artemonis, eorumque doctrinam refellit*. IX. *Tres alias Encyclicas pariter evulgavit*.

I. Liber de Trinitate, qui & olim neſcio cui Anonymo attributus eſt, & noſtra aetate accuratiùs re perſpecta, ab emunctioris naris eruditis Novatiano attribuitur, non ultimum locum tenet inter opuſcula quae ad fidem ſive illuſtrandam, ſive vendicandam tertio Chriſtiano Seculo in lucem prodierunt. Qua de cauſſa Novatianus ad hanc ſcriptionem animum appulerit, an ſtyli exercendi cauſſa Librum Tertulliani adversùs Praxeam ampliaverit, an ut Sabellianos exagitaret, uſquequaque exploratum non eſt apud Scriptores. Verum quicumque ſecum reputet tempus, ejuſque circumſtantias, quas inter hoc opus evulgatum eſt, quum ſcilicet pertinaciſſimo inducto

ducto ſchiſmate Romani Pontificatus honorem retinere ſtudebat, non difficulter conjiciet, vaferrimum hominem ſibi Sectaeque ſuae hoc opuſculo conſultum voluiſſe. Nam quum Sabelliana lues Chriſtianum gregem magnopere depaſceretur, atque ob eam rem Catholicorum · Praeſulum Encyclicae ubique circumferrentur, è re ſua cenſuit Novatianus, unà cum Encyclicis hanc de Trinitate lucubrationem evulgare, tum ut zelum Orthodoxae fidei apud Sectatores ſuos probaret, tum ne iidem, apud quos in numerato erat, ſecundùm Evangelicam fidem credi oportere in Sanctiſſimae Trinitatis Myſterio diſtinctionem perſonarum, lectitantes ea de re Catholicorum ſcripta adversùs Sabellium evulgata, paullatìm Novatianiſmum dediſcerent. Equidem ſi Novatianus adulterinis Pontificalibus infulis vehementer elatus, contra Peremtorium Decretum Antencyclicam evulgare ſuſtinuit, ſi eam magnis animis per Curſores ſuos apud Eccleſias diſſeminare curavit, ſi tanta Pontificalis dignitatis jactantia uſus ubique eſt, ut principio quidem plurimos ad factionem ſuam attraxerit; quid ni etiam opinabimur, eundem ſcriptis ſuis exagitandum Sabellium ſuſcepiſſe, magni nominis auram & acceſſionem autoritatis apud aſſeclas ſuos captaturum? Quum illi ad hoc ipſum voluntas non deeſſet, certè otium non defuit; quippe qui ſalvus tunc ageret, ut Pacianus loquitur, dum in ſanctiſſima Cornelii, Xiſti & Dionyſii capita Perſecutorum gladius ſaeviret.

II. Et fidem ſane accuratam ſatis & rectam de Trinitatis Myſterio, & diſtinctione perſonarum tenuit in hoc opere Novatianus. Fatetur id vel ipſe Cyprianus in epiſt. 69. ad Magnum, ubi obſervat ejus Sectae homines *eodem ſymbolo, quo nos baptizare, eundem noſſe Deum Patrem, eundem Filium Chriſtum, eundem Spiritum Sanctum*. Hanc profeſſionem nitidè luculenterque enarrat Novatianus, multiſque argumentis adſtruit, ut propterea integrum fuerit Sectatoribus ſuis gloriari, ſe cum Capite & Pontifice ſuo eam fidei regulam ſervare illibatam, quam & Divinarum Scripturarum autoritas, & immutata Catholicarum Eccleſiarum traditio aſſerebat.

Digitized by Google

Valentinum ſcilicet, Epigonium, Cleomenem, Praxeam, Hermogenem, ceteroſque Sabellio antiquiores abnegaſſe perſonarum divinarum diſtinctionem, atque unum & eundem eſſe Patrem atque Filium ſenſiſſe.

V. Dionyſius Pontifex in ſua Tractatoria, quam adversùs Sabellii ceterorumque pugnantes inter ſe invicem haereticales opiniones circa divinas perſonas per Catholicum Orbem direxit, hoc argumento uſus eſt, quod ſacra Biblia Divinum Verbum non tam Dei, quàm hominis Filium repraeſentent. Quam diſſerendi rationem à Dionyſio adhibitam legimus apud S. Athanaſium tum de Synodo Arimin. & Seleuc., tum de ſententia Dionyſii. Haud aliter Novatianus in ſui hujus opuſculi cap. XI. utramque naturam, divinam & humanam in Chriſto luculentiſſimè agnoſcit, atque inde colligit Filii à Patre diſtinctionem. *Tam enim Scriptura etiam Deum adnuntiat Chriſtum, quàm etiam ipſum hominem adnuntiat Deum. Tam hominem ſcripſit Jeſum Chriſtum, quàm Deum quoque deſcripſit Chriſtum Dominum. Quoniam nec Dei tantùm illum Filium eſſe proponit, ſed & hominis; nec hominis tantùm dicit, ſed & Dei referre conſuevit: ut dum ex utroque eſt, utrumque ſit, ne ſi alterum non ſit, alterum eſſe non poſſit. Ut enim praeſcripſit ipſa natura hominem credendum, qui ex homine ſit, ita eadem natura praeſcribit & Deum credendum eſſe, qui ex Deo ſit: ne ſi non & Deus fuerit, cum ex Deo ſit, jam nec homo ſit, licet ex homine fuerit, & in alterutro utrumque periclitetur, dum alterum altero fidem perdidiſſe convincitur.* Equidem mens illi tota caliget neceſſe eſt, qui non illicò perſpiciat, affinem fuiſſe apud Sacros Tractatores, ut fidem, ſic diſputandi rationem: quum & duo Dionyſii in Encyclicis ſuis, & Novatianus in hoc opuſculo iiſdem planè argumentis utantur. Imò non aliter atque uterque Dionyſius, ex notione Filiationis ad ſtabiliendam Perſonarum diſtinctionem progreditur Novatianus in Cap. XXII. *Et quoniam*, inquit, *ex Patre eſt, quidquid illud eſt, Filius eſt, manente tamen diſtinctione, ut non ſit Pater ille, qui Filius, quia nec Filius ille, qui Pater eſt.* Scilicet identidem oppugnat Sabelli haereſim, & divinarum Perſonarum diſtinctionem pro ſua dicendi vi & elegantia illuſtrat. VI.

Digitized by Google

VI. Ex illis Chriſti verbis : *Ego & Pater unum ſumus : Et Ego in Patre , & Pater in me eſt ;* colligebat Dionyſius Pontifex non tam divinae ſubſtantiae unitatem, quàm Perſonarum diſtinctionem : atque adeò à falſa Sabellianorum intelligentia haec Scripturae loca vendicabat. Eodem ſtylo Novatianus in cap. XXI. Sabellianos exagitat, qui in teſtimoniis illis ſuae perfidiae autoramentum conſtituerant. *Sed ex hac occaſione*, ſubjungit ille, *quia Chriſtus non homo tantum, ſed & Deus, divinarum Literarum ſacris autoritatibus approbatur ; alii haeretici erumpentes ſtatum in Chriſto Religionis concutere machinantur, hoc ipſo Patrem Deum volentes oſtendere Chriſtum eſſe ; dum non homo tantum aſſeritur, ſed & Deus promitur. Sic enim inquiunt : ſi unus eſſe Deus promitur : Chriſtus autem Deus : Ergo inquiunt, ſi Pater & Chriſtus, unus Deus.* Putidam hanc argumentationem carpit refellitque Novatianus his verbis. *In quo errare probantur, Chriſtum non noſcentes, ſed ſonum nominis approbantes : nolunt enim illum ſecundam eſſe Perſonam poſt Patrem, ſed ipſum Patrem.*

VII. Pergit ſubinde in cap. XXII. loca illa Evangelica explicare, & ſic acute ſolideque diſſerit. *Si erat, ut haeretici putant, Pater Chriſtus, oportuit dicere : Ego, & Pater unus ſumus. Et cum Ego dicit, deinde Patrem infert, dicendo, Ego & Pater, proprietatem perſonae ſuae, id eſt, Filii à paterna autoritate diſcernit atque diſtinguit, non tantummodo de ſono nominis, ſed etiam de ordine diſpoſitae poteſtatis. Qui potuiſſet dicere : Ego Pater, ſi Patrem ſe eſſe meminiſſet : & quia dicit unum, intelligant haeretici, quia non dixit unus. Unum enim neutraliter poſitum, ſocietatis concordiam, non unitatem perſonae ſonat. Unum enim, non unus eſſe dicitur, quoniam nec ad numerum refertur, ſed ad ſocietatem alterius exprimitur. Denique adjecit, dicens : ſumus, non ſum : ut oſtenderet per hoc, quod dixit, ſumus, & Pater, duas eſſe Perſonas.*

VIII. Quoniam verò, ut monuimus ſupra, duae potiſſimum opiniones in explicandis divinis Perſonis ab haereticis illis defendebantur, utramque ſuſcipit oppugnandam Novatianus. Oppugnat & ineptum Artemonis delirium, cujus per ea tempora diſcipuli Chriſtum purum eſſe nudumque hominem dicebant. Qua in re opuſculum ſuum claudit ille, graviter proponens fidei regulam,

Digitized by Google

regulam, quae & Verbum non ſimplicem hominem, ſed Perſonam à Patre diſtinctam jubet profiteri. *Ut omnis à fide noſtra auferri poſſit haeretica calumnia, de eo quod & Deus ſit Chriſtus. Tam enim illi qui Jeſum Chriſtum ipſum Deum Patrem dicunt, quàm etiam illi qui hominem illum tantummodo eſſe voluerunt, erroris ſui & perverſitatis origines & cauſas inde rapuerunt: quia cum animadverterent ſcriptum eſſe quod unus ſit Deus, non aliter putaverunt iſtam tenere ſe poſſe ſententiam, niſi aut hominem tantum Chriſtum, aut certe Deum Patrem putarent eſſe credendum. Sic enim calumnias ſuas colligere cenſuerunt, ut errorem proprium approbare nituntur. Et quidem illi, qui Jeſum Chriſtum Patrem dicunt, praetendunt: Si unus Deus, Chriſtus autem Deus, Pater eſt Chriſtus, quia unus Deus. Si non Pater ſit Chriſtus, dum eſt Deus Filius Chriſtus, duo Dii introducti eſſe videantur. Revera quaſi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando eſt: & ita excipit haereticorum iſtorum ex utroque latere ſacrilega convicia.* Alia paſſim occurrunt ex quibus affirmari & ſtatui poteſt, Novatianum ſimul cum Encyclica Sabellianiſmum condemnante, hoc pariter opuſculum in Orbem emiſiſſe.

IX. Quod equidem à Novatiani moribus & ingenio nequaquam abludit, quippe qui quum Decreto Peremtorio in cauſſa Lapſorum edito, necnon electioni Cornelii Pontificis oppoſuit Antencyclicam, ſimul & Libellum ſeu Tractatum annexuit, & opera ſuorum Curſorum apud pleraſque Eccleſias diſſeminavit: quemadmodum ſupra, ubi de Encyclicis adversùs illius Schiſma exaratis, autoritate Cypriani docuimus. Pariter zelum ut ſuum Eccleſiis probaret, Encyclicas tres evulgavit, alteram ſcilicet de Circumciſione, alteram de Sabbato, poſtremam de Cibis Judaïcis, quae inter opp. Tertulliani legitur ad calcem operis de Trinitate. Autorem cum ſtylus ipſe Novatianum probat, tum verba illa quae paullo poſt initium leguntur. *Quamquam ergo & officium debitum, & cura ſuſcepta, & ipſa miniſterii impoſita perſona hanc à me Literarum ſcribendarum expoſcant neceſſitatem, tamen vos illam plus exaggeratis, dum me ad ſcribendum frequentioribus literis provocatis, & pronum me licet, ad iſta caritatis ſolennia magis impellitis, dum ſine ceſſatione in Evangelio vos perſtare monſtratis.* Sed de his ſatis.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

De opuſculis ad illuſtrandum Encyclicarum argumentum elucubratis.

SYNOPSIS.

I. *Quibus de cauſſis opuſcula adjuncta Encyclicis paſſim fuerint.* II. *Quid Literae Tractatoriae à tractatibus differrent.* III. *Illarum uſus ex Auguſtino.* IV. *Ejuſmodi fuerunt utriuſque Dionyſii Alexandrini & Romani Epiſtolae.* V. *Anonymi ſive Caii Theologi, ſive alterius opuſculum Encyclicis Zephirini adjunctum.* VI. *Illius evulgatione comprimitur haereſis Artemonis, & divinarum ſcripturarum corruptelae vendicantur.* VII. *Ipſi autores Encyclicarum ſaepe tractatus ejuſdem argumenti conſcribebant.*

I. SUpremum magiſterium quod in Eccleſiarum conſenſione poſitum eſt, quodque olim in Encyclicis Literis patefieri conſuevit, non illud tantum agebat, ut fideles omnes, quae Religionis placita ſuſcipienda, aut deteſtanda erant, exploratum certumque haberent, ſed inſuper ut Populorum Paſtores Doctoreſque in ea ſimul veritatis documenta conſpirarent, quae ad haereticorum maledicta refellenda, ad eorumdem artes, machinationes ac thecnas eludendas, uno verbo ad impias factioſorum hominum ſectas proterendas exquiſitè erant comparata. Haec niſi fallor potiſſima atque una ratio fuit, propter quam Encyclicis adjungi conſueverunt opuſcula ſive Tractatus, in quibus tum dogmatis aut definiti aut declarati, tum haereticae doctrinae argumēta penitus diſcutiebantur. Quoniam igitur occaſione Novatiani, qui cum duplici ſua Encyclica ad Orbis Eccleſias opuſcula etiam tranſmiſit, & Dionyſii Alexandrini Archiepiſcopi, qui & Encyclicas edidit, & ſimul Tractatorias ſive peculiares ejuſdem argumenti lucubrationes adjunxit: de hoc ſaluberrimo primitivae Eccleſiae more hactenus verba fecimus, lubet in ejuſdem moris praeſtantiam & utilitatem paucis inquirere, ne quod ſaepe contingit,

tingit, ex uno alterove ancipiti documento leges Eccleſiae univerſales exſculpere videamur.

II. Atque ut non tam perſpicuè, quàm accuratè fluat oratio, ſecernendae imprimis ſunt. Encyclicae quae ſimul Tractatum complectebantur ab illis, quae Tractatum annexum ferebant. Nam quoties in Encyclica & judicium controverſiae recèns excitatae, & doctrinalis judicii ſententiaeque exegeſis in unum componebantur, Encyclica illa appellabatur Tractatoria. Ejuſcemodi fuerunt Encyclicae Literae Dionyſii Alexandrini, qui traditur & eo Scriptorum genere adversùs Sabellium decertaſſe, & conlatis diſſidentium partium epiſtolis, argumentis ac diſputationibus, varias epiſtolas Tractatoris more edidiſſe. Neque ab hac ſcribendi ratione abluſit in epiſtola ad Ammonium & Euphranorem, quemadmodum colligere eſt è fragmentis, quae S. Athanaſius deſcripſit: ut proinde nihil certius affirmari poſſit, quàm haſce Literas adinſtar doctrinalium Tractatuum fuiſſe exaratas, cum praeſertim Sacrorum Bibliorum teſtimoniis compluribus, & ſanioris Theologiae placitis ac rationibus eas paſſim inſperſerit, atque ab adverſantium cavillationibus rei ſummam vendicarit.

III. Hanc epiſtolae Tractatoriae appellationem & uſum ſequitur B. Auguſtinus Serm. 2. in Pſalm. 36. ubi accuratius agit de ſcommatis atque calumniis, quas Primianus Donatiſta in Eccleſiam congeſſerat, ut ejus ſanctitati, univerſalitati, ceteriſque dotibus vulgo crearet invidiam. Strophas haeretici hominis refellit S. Doctor in Tractatoria epiſtola, atque univerſo Chriſtiano Orbi denuntiat. *Atque ideo*, ſcribit inter alia, *non immemores puritatis Eccleſiae, conducibile exiſtimavimus, omnes ſanctos Conſacerdotes, & omnes Clericos; & omnes Populos qui ſe Chriſtianos meminerunt, hac noſtra Tractatoria commonere, ut omnes ejus* (Primiani) *communionem, utpote damnati, diligenti cura horreant*. Eas etiam Encyclicas, quibus pervicax haereticorum contumacia Orbi univerſo denunciabatur, idem Tractatorias appellat in epiſt. 162. ſcribens. *Quod ſi non fecerint, ubi etiam eorum pravitas & perverſitas innoteſcit, miſſaque Tractatoria ſuper eorum nomine per totum Orbem*

terrarum,

terrarum, quacumque jam Chriſti Eccleſia dilatata eſt, ab omnibus Eccleſiis eorum communio praecidatur. Epiſtolae quoque Encyclicae, quae adversùs Montaniſticam haereſim ab Apollonio, Serapione, Aſterio Urbano, aliiſque exaratae fuerunt, procul dubio erant Tractatoriae, quum in illis palam fieri oportuerit, jactatas ab ejuſcemodi turbonibus prophetias nil praeter cruda inſomnia, aut doli frаudiſque plena figmenta continere.

IV. Enimvero quicumque accurate perpenderit fragmenta epiſtolarum utriuſque Dionyſii, Alexandrini & Romani, quae S. Athanaſius reſervavit: argumentum etiam, ſtylum, ordinem, animadverſiones, totamque diſputandi rationem adverterit, nullus dubito quin facile opinaturus ſit, eas fuiſſe Tractatorias adversùs illorum temporum haereſes opportune elucubratas. De ſuis quidem literis id apertè teſtatus eſt Dionyſius Alexandrinus, eaſdem contra Sabellium omnes Tractatoris more fuiſſe editas. De Romano autem Dionyſio, praeterquamquod vel leviter inſpicienti epiſtolaria ejus fragmenta obvium eſt judicare, teſtatur id etiam S. Athanaſius in lib. de Sentent. Dionyſ. pag. 558. *Porrò ex Dionyſii Romani Epiſcopi voluminibus contra eos qui Filium Dei opus aut creaturam aſseverant, ſcriptis clarè oſtenditur, haereſim Chriſti hoſtium Arianorum non jam primum, ſed olim ab omnibus damnatam fuiſſe.* Voluminum nomine has, opinor, Tractatorias intelligit Athanaſius, quas ſcilicet ad Eccleſias tranſmiſit Pontifex, ut multiplices tunc obtinentes opiniones circa myſterium Trinitatis ſolerti & accurata refutatione damnaret. Quod erat apprimè opportunum ac neceſſarium, ſiquidem laſcivior illa opinandi circa fidem libido in cauſſa fuerit, ut Novatianus Encyclicis ſuis Tractatum exegeticum adderet, & quae eſſent Regulae, ac Traditioni conſentanea definiret.

V. Opuſculum Anonymi, quod Euſebius lib. 5. Hiſt. cap. 28. deſcribit, fuit hauddubie epiſtola denunciativa adinſtar Tractatus exarata, in qua haereſim Artemonis exagitat. Ad vim ejus diſputationis & accurationem pernoſcêdam, verba illa autoris referri hoc loco poſſunt, quibus audaciam Artemonis & Sectatorum in Novi Teſtamenti libris interpolandis adulterandiſve perſtringit Anonymus. *Hinc eſt*, ſcribit apud Euſebium ibid., *quod divinis*

Scripturis

Scripturis audacter manus intulerunt, eas à ſe emendatas eſſe dicentes. Atque id à me non falſo eis objici quiſquis voluerit, facile cognoſcet. Nam ſiquis exemplaria illorum undique conquiſita ſimul inter ſe contulerit, inveniet profectò, illa inter ſe plurimum diſſentire. Certe Aſclepiadoti exemplaria non conveniunt cum illis, quae ſunt Theodoti. Multa porro hujuſmodi exemplaria nanciſci licet, propterea quod diſcipuli illorum ſtudioſe perſcripſerunt ea quae à magiſtris ſuis, ut ipſi dicunt, emendata, hoc eſt, corrupta fuerant. Jam Hermophili exemplaria cum illis quae dixi, minime conſentiunt. Ea verò quae dicuntur Apollonidis ne ſecum quidem ipſa concordant. Nam illa quae priùs ediderat cum illis quae poſtea invertit atque luxavit, conferre quilibet poteſt, atque inter ſe diſſonantia deprehendere. Quantae porrò audaciae ſit ejuſmodi facinus, ne ipſos quidem ignorare credibile eſt. Aut enim ſacras ſcripturas à Sancto Spiritu dictatas eſse non credunt; ac proinde infideles ſunt: aut ſemetipſos Spiritu Sancto ſapientiores eſse exiſtimant: ac proinde quid aliud ſunt, quam Daemoniaci? Neque enim negare poſsunt hoc facinus à ſe admiſſum eſse, cum ipſorum manu deſcripta ſint exemplaria: neque ab illis, à quibus in Chriſtiana fide inſtituti ſunt, ejuſmodi Codices acceperint: neque oſtendere poſsunt exemplaria, ex quibus ſua illa deſcripſerunt. Equidem Zephirinus ſtatim atque à Natali, quem ſectarii illi Epiſcopum ſuum conſtituerant, quique eodem Anonymo referente, ad meliorem frugem venerat, penitus ejus ſectae impietatem didicit, Eccleſiis ipſe denunciavit; Anonymus autem opuſculum Tractatoris more exaravit. Quod ſi, ut Photio in Biblioth. placuit, Anonymus ille fuit Cajus Theologus qui tùm Romae degebat, conjicere pronum eſt, Caii opuſculum Encyclicae Zephirini fuiſſe adjunctum. Verba ſunt Photii Cod. 48. *Hunc Caium Presbyterum Romanae Eccleſiae fuiſse affirmant ſub Victore & Zephirino Pontificibus, ordinatumque & Gentium Epiſcopum: ſcripſiſse quoque peculiarem alium librum contra Artemonis haereſim.* Zephirinus autem in condemnatione Artemonis veſtigia preſſit Victoris praedeceſſoris ſui, de quo ipſemet Caïus in laudato fragmento aït. *Quomodo eos non pudet ejuſmodi calumniam adverſus Victorem concinnare, cum certò ſciant Theodotum Coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens & author fuit, primuſque Chriſtum nudum*

eſse

eſse hominem aſſeruit, per Victorem à communione Eccleſiae ejectum fuiſſe. Nam ſi, ut aiunt, Victor eadem ſentiebat, quae illorum docet impietas, cur Theodotum opinionis illius autorem ab Eccleſia removit? Quare non eſt dubitandum, quin Zephirinus ſive ut Victoris ſententiam defenderet, ſive ut novis conatibus & calumniis Artemonis obſiſteret, ſive denique ut à fidelibus eam labem averteret, unà cum ſuis Encyclicis opuſculum Caii ad Eccleſias tranſmiſerit.

VI. Nihil equidem è re totius Eccleſiae mágis fuit, quàm hunc Anonymi librum, qui adinſtar Tractatoriae Encyclicae compactus erat, in Orbem evulgare. Agebatur de ſummo Religionis capite adversùs Artemonem, qui Chriſtum Dominum in ſimplicium creaturarum cenſum redigebat, & quod periculoſius videbatur, hanc fidem & eſſe Apoſtolicam, & à Victore Pontifice primùm immutatam fuiſſe contendebat. Ad haec ſceleſtiſſimum facinus auſi fuerant Artemonitae, qui ſacros novi Teſtamenti Codices, ſuam ut impietatem rudioribus è trivio viris ſuaderent, interpolare & vitiare haud veriti fuerant. Quapropter Ariani ſubinde haec Scripturarum exemplaria nacti, iiſque velut ſinceris & germanis uſi, loca quaedam ad ſuae haereſis defenſionem proferebant, quae in ceteris omnibus Codd. deſiderabantur, & quae in iis erant de Chriſto à Catholicis inter diſputandum adhibita, negabant in novi Foederis ſcripturis reperiri. Nihil ne igitur in tanto ſacratiorum myſteriorum conflictu egiſſe Eccleſiam opinabimur? Nihil doctiſſimos & pientiſſimos Epiſcopos ſuo zelo molitos? Nihil ſacros Eccleſiaſticos Tractatores, qui in minoribus contentionibus divino quodam afflatu ad veritatis defenſionem abripi conſueverunt? Admirare Priſcorum Eccleſiae temporum ſolertiam & accurationem. Pontifex ut à Chriſtiano grege ſanctioris fidei diſcrimen periculumque depellat, divinam atque aeternam Chriſti naturam ſuis Encyclicis diſtinctè luculenterque explanat: cumque per ea tempora Catholici Doctores plurimi eadem Provincia defuncti eſſent, lucubrationem tamen Anonymi hujus ſeligit, ſuiſque literis annectit, ut non tantummodo rectam fidem edocerentur Populi, ſed etiam Artemonis placita refellere atque ex-

ſecra-

Digitized by Google

ſecrari condiſcerent. Namque laudatus Anonymus ita diſputat, ut controverſia ad originem ſuam deducta, quod in diſputationem venerat, ſponte ſua conſequatur. Sacra exemplaria apud Artemonis ſectam vitiata & corrupta eſſe affirmat, ejuſque rei gratia provocat, velut ad certam amuſſim, ad prima & puriora exemplaria, non ambiguè docens, eadem in Eccleſiarum Archivis cuſtodiri, unde & Codices ſinceri abs adulterinis ſecerni, & multò fidentius revelata divinitùs dogmata addiſci poſſent. Appellat inſuper ad Doctores Catechiſtas, apud quos germana eadem exemplaria indubitanter aſſervabantur, quique & divinos apices, & ſacras traditiones velut depoſitum religiosè cuſtodientes, fidiſſimi teſtes erant communis ſive dogmatum ſive diſciplinae profeſſionis.

VII. Nonnunquam verò & illud contigit, ut Encyclicarum autores opuſcula ſeu Tractatus eodem de argumento conſcriberent, quibus veritas quae ab Haereticis in dubium revocata fuerat, prolixiùs & accuratiùs confirmabatur. Ad hunc modum Dionyſius praeter Encyclicas, fervente ſchiſmate Novatiani exaratas, cum illis pariter edidit Tractatus de poenitentia. Quod operoſius in praeſenti contentione Sabellianae haereſis praeſtitum ab eodem fuiſſe, autor eſt Euſebius Hiſt. Eccl. lib. 7. cap. 26. *Praeter has exſtant aliae complures Dionyſii epiſtolae: inter quas ſunt illae contra Sabellium ſcriptae ad Ammonem Berenicenſem Epiſcopum. Alia item ad Teleſphorum, & ad Euphranorem altera. Alia rurſus ad Ammonem & Euporum. Quatuor etiam libros de eodem argumento compoſuit, quos Gentili ſuo Dionyſio Romano Epiſcopo nuncupavit. Sed & aliae plures ſunt apud nos illius epiſtolae, & prolixiores libri epiſtolari forma ac ſtylo conſcripti.* Cyprianus quoque cum Encyclicis ſuis Tractatus duos de Lapſis, deque Eccleſiae unitate, ut ſupra annotatum eſt, per eadem tempora vulgavit. Cetera exempla quae ſuis unaquaeque locis commemorabimus, hîc immiſcere non juvat, cum ex iis quae hactenus diſputata ſunt, ſatis eluceat antiquorum Praeſulum zelus, ſollicitudo & fides in dogmatis aut communi conſenſione profitendis, aut illibatis ad ſeram uſque poſteritatem traducendis.

Digitized by Google

CAPUT IX.

DE ENCYCLICIS EDITIS CONTRA PAULUM SAMOSATENSEM.

QUO propiùs à temporibus Magni Concilii Nicaeni abſumus, eò ſeſe nobis objiciunt illuſtriora & praeſtantiora diſſerendi argumenta, in quibus Chriſtianae Religionis magiſterium conſenſione Eccleſiarum & perfectum olim, & patefactum fuiſſe dignoſcimus. Unum è ceteris praecipuum, & ſive controverſiae gravitatem, ſive celebritatem ſententiae attenderimus, ſanè praeſtantiſſimum ejus diſciplinae monumentum ſuppetunt Encyclicae Literae, quas Antiochenum Concilium ad refellendam haereſim Pauli Samoſatenſis evulgavit: atque inſimul non tam Nicaenis Patribus, quàm toti Chriſtianae Reipublicae praeïvit in divina Salvatoris natura & conſtanter profitenda, & contra Arianorum blaſphemias viriliter propugnanda.

Digitized by Google

§. I.

De Haereſi Pauli Samoſatenſis.

Synopsis.

I. *Haereſis Artemonis à Paulo Samoſatenſi innovata.* II. *Antiochena Urbs autonomia licet praedita, Ducenariis tamen Romanorum tributa pendebat.* III. *Ducenariorum multiplices gadus & munera.* IV. *Ii à Chriſtianis potiſſimum frequentibus minis pecunias corradebant.* V. *Hoc Ducenarii munus & antea, & poſt ſuſceptum Epiſcopatum Antiochenum geſſit Paulus Samoſat.* VI. *Inſignia & mores civilis officii ad Eccleſiam traduxit.* VII. *Non aliter atque Artemon Sanctos Eccleſiae Doctores inſectabatur.* VIII. *Habitus eſt velut praedamnatus in Tractatoria & Encyclica Anonymi adv. Artemonem ſcripta.* IX. *Hymnos & cantica ſuae doctrinae adverſantia abrogare ſtuduit.* X. *In gratiam Zenobiae ad Judaïſmum proclivis, quomodo irrepſerit.* XI. *Ejus de Chriſto, deque Redemtione errores recenſentur.*

I. ERrores, quos ſub initium Seculi III. Chriſtiani adversùs Sacroſanctum Myſterium Incarnationis, beneficium Redemtionis, & divinam Verbi naturam invexerat Artemon: Anonymus verò, referente Euſebio lib. 5. cap. 28., per Encyclicam & Tractatoriam nervosè protriverat, iterum excitavit atque in ſcenam protraxit Paulus Samoſatenſis, teſtimonio ipſius Euſebii ſcribentis ibid. *Porrò in cujuſdam ex illis autoribus libro adversùs Artemonis haereſim elaborato, quam Paulus Samoſatenſis noſtris temporibus renovare aggreſſus eſt.* Et Dionyſio quidem Romanum Pontificatum gerente, ad hanc haereſim promulgandam aggreſſum illum eſſe, idem Hiſtoricus autor eſt lib. 7. cap. 27., ubi quum electionem Dionyſii in locum Xiſti enarraſſet, è veſtigio ſubjungit. *Sub idem tempus defuncto Antiochiae Demetriano, Paulus Samoſatenſis Epiſcopatum ſuſcepit. Hic cum adversùs Eccleſiae doctrinam nimis abjectè & humiliter de Chriſto ſentire coe-*

piſſet, quaſi is nihil ſupra communem hominum naturam habuiſſet. Sed quemadmodum ad Epiſcpatum Antiochenum irrepſerit, ſubindeque haereſim invehere conatus ſit, diligentiùs inquiramus.

II. Inter ceteras Aſiae Urbes Antiochia ſemper praecelluit, quae poſt victoriam Actiacam ab Auguſto Imperatore autonomiam adepta eſt, eodemque anno acceptae libertatis, perinde ac ſi cum nova regiminis forma, nova decora acquiſiviſſet, nummos ejus rei gratia cudit: quapropter exinde auſpicanda ſunt primordia alterius Epochae, quae Antiochena Auguſtalis dicitur, & cujus teſtes ſunt locupletiſſimi ipſimet nummi Antiocheni hodièque ſuperſtites. Porrò Urbes autonomiae titulo cohoneſtatae id quidem obtinebant, ut propriis legibus atque inſtitutis viverent, ipſoſque à quibus regundi erant, magiſtratus eligerent: Romani tamen Imperii agnoſcere Principatum jubebantur, & ejuſdem dominio ſubjici. Ideòque Ariſtides graviſſimus dicendi magiſter, tuendae hujuſcemodi libertatis gratia quam dederant ipſi Imperatores, à Populis accerſitus, illorum de hac autonomià jactantiam perſtringit irridetque, quum reipſa ſervirent Romanis, & exactionibus ac vectigalibus, non aliter atque ceteri, paſſim urgerentur. Namque Principes interdum Procuratores ſuos mittebant, qui fuco publicarum Imperii neceſſitatum eos Populos graviſſimis pecuniae multis afficiebant, dicti etiam Ducenarii.

III. Atque perfunctus cum aliquandiu fuerit hoc Ducenarii officio Paulus Haereſiarcha, fortaſsè hominis indolem penitiùs dignoſcemus, ubi quid officii hoc eſſet, perſpexerimus. In Notitia dignitatum Imperii Ducenarius multiplicis officii nomen eſt. Et quamquam apud Vegetium lib. 2. de re milit. cap. 8. Ducenarius inter gradus militares recenſeatur, quod ille ducenos milites moderaretur: apud Imperatores tamen & Principes erant Ducenarii inter gradus civilis adminiſtrationis, iidemque duplicis generis; quorum alterum literatum, quod ſcriniis Principum navaret operam; actuoſum alterum, quod rebus gerendis occuparetur. Et hi quidem aliter dicti ſunt Magiſtriani,

Digitized by Google

ni, & eorum ſchola Ducenarii, Sexagenarii, Centenarii, qui ſcilicet Fiſcalibus pecuniis exigundis vacabant. Quo reſpexit vetus inſcriptio ſub Auguſto edita, apud Grutterum. *Procurator Auguſti Provinciae Baeticae ad ducena accipienda*. Hi verò quandoquidem exactionum cauſſâ Provinciam omnem pervagari & perluſtrare debebant, ab ipſis Imperatoribus velut publici exploratores ſunt habiti. Quocirca ut eos ſibi faceret proclives & benè affectos, propria ornamenta eiſdem indulſit Claudius Imperator, ut Svetonius refert in Claudio cap. 24. *Ornamenta ſecularia etiam Procuratoribus Ducenariis conceſſit*. Nominis porrò ſive etymon ſive originem abs numero exactionum repetit Dio lib. 53. Quippe viceſima, triceſima, ſexageſima, & ita deinceps exigebatur. *Procuratoribus iſtis*, inquit Dio, *ipſum nomen officii ſui à nomine pecuniae quam eo nomine accipiebant, inditum eſt*. Eodem ſenſu Capitolinus in Pertinace ſcribit. *Ad Ducenum ſeſtertiorum ſtipendium tranſlatus in Daciam*. Et penes Apulejum Mileſia VII. occurrit. *Procurator Principis Ducenaria perfunctus*. Ii deinde in tantam audendi agendique ut luberet licentiam devenere, ut temporibus Conſtantini M. publica Lege coërcendi fuerint, quae eſt lib. 10. Cod. de exactionib. Tributorum, quae diſtrictè inhibuit, ne Ducenarii ex debitoribus aliquem convenirent, priuſquam à Tabulariis Urbium breves nominatim accepiſſent Tributorum. Et lege ſeq. idem Imperator decernit. *Nemo carcerem plumbatorumque verbera aut pondera, aliaque ab inſolentia Judicum reperta ſupplicia in debitorum ſolutionibus expaveſcat*. Indicant ſatis apertè, magiſtratum quendam Ducenariorum fuiſſe, & lucem pariter memoratae Legi afferunt verba Svetonii, in Auguſto cap. 34. ſcribentis. *Ad tres Judicum decurias quartam addixit ex inferiori cenſu, quae Decenariorum vocaretur, judicaretque de levioribus ſummis*.

IV. Imprimis verò Ducenarios fuiſſe conſtitutos, qui à Chriſtianis quos Gentiles graviore multa afficiebant, pecunias exigerent, atque identidem variis artibus corraderent, non eſt equidem dubitandum. Ad id potiſſimum valuit intentata quotidie perſecutio, niſi illi vexationes atque aerumnas pecunia redimerent.

merent. Certè accuſationes adverſùs Chriſtianos delatas apud Ducenarium legimus. Namque Cyprianus in epiſtola ad Stephanum Pontificem de Marciano Arelatenſi ejuſque criminibus agens, ſcribit ad rem. *Actis etiam publicis habitis apud Procuratorem Ducenarium obtemperaſſe ſe Idololatriae & Chriſtum negaſſe, conteſtatus eſt.* Eulogius quoque lib. 6. adverſùs Novatianum [quem pro imperitia Graecorum in rebus Latinae Eccleſiae, Novatum appellat] ut illum oſtenderet in graviſſima Valeriani perſecutione, quod Paciano etiam obſervatum epiſt. 3., ſecurum hilaremque vixiſſe, quia apud Perennium Ducenarium pecunia vexationem redemerat, in memoriam revocat acta Perennii, ſub quo Novatianus martyrio coronatus apud aſſeclas jactabatur. Verba Eulogii ſic exhibet Photius in Bibliotheca pag. 1622. *Factum eſt hoc martyrium Decio & Valerio Imperatoribus Romanis, Perennio Ducenario, ſuppliciis Chriſtianos afficere juſſo.* Et martyrium hoc inſcriptum eſt: *Nec flagella, nec tormenta, nec aculeum Novatum tuliſſe ſcribit: quamvis Perennium crudeliſſimum in Chriſtianos fuiſſe ſcribit.*

V. Paulus itaque Samoſatenſis, hoc Ducenarii officio miniſterioque functus, homo tenuiſſimi cenſus, magnam opum vim coäcervavit, earumque ut opinor medio Epiſcopatum invaſit, quippe qui Ducenarius magis, quam Epiſcopus appellari cuperet. Qua de re adſcribenda hoc loco ſunt, quae habet praeſens Encyclica Antiocheni Concilii. *Quod quum antea pauper ac mendicus eſſet, nec ullas omninò facultates accepiſſet, aut artis ullius exercitio ſibi comparaſſet, tunc ad incredibilem opulentiam pervenit per ſcelera & ſacrilegia, fratrumque concuſſiones: dum injuria affectos decipit, promittens quidem ſeſe illis accepta mercede opem laturum: fallens autem ipſos, & ex facilitate litigantium, qui ut negotio liberarentur, quidvis dare parati ſunt, lucrum inaniter captans, & pietatem quaeſtum eſſe exiſtimans.* Pergunt autores Encyclicae faſtum & arrogantiam Pauli perſtringere, qui ſimul ut exactionibus & pecuniis operam daret, Ducenarii officium retinebat. *Neque quod faſtu*, inquiunt, *& arrogantia ſupra modum elatus, ſeculares gerit dignitates, & Ducenarius vocari, quam Epiſcopus mavult: &*

per

Digitized by Google

per Forum magnificè incedens, epiſtolas legens, aut dictans, inter ambulandum palam & publicè, ſtipatuſque maxima hominum multitudine, partim praeeuntium, partim ſubſequentium: adeo ut ex illius faſtu & arrogantia incredibilis invidia odiumque multorum adversùs fidem noſtram conflatum ſit. Neque id ſanè immerito. Quippe immemor ille Evangelicae & Chriſtianae moderationis, quae erant ſecularis dignitatis & magiſtraturae inſignia, velut Sella, Tribunal, Thronus & quae ſunt alia ambitionis & mundanae gloriae incitamenta, ea Epiſcopali gradui attribuere veritus non eſt. Qua de re verba iterum Encyclicae hîc adſcribamus. *Neque item attinet examinare ambitioſam hominis vanitatem in Eccleſiaſticis conventibus, quam omni ſtudio conſectatur: nihil aliud quam inanem gloriam captans, & pompam affectans, atque hujuſmodi artibus animos imperitorum perterrefaciens. Nam & Tribunal, & ſublimem Thronum non ut Chriſti diſcipulus ſibi ipſi contraxit: & ſecretum perinde ac ſeculares magiſtratus ita appellatum habuit. Ad haec foemur manu percutere, & tribunal pedibus pulſare ſolitus. Eos verò qui non laudarent, nec ut in theatris fieri ſolet, oraria concuterent, neque exclamarent, atque exilirent: ſed cum gravitate ac modeſtia, ſicut in domo Dei decet, audirent, increpabat & contumeliis afficiebat.*

VI. Haec quae Paulus in Conventibus Eccleſiaſticis intolerabili faſtu ſibi arrogabat, Supremi Magiſtratus & Tribunalis civilis propria erant; pecularia etiam Sophiſtarum, qui eadem tempeſtate non abſimilem ambitioſam jactantiam apud ignarum vulgus adhibebant, ut ex Philoſtrato, Eunapio aliiſque Scriptoribus, qui acta Sophiſtarum recenſuerunt, liquidò conſtat. Quod porrò aïunt Patres Antiocheni de Secreto, quod Haereſiarcha exſtruxit, id omnino ſummarum Poteſtatum peculiare fuit. Sic Areopagiticus Athenienſium ordo jus in Secreto dicebat, loco ſcilicet cancellis veliſque obducto, ne Judicum vota à plebe & circumſtante multitudine audirentur. His Secretis pro capitis Hierarchici dignitate uſus eſt Romanus Pontifex, dum cauſſas plurimi momenti tractaret. Elevatio pariter Orarii è ſeculi moribus à Paulo traducta eſt ad Eccleſiam. Nam-

que incondita plebis multitudo, ſi fortè ad Sophiſtas audiendos conveniſſet, acclamationum vice oraria elevabant. Quum in Foro peroraret Aurelianus, oraria Populo Romano conſuevit elargiri, ut eorum elevatione plauſum ſignificarent, quemadmodum Vopiſcus in Aurel. prodidit cap. 48. *Ipſum primùm donaſſe oraria Populo Romano, quibus uteretur Populus ad favorem.* Ejuſdem rei gratia moribus recepta eſt & manuum, & veſtium elevatio, ſcribente Dione lib. 61. pag. 699. *Cum dicturus aliquid erat, tum ipſi manus, atque veſtes attollebant, tum alios ut idem facerent, pertrahebant.*

VII. Interim arrogantiſſimus impoſtor ceteros omnes ſive Patres, ſive Tractatores ſacros, velut ſimplices & ſi Diis placet, irreligioſos atque impios traducebat. Non aliter ac magiſter ejus Artemon, de quo in ſua Tractatoria ſcripſerat Anonymus apud Euſebium Hiſt. lib. 5. cap. 28. *Affirmant enim, priſcos quidem omnes & ipſos Apoſtolos ea quae ab ipſis nunc dicuntur, & accepiſſe & docuiſſe: ac praedicationis quidem veritatem eſſe cuſtoditam uſque ad Victoris tempora, qui tertiuſdecimus à Petro Romanae Urbis Epiſcopus fuit: à Zephirini autem temporibus qui Victori ſucceſſit, adulteratam fuiſſe veritatem.* Eodem aſtu in omnes Eccleſiae Patres ac Doctores ferebatur Paulus, in eo, ut in ceteris, Sophiſtas imitatus, qui in Declamationibus ſuis ad Populum habitis reliquos omnes, ſive illi ſuperſtites eſſent, ſive vita functi, conviciis dicteriiſque velut fungos & ſtipites traducebant. Hoc Pauli ingenium verbis illis deſcribit Encyclica. *Et quidem Legis noſtrae Doctores jam vitâ functos petulanter in concione lacerabat: de ſe autem ipſe magnifica loquebatur non ut Epiſcopus, ſed ut Sophiſta quidam & impoſtor.* Eadem impudentia vaferrimus ille probitatis, Religionis, ſeveritatis, & moderationis ſimulator, Pauli aſſecla Neſtorius ducebatur, quemadmodum Patribus Epheſinis Action. I. & VI. proditum eſt.

VIII. Ut morem igitur, ſic impietatem Artemonis edidicit Paulus Samoſatenſis, illiuſque haereſim ſuſcepit propagandam. *Ad hoc verò*, inquiunt Encyclicae Autores, *qui prodito atque ejurato Religionis noſtrae Myſterio ad exſecrandam tranſgreſſus haereſim*

Arte-

Artemae (quidni enim parentem illius vobis tandem indicemus ?) in ea ſe plurimum jactavit : ab hoc , inquam , rationem eorum omnium exigendam eſſe non exiſtimamus . Optimò quidem jure non admodum laborandum eſſe de Pauli erroribus aſſeverant , quia ſcilicet per celeberrimam Anonymi illius Tractatoriam iidem in Artemone anathemate confixi jam fuerant & publicè , velut haereſes , Eccleſiis denunciati . Quocirca cum ſub initium tertii hujus Seculi & Artemonis aſſeclae , & illorum haereſis condemnata fuiſſet , non erat cur Paulus , qui eadem , aut illis conſentanea docebat , ideòque proſcriptus pariter erat , accuratius examen obtineret . Quod nobis locum facit conjectandi , epiſtolam Tractatoriam Anonymi revera fuiſſe Encyclicam , atque inſuper ſcripta ejuſcemodi omnia diligenter ac ſedulò perlegi & evolvi conſueviſſe , quoties iidem errores in ſcenam à Novatoribus traducerentur iterùm & defenderentur . Id certè ne Paulum quidem ipſum latuiſſe , infra obſervabimus . Expendenda ſunt , quae in hanc rem ſcribit S. Auguſtinus haereſi 44. *Pauliani à Paulo Samoſateno , Chriſtum non ſemper fuiſſe dicunt , ſed ejus initium , ex quo de Maria natus eſt , aſſeverant : nec cum aliquid amplius , quàm hominem putant . Iſta haereſis aliquando cujuſdam Artemonii fuit , ſed cum defeciſſet , inſtaurata eſt à Paulo .* Haec Auguſtinus ex Epiphanio deſcripſit , qui haereſi 65. ubi de Paulo ſcripſerat . *Hic Samoſatis ad Euphratem Urbem natus , Aureliano ac Probo Imperatoribus , Antiochenae Eccleſiae praepoſitus eſt . Qui elatus arrogantia & faſtu à veritate excidit , atque Artemonis haereſim inſtauravit ; qui cum ante multos annos extitiſſet , penitùs eſt extinctus .*

IX. Ipſam pariter haereſeos vulgandae rationem Paulus ab Artemone accepit . Equidem Anonymus , qui Cajus Presbyter Eccleſiae Romanae ſub Zephirino militans à Photio dicitur , inter alia argumenta , quibus in ſua Tractatoria , ſeu Encyclico opuſculo deliria Artemonis refellit , non ultimum eſt quod ducit ex Canticis , Hymnis , & Pſalmis , quos ubique Fideles in Eccleſiaſticis Conventibus Salvatori tanquam vero & ſempiterno Deo canebant . *Pſalmi quoque , & Cantica Fratrum jam pridem*

à

à Fidelibus conſcripta Chriſtum Verbum Dei concelebrant, divinitatem ei attribuendo. Ejuſcemodi hymni quam fuerint in Eccleſia antiqui, quantamque haberent vim ad fidem adſtruendam, prolixè & eleganter docet Baſilius M. in opuſc. de Spiritu Sancto cap. 29. Et hoc quidem Caii Theologi argumentum fuiſſe peremtorium, colligere pronum eſt, tum quia poſt evulgatum hoc opuſculum, elangueſcere paſſim factio Artemonis coepit, ut Auguſtino proditum; tum quod nihil reliquerit intentatum haereſiarcha, ut hymnos illos in univerſo Antiocheno tractu obliteraret antiquaretque. Imò, iis ſublatis Pſalmos alios atque hymnos invexit, & adhiberi juſſit, in quibus ſuaemet laudes & encomia erant comprehenſa. *Mulieres autem*, verba ſunt Encyclicae Antiochenae, *magno Paſchae die in media Eccleſia Pſalmos quoſdam canere ad ſui ipſius laudem inſtituit, quod quidem audientibus meritò horrorem incuſſerit. Epiſcopos verò vicinorum Pagorum & Civitatum, necnon etiam Presbyteros aſſentatores ſuos ſubmiſit, qui in ſuis ad Populum concionibus eadem de ipſo praedicarent*. Et paullò infra. *At verò illi qui in ejus honorem Pſalmos canunt, & coram Populo eum depraedicant, ipſum impietatis Doctorem Angelum eſſe dicunt è Coelo delapſum*.

X. Zenobia Palmyrenorum Regina Syriae viciniſque Provinciae tunc imperitans, magnis ſumtibus exercitum inſtruebat, quo Aureliano, & Imperio Romano per Orientem vehementer detrito exitium inferret. Judaeos illa ſibi devinxerat, hominum ſcilicet genus & novarum rerum quammaximè appetens, & Chriſtiano nomini praeſertim inimicum & adverſum, imò & impatiens quod Chriſtus velut Meſſias atque Deus haberetur. Hinc conſequebatur, ut quicumque propius Judaeis accederent, aut Chriſti regnum odiſſe viderentur, illi demùm Zenobiae eſſent acceptiſſimi & familiares. Paulus igitur quodvis aggredi facinus paratiſſimus, ubi aulici favoris ſpes aliqua affulgeret, Regiis affectionibus doctrinam accommodat ſuam, & modò dignitates atque opes adipiſcatur, jura omnia veritatis, aequitatis, & Religionis peſſumdedit. Ut ſunt Athei homines plerumque audaces, ità ſecundis aliquando utuntur rebus,

bus, benignioreque fortuna. Officium Ducenarii à Regina obtinet, quò ſcilicet exactionibus praeeſſet, & pecunias ad exercitum contra Romanos inſtruendum neceſſarias ab Urbibus ſubjectis exigeret. Quod equidem innuere videtur S. Athanaſius in epiſt. ad Solitarios ſcribens. *Judaea Zenobia erat, & protectrix Pauli Samoſateni*. Imò teſtatur Philaſtrius haer. 17. Zenobiam à Paulo ipſomet ad Judaïſmum fuiſſe adductam. *Hic Chriſtum hominem juſtum, non Deum verum praedicabat, Judaïzans potiùs, qui & circumciſionem docebat: unde & Zenobiam quorundam Reginam in Oriente tunc temporis ipſe docuit judaïzare*. Athanaſio & Philaſtrio concinit Theodoritus lib. 2. Haeretic. Fabul. cap. 8. *Paulus in Artemonis impegit haereſim, ſe ea ratione Zenobiam ſibi conciliaturum exiſtimans, quae idem cum Judaeis ſentiebat, & illis favebat*.

XI. Sed qui demùm fuerint Pauli errores praecipui & capitales perſpiciamus. De eo ſcribit Euſebius Hiſt. lib. 7. cap. 27. *Hic cum adversùs Eccleſiae doctrinam nimis abjectè & humiliter de Chriſto ſentire coepiſſet, quaſi is nihil ſupra communem hominum naturam habuiſſet*. Clariùs S. Athanaſius, de ſalutari adventu Dei, ſcripſit ad rem noſtram. *Paulus Samoſatenſis Deum ex Virgine confitetur, Deum Nazaret in lucem editum, & inde exiſtendi primordium, Regnique conſtitutum. Verbum tamen efficax è Coelo, & ſapientiam in eodem agnoſcit, & praedeſtinatione quidem ante ſecula fuiſſe, & Nazaret primùm exſtare coepiſſe, ut unus ſupremus ſit Deus Pater*. Hoc impio & nefario ſyſtemate univerſam Divini Verbi oeconomiam, & quod inde conſecutum eſt, Redemtionis beneficium penitùs labefactari & everti, affirmat idem Athanaſius de Incarnat. Verbi adversùs Paulum Samoſaten., obſervatque, haereticali ejuſcemodi doctrina Eccleſias omnes fuiſſe commotas. *Olim*, inquit, *Sanctum Concilium malè habebat Pauli Samoſatenſis ſeditio, dum magnum illud de Chriſto Myſterium ſubvertere conatur. Imò etiam nunc malè habet omnes vindices aſſertoreſque Sanctae Fidei, earumdemque rerum peſtilens in vulgus blaſphemia*. Diſſertè enim & palam docere ſuſtinuerat, Chriſtum eſſe Trinitati planè extraneum, nihilque cum divina

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantia communis habere. Verba ſunt ejuſdem Praeſulis in oratione, qua unum eſſe Chriſtum ſibi ſumit oſtendendum pag. 665. *Deprehendi eos extra Trinitatem ſummovere Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, ut mancipium, ut hominem inadorabilem, cum ſit adorandus, ac potiùs adorantem unà cum ceteris omnibus, inſervientem, & ſubjectum Sanctae Trinitati, ut Marcellus, & Paulus Samoſatenſis, divina & Apoſtolica ſcripta ad ſuam detorquentes ſententiam.* Multa in hanc rem ex veterum Patrum monumentis congerere haudquaquam neceſse eſt, cum & ex his quae leviter delibata ſunt, mens haereſiarchae ſatis accuratè perſpici poſſit; tum nullus ſit vel leviſſimè in Eccleſiaſtica Hiſtoria verſatus, quem lateat Sectae hujus improbitas. Ad acta igitur Eccleſiaſtica, quae in ejuſdem condemnatione judicioque contigerunt, diſputatione progrediamur.

§. II.

De Prioribus Actis Concilii Antiocheni adversùs Paulum Samoſat.

SYNOPSIS.

I. *Paulus haereſim ſuam latè diſſeminat nulla aut levi admodum contradictione.* II. *Id actum à Presbyteris Doctoribus, ut & Concilium Antiochenum congregaretur, & Dionyſius Alexandrin. ea de cauſſa ſcriberet.* III. *Quid de Concilio illo ſentiendum, & an multiplex fuerit.* IV. *Chriſtianis ab Odenato Rege indulta libertas circa ann.* 265. V. *Qui potiſſimum Epiſcopi Concilio interfuerint.* VI. *In Collatione I. lecta eſt epiſtola Dionyſii Alexandrini.* VII. *An quae duae exſtant Dionyſii Alex. Epiſtolae de hoc argumento ſincerae ſint.* VIII. *Damnato Pauli dogmate nihil de perſona ſancitum, agente Firmiliano.* IX. *Contra verò damnatur Paulus ab utroque Dionyſio Alexandrino & Romano.*

I. Du-

I. DUcenarius unà & Epiſcopus Antiochenus Paulus, ſatis ſibi & corrogatis undique opibus, ſatis patrocinio Zenobiae, cujus favorem amoremque multiplici officio captaverat, ſecurè fidendum ratus, palam & publicè irreligioſam haereſim ſuam coepit Antiochiae docere. Ex his quae teſtimonio Encyclicae Antiochenae ſupra commemorata ſunt de hymnis praeſertim Paſchalibus, Chriſti reſurgentis & triumphantis gloriam laudemque complectentibus, quorum loco ſuamet encomia velut hominis è Coelo delapſi ſubſtituit, non ambiguè perſpici aeſtimarique poteſt, plebem Antiochenam, vicinoſque Epiſcopos & Populos ne hiſcere quidem auſos, ſed captivas manus Haereſiarchae dediſſe. Non ignoro, Clericos Orthodoxos, praeeunte Malchione Preſbytero Viro diſſertiſſimo haereſi obſiſtere ac repugnare aggreſſos eſſe: impotentia tamen Haereſiarchae, & Zenobiae favor irritos eorum conatus effecere. Illud interim vehementer profuit, quod Dionyſium Alexandrinum, & Syriae proximarum Provinciarum Epiſcopos commonefecerint, ut rebus Antiochenae Eccleſiae, & Fidei periclitanti opem ferrent. Quamquam quum Odonatus Zenobiae maritus anno 267. fatis conceſſerit, ipſaque Zenobia Regni in ſolidum haeres continuò quidem ad debellandam Aegyptum mentem animumque appulerit, non tamen in diſcrimen venerit ante annum 269., percommodum Paulo Haereſiarchae fuerit integro illo biennio contra fidem graſſari, atque impune nulloque contradicente impiam doctrinam ſuam propagare. Quapropter iis omnibus in Encyclica enarratis, ſubjungunt Patres Antiocheni. *His de cauſſis omnes quidem apud ſe privatim ingemiſcunt, atque ſuſpirant, ſed potentiam ejus atque tyrannidem adeò reformidant, ut accuſare illum non audeant.*

II. Haec erat Antiochenae Eccleſiae & Dioeceſeos truculenta & deſperata penè conditio, quum Catholici Preſbyteri vehementius à Dionyſio Alexandr. atque à ceteris Sanctiſſimis Epiſcopis, quod ſaepius poſtulaverant, ſuppetias tandem obtinuerunt. Eorum igitur ſolicitudine anno 266. Antiochiae Concilium congregari coepit, atque ad illud evocatus fuit, ac ſummoperè

moperè expetitus Dionyſius Alex., qui quum advenire non poſſet, infirmitatem cauſſatus, quid tamen de Paulo, deque ejus haereſi ſentiret, Literis ad eam Synodum ſcriptis complexus eſt. Euſebius enim quum Pauli Samoſatenſis electionem ad Epiſcopatum Antiochenum, & promulgatam ſubinde ab eo haereſim enarraſſet, ita lib. 7. cap. 27. ſubjungit. *Dionyſius Alexandrinae Eccleſiae Epiſcopus rogatus ut ad Concilium veniret, adventum quidem ſuum diſtulit, ſenectutem & infirmitatem corporis cauſſatus. Ceterum quid ipſe de hac quaeſtione ſentiret, per epiſtolas ſignificavit.* Suas haſce Literas tranſmiſit Dionyſius per Euſebium, & Anatolium Alexandrinae Eccleſiae Preſbyteros, ut mox videbimus.

III. Porrò de hoc Epiſcoporum Concilio Scriptorum Criticorumque Eccleſiaſticorum multiplices ſunt, atque inter ſe invicem pugnantes ſententiae. Haudquaquam ſcilicet expeditum eſt definire, quo demùm anno ſimul unà convenerint Epiſcopi, unicum ne pro ea controverſia, an multiplex celebratum Concilium fuerit, quae potiſſimum acta ſint, qui fuerit Epiſcoporum numerus, & quae tandem decreta emanarint. Quid nobis in hoc doctiſſimorum hominum conflictu veroſimilius videatur, paucis habeto. Evocati procul dubio fuerunt Epiſcopi circà annum 266., aut paullò ante, ſiquidem currente eodem anno magnus ille Dionyſius, atque immortali memoria dignus, ſive doctrinae profunditatem, ſive zelum Religionis, ſive integritatem puritatemque fidei ſpectes, ſuo merito & Eccleſiarum omnium Pater ac magiſter, & communis pacis atque unitatis aſſertor nuncupatus, beato exitu ad Coelos evolavit; atque adeò congregatio illa Epiſcoporum ultra praedictum annum minimè poteſt produci. Tria deinde ad minimum Concilia, ſeu tres Synodicas Collationes ſecernere jubet ordo rerum geſtarum, & diu multumque agitatae controverſiae. Namque Firmilianus Caeſareenſis in Cappadocia Epiſcopus ſemel atque iterum ejus rei gratia ad Antiochenum Concilium properavit, & quum tertiò evocatus iter illuc ſuſcepiſſet, Tarſi extremum obiit diem. Fuiſſe igitur aut multa Concilia, aut unius ejuſdemque multiplices actiones, quod pro varia Pauli hypocriſi, & pro tem-

porum

Digitized by Google

porum conditione inchoätum quidem fuerit, ſed non ſemel interruptum; iterum autem ſuſceptum, ac tandem cum ſollenni Haereſiarchae condemnatione terminatum, certò equidem affirmare nolim ob monumentorum illius aevi defectum, conjectaneis interim ita adſtrui poſſe arbitror, ut ſin minùs rem acu tangere, plurimum ſanè ad veritatem detegendam contuliſſe videamur.

IV. Odenatus particeps Imperii factus eſt anno Chr. 264., imperante jam annum XII. Galliëno. De hoc anno, & de utroque Galliëno verba faciens Trebellius Pollio cap. 10. ea nota characteriſtica, Coſs. Galliëno Aug. VI. & Saturnino utitur, quae in praedictum annum 264. incurrit. *Galliëno*, inquit, *& Saturnino Conſulibus, Rex Palmyrenorum obtinuit totius Orientis Imperium.* Addit Galliënum primò expeditionem in Perſas Odenato mandaſſe, qui exercitu inſtructo Niſibin, & Carram Urbes occupavit. Tum verò proſequitur ille, *Vincente Odenato, triumphavit Galliënus.* Et mox. *Odenatum participato Imperio Auguſtum vocat.* Sequente igitur anno, id tandem Chriſtianis indulgente Odenato, ut liberè ſuis rebus vacarent, Concilium Antiochenum videtur congregatum. Sollenne enim Imperatoribus fuit, & quodammodo Religioni, ut ſive in electione, ſive in praecipuis victoriis triumphiſque plurima beneficia ſubjectis Populis impertirent. Certè quum Odenatus Chteſiphontem uſque proceſſerit, atque intra munitiones ſuas Perſas occluſerit, autore Zozimo, dubitandum non eſt, quin reddita Orienti pace & ſecuritate, locum dederit Epiſcopis Provinciarum illarum, ut quod agebant Euſebius & Anatolius cum epiſtola adversùs Paulum Samoſatenum à Dionyſio miſſi, Synodum habituri Antiochiae convenirent.

V. Primum hunc Epiſcoporum coetum Antiochenum deſcribit Euſebius ibid. *At reliqui Eccleſiarum Paſtores undique exciti, tanquam adversùs gregis Dominici vaſtatorem, ſimul omnes Antiochiam convenerunt.* De numero Epiſcoporum, qui convenere, & quorum plerique Metropolitani erant, haec ſcribit cap. 28. *Inter quos maximè eminebant Firmilianus Caeſareae Cappadocum Epiſcopus;*

ſcopus : Gregorius & Athenodorus Fratres , Eccleſiarum apud Pontum Epiſcopi : Helenus quoque Tarſi , & Nicomas Iconii Antiſtites . Sed & Hymenaeus , qui Eccleſiam Hieroſolymitanam regebat , & Theotecnus , qui Caeſarienſem illi finitimam adminiſtrabat . Maximus praeterea , qui Boſtrenſem Eccleſiam ſumma cum laude gubernavit . Sexcentos quoque alios , qui unà cum Presbyteris , & Diaconis eò confluxerunt , nequaquam difficile fuerit recenſere . Plerique igitur aut Primatiali, aut metropolitica dignitate fulgebant, qui propterea ceterorum atque imprimis Suffraganeorum ſuorum ſententiam , profeſſionem & vota hauddubiè in Synodo repraeſentarunt . Sed quum Euſebius *Sexcentos quoque alios* appellat, non ad hanc primam tantummodò congregationem reſpicit , quaſi tam frequens Epiſcoporum multitudo in ea conſederit , ſed habitas multiplices ſibique ſuccedentes Collationes innuit, ex quibus conſtitit Synodus iſta , & quibus varii interfuerunt Epiſcopi , Preſbyteri, & Diaconi , abſentium ſuorum Praeſulum legatione functuri . Suam ipſe mentem explicuit Euſebius verbis ſeqq. *Omnibus igitur vario tempore diverſimodè ac ſaepe numero in unum coëuntibus ; multae diſputationes , & quaeſtiones in unoquoque conſeſſu agitatae ſunt.* Coäluit itaque Antiochenum Concilium ex variis & diverſo tempore celebratis Actionibus : idque eò magis conſtare debet, quòd Firmilianum bis Antiochiam hac de cauſſa veniſſe , autores Encyclicae aſſeverent .

VI. In praeſenti verò collatione lecta eſt epiſtola Dionyſii Alexandrini , tantique ponderis viſa Patribus eſt , ut in altera Collatione Antiochena ann. 270. , in qua Encyclica condita fuit , utramque ſimul ad Eccleſias Orbis direxerint . Quod Patres ipſimet in Encyclica atteſtati ſunt , apud Euſebium ibid. cap. 30., ubi de Dionyſio . *Quorum ille ſcripſit quidem Antiochiam ; ſed erroris ducem ne ſalutatione quidem dignatus eſt , neque ad eum nominatim , verum ad univerſam Antiochenſium Eccleſiam literas ſuas direxit , quarum etiam exemplum hic ſubjecimus .* Quod equidem inſigne documentum eſt accuratiſſimae veteris diſciplinae , qua ſive in epiſtolarum publicarum ſcriptione , ſive in juribus Catholicae communionis moderandis , quoties Epiſcoporum aliquis

teme-

Digitized by Google

temeraſſe fidem dignoſceretur, uſa eſt primitiva Eccleſia. Igitur quum Pauli Haereſiarchae impietatem Antiocheni Preſbyteri Dionyſio patefeciſſent, reſcripſit ille quidem, non Paulo tamen Antiochenum Epiſcopatum tunc gerenti, ſed ipſi Antiochenae Eccleſiae Literas ſuas inſcripſit. Haud aliter quando apud Carthaginenſe Concilium abs Novatiani Curſoribus in dubium revocata eſt electio Cornelii Romani Pontificis, Patres nequaquam legitimum Pontificem probare & decernere, ſed rem omnem in ſuſpenſo relinquere voluerunt, donec Legati Epiſcopi, qui electioni interfuerant, Carthaginem adveniſſent: atque interim Adrumentina Colonia Literas ad Romanos ſcribens, non Cornelio, ſed Romanae Eccleſiae direxit, & Preſbyteris ac Diaconis Romae conſiſtentibus. Qua de re quoniam conqueſtus eſt Cornelius, id decreto Carthaginenſis Concilii factum eſſe, reſcripſit Cyprianus in epiſt. 68., quouſque nimirum certis & indubitatis argumentis legitimam ejuſdem electionem cognoſcerent.

VII. Diſſimulandum interim non eſt, de hac Dionyſii epiſtola, quam in Synodo Antiochena recitatam, atque ad Eccleſias cum Synodali Encyclica tranſmiſſam fuiſſe novimus, gravem hodieque eſſe inter Criticos ſacros diſputationem. Duplex ea quidem ſub Dionyſii nomine in Bibliothecis Patrum legitur, quarum altera inſcribitur: *Epiſtola ad Synodum Antiochenam adverſus Paulum Samoſatenum:* altera verò hanc praeſefert Epigraphen: *Epiſtola ad Paulum Samoſatenum unà cum reſponſionibus ad Pauli Samoſateni decem quaeſtiones.* Ab ipſone Dionyſio conſcriptae ſint ejuſcemodi Literae, an à poſteriori manu ſeu conditae, ſeu interpolatae, in controverſiam venit. Eorum qui utramque Alexandrino Dionyſio adjudicarunt, Turrianus familiam ducit; aliis tamen accuratoribus Criticis contra ſentientibus. Quorum contentionem dirimere haudquaquam inſtituti noſtri eſt, multòque minus hanc illamve ſinceram & genuinam adſtruere: ſiquidem teſtimonio Euſebii, & Encyclicae Antiochenae illud certò novimus, Dionyſium Alexandr. epiſtolam reipſa ſcripſiſſe aliquam, atque adeò in Pauli damnatione ſervatum eum ordinem

 fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, qui in Eccleſiarum conſenſione verſatur. Unde Paulus cum Artemone magiſtro ſuo, cujus impietatem reſtaurare molitus fuerat, à Dionyſio & à ceteris Eccleſiis velut haereticus habitus eſt.

VIII. Hujus igitur Collationis decreto, id potiſſimum rogante Firmiliano, factum eſt, ut dogma quod pridem Zephirinus cum Eccleſiarum omnium ſuffragiis proſcripſerat, iterum anathemate configeretur. Nam quum Paulus Samoſatenſis Palinodiam errorum atque emendationem polliceretur, ſimul etiam perſpecta eſſet Patribus Odenati, ac Zenobiae in Haereſiarcham propenſio illique paratiſſimus favor, optimum factu viſum eſt Firmiliano, ſi declinandae ſaevioris perſecutionis gratia nihil durius in perſonam Pauli decerneretur. Innuit id Antiochena Encyclica, quae cum infractum & planè Apoſtolicum Dionyſii Alexandrini vigorem, quo velut cum Artemonis pertinaciſſimo aſſecla, communicare cum Paulo, eique in epiſtola vel ſalutem dicere detrectaverat, ſingulari commendatione & laude affeciſſet, ita ſubinde proſequitur. *Firmilianus verò cum bis Antiochiam veniſſet, damnavit quidem dogmatis ab illo invecti novitatem, ut teſtamur nos, qui adfuimus, & alii plures perinde ac nos optimè norunt. Sed cum ille, mutaturum ſe ſententiam promiſiſſet, credens ei Firmilianus, ſperanſque ſine ullo Religionis noſtrae probro atque diſpendio rem optimè poſſe conſtitui, diſtulit ſententiam ſuam, deceptus ſcilicet ab homine, qui Deum ac Dominum ſuum negabat, & qui fidem quam antea profitebatur, violaverat.* Sua igitur Firmilianum moderatio fefellit, eòque illum abs re impulit, ut Haereſiarchae emendationem ſpondenti faciliùs quam par erat, fidem adhiberet.

IX. Interim uterque Dionyſius conſilium illud viriliter tenuerunt, quo Paulum velut haereticum à Chriſtiana communione depellere coeperant. Tum enim conſtitit ſaluberrimos Eccleſiaſticae Oeconomiae limites haudquaquam à Firmiliano ſervatos fuiſſe, quum & Synodus illorum ſententiam ratam habuit, atque hac diſciplina utendum fuiſſe, rei eventus declaravit. De hac utriuſque Dionyſii contra Paulum aeſtimatione & judicio

appo-

Digitized by Google

appoſitè ſcripſit S. Athanaſius in lib. de Synod. Arimin. & Seleuc. *Duo enim Dionyſii ante annos LXX. fuere, qui Samoſatenſem ſuſtulere, quorum alter Romae, alter Alexandriae fuere.* Quod de hac Antiochena prima Collatione omnino accipiendum eſt: quippè poſterior celebrata eſt, quum alter Dionyſius jam pridem obiiſſet, alter verò Romanus Pontifex anno 269. nimirum ante exitum magni hujus Concilii humanis exceſſerit. Valuit igitur primum, tum ſubinde obtinuit illorum de Paulo ſententia: praeſertim cum Firmilianus contrarium quidem ſenſerit, ſed ut ipſi Antiocheni Patres in Encyclica atteſtati ſunt, *deceptus ab homine, qui Deum ac Dominum ſuum negabat, & qui fidem quam antea profitebatur, violaverat.* Atque haec, quantum colligere licuit, acta ſunt Prioris Antiocheni Concilii ad Paulicianam impietatem comprimendam.

§. III.

De Perjuriis Pauli Samoſateni, imperante in ſolidum Zenobia, deque nova Collatione Synodi Antiochenae.

SYNOPSIS.

I. *Zenobia in ſolidum regnante, & Aegypti expugnationem meditante etiam ope Judaeorum, Paulus ſuam haereſim animoſius ſpargit.* II. *Hymnos Eccleſiaſticos de Chriſto Deo abrogat, & Epiſcopis per vim ac metum inſultat.* III. *Firmilianus iterum regreditur Antiochiam.* IV. *Rei diſcuſſionem committit Epiſcopis Syriae.* V. *Ii Hieroſolymis adunati Synodalem Encyclicam ſcribunt.* VI. *Expenditur haec Encyclica ad Paulum Samoſatenum.* VII. *Nihil ea profecit apud Haereſiarcham & aſſeclas.* VIII. *Pauli condemnatio ceteris per Orbem Epiſcopis denunciata fuiſſe videtur.*

Digitized by Google

I. FIrmiliani indulgentior de Paulo ſententia tam parum bonae frugis attulit Haereſiarchae, ut cum eadem fretus Epiſcopalem honorem retinuerit, tum ſoluta Collatione prima Antiochena, novis auctus divitiis, & propenſiore Zenobiae affectu & patrocinio elatus, horrendo perjurii crimine impietatem priſtinam ſuam opera Sectatorum diſſeminare & palam ipſe propugnare, per vim ac metum oppreſſis rectae fidei aſſertoribus, ſine ullo contradictore inſtiterit. Hos animos illi fecit Zenobia, cui Odenatus, poſt quartum Regni annum proditione ſublatus, integrum Orientale imperium ann. 267. regundum dimiſerat. De quo Trebellius Pollio in duobus Galliënis cap. 13. ſcribit. *Odenatus inſidiis conſobrini ſui interemtus eſt cum filio Herode, quem & ipſum Imperatorem appellaverat. Tum Zenobia uxor ejus, quod parvuli eſſent filii ejus qui ſupererant, Herennius & Timolaus, ipſa ſuſcepit imperium, diuque rexit non muliebriter, neque more foemineo.* Verè id quidem. Namque ſatis non habuit ampliſſimas Orientis Provincias ab Odenato ſubactas tenere, ſed ad invadendam Aegyptum, ceteraſque finitimas Romani imperii Provincias ſubjugandas animum appulit, ingentemque militarem apparatum inſtruxit, auxit, & ad hoc inſolens tentamentum magnis ſumtibus ſuſtentavit. E Syria per Palaeſtinam facilis ad Aegyptum erat commeatus: atque illud percommodum accidebat, quod Regina Judaeis pronior effecta, non eos tantùm in exercitu milites aleret, ſed longè plures in Alexandrino & Cyrenaïco Tractu ejus generis homines commorantes ita ſibi devinxiſſet, ut ſin minus armis, tumultibus ſaltem & ſeditionibus facilè ejuſdem votis obſecundarent. Judaeorum praeſertim Alexandrinorum genus pertinax & audax, atque ad tumultus ciëndos fuiſſe comparatiſſimum, notarunt poſt Joſephum Scriptores. Quapropter Paulus Samoſatenus tantopere Judaeis favit vel ipſa Religione ſua & impio dogmate, ut Ducenarius à Regina crearetur, magnaque ſeveritate pecuniis corrogatis, illi inter paucos charus, liberrimè quidquid liberet, aggredi aut exequi potuerit. Atque intantum Zenobiae ſeu virium ſeu machinationum fama percrebuit, ut Romani metu perculſi, quum ſublato Galliëno imbelli

belli Principe, Claudium anno 268. elegiſſent Imperatorem, inter ceteras de more acclamationes, illud quamvehementer expetierint publicis votis, ut adverſum Zenobiam Romano Imperio inſultantem bellicam extemplò ſuſciperet expeditionem. Quod lubet enarrare verbis Pollionis, in Claudio ſcribentis. *Nam cum eſſet nunciatum nono Calendas Aprileis ipſo in Sacrario Matris ſanguinis die, Claudium Imperatorem factum, neque cogi Senatus ſacrorum celebrandorum cauſſa poſſet, ſumtis togis, itum eſt ad Apollinis templum, ac lectis Literis Claudii Principis, haec in Claudium dicta ſunt: Auguſte Claudi, Dii te nobis praeſtent: dictum ſexagies. Claudi Auguſte, Principe te, aut qualis tu es, ſemper optavimus: dictum quadragies. Claudi Auguſte, te Reſpublica requirebat: dictum quadragies. Claudi Auguſte, tu Frater, tu Pater, tu Amicus, tu bonus Senator, tu verè Princeps: dictum octuagies. Claudi Auguſte, tu nos ab Aureolo vindica: dictum quinquies. Claudi Auguſte, tu nos à Zenobia, & à Victoria libera: dictum ſepties.* Certè idem Pollio ſupra avarum ac tenax faemineum genus Zenobiam corrogandis pecuniis addictam fuiſſe ſcribit: ut propterea mirum non ſit, ſi Paulus Ducenarii munere inſignitus, eoque ſtrenuè naviterque perfunctus, tantopere illius patrocinio ſit elatus.

II. Suae igitur fortunae compos Haereſiarcha, illicet contra datam Antiochenis Patribus fidem ad irreligioſa atque impia ſua dogmata propugnanda reſiliit. Tum illud hauddubiè contigit, ut obliteratis hymnis ſanctioribus, quibus divina Verbi natura celebrari conſueverat, alios ad ſui ipſius commendationem ſubſtituerit, quos & Clerici & Fideles promiſcuè omnes Eccleſiarum Orientalium in Paſchali ſollennitate decantarent. Contigit & illud ſanè univerſae rei Chriſtianae periculoſum, ut haeretici hominis impotentia ac tyrannide preſſi Urbium vicinarum Epiſcopi manus darent, atque integrum Paulo facerent, Chriſtum velut purum, nudumque hominem praedicare, & hypocriſi depoſità, Zenobiae ac Judaeis impudenter & nefariè adblandiri.

III. Hinc in ampliſſimo Tractu Antiocheno nuſquam periclitari magis & peſſum ire fides Religioque viſa eſt, quam perditiſſi-

ditiſſimae hujus conſpirationis tempeſtate. Firmilianus ab Epiſcopis primae Antiochenae Collationis admonitus, iterum Antiochiam peragravit, Synodum celebraturus. Sed nihil ipſe, nihil Epiſcopi quos collegerat, profecerunt, quando ad Pauli nutum & Zenobiae favorem agebantur omnia. De hoc altero Firmiliani adventu non aliter exiſtimandum arbitror, quam ob praeſentem occaſionem, in qua & benignioris decreti cujus ipſe autor fuerat, exitum videbat; & perjuri hominis ſtrophis doliſque perſpectis, ſeverius tandem aliquid providendum eſſe, non invitus fatebatur.

IV. Attamen numeroſioris Conventus celebrandi ademta ferè ſpes erat, quum Syriae omnium & Orientis Provinciarum Epiſcopi Zenobiae repugnare non poſſent, eòque minus in Concilium adunari ad cauſſam praepotentis Haereſiarchae definiendam. Quò igitur ſeſe verteret Firmilianus, aut quid conſilii capeſſeret? An non id reliquum erat, ut diſſitas Orbis Eccleſias atque imprimis Orientales Encyclicis Literis vocaret ad conſenſionem? Ita planè conſultius cenſuit. Rem coepit delegare aliquot Syriae Epiſcopis, qui unà ſimul deliberarent, qua ratione pertinaciſſimo homini modum facerent. Quod in peculiari aliqua Collatione, quae inter Concilium Antiochenum anni 265. & alterum anni 269. interceſſerit, fuiſſe ab Epiſcopis determinatum, & res ipſa ſuadet, & fateri cogit Euſebius, qui quum acta omnia Antiochena haberet prae manibus, ſcripſit tamen, Epiſcopos illos *vario tempore, & ſaepènumero coiſſe*.

V. Itaque Epiſcopi illi plerique omnes Metropolitae, qui primae Collationi interfuerant, & praeeunte Firmiliano, benigniori in Paulum decreto ſubſcripſerant, in idem propoſitum conſpiravere, ut quod penitùs unicèque tentandum ſupererat, cauſſam circularibus Literis terminare niterentur. Cujus rei gratia Hieroſolymis opinor convenerunt: ſiquidem in ipſa epiſtolae Synodicae inſcriptione primus occurrit Hymenaeus Hieroſolymitanus Antiſtes, poſt quem aliorum quinque Praeſulum nomina leguntur. Id autem ferebant mores hujus aevi, ut loci Epiſcopus non tam in Conciliari ſeſſione, quàm in ipſis actis Synodalibus

Digitized by Google

dalibus primum locum occuparet. Exarata unanimiter fuit epiſtola ad Paulum Samoſatenum dirigenda, cui pariter ut ſubſcriberet, diſtrictè mandatum eſt. Prudenter id quidem, & ut res ferebant, appoſitè. Horum enim alterum conſequi oportebat: vel Synodicae renuebat ſubſcribere Paulus; & ſententia in Artemonem ac Theodotum Coriarium vulgata, velut ejuſdem impietatis conſors, innodatus manſiſſet; vel quum per hypocriſim ſubſcripſiſſet, in eadem impietate horrendo cum perjurio perſeverabat; & documentum oppidò luculentum habituri erant Patres in ipſa ejus profeſſione & ſubſcriptione, quò ſive in pleniore Synodo, ſive in circularibus Literis contumaciam hominis univerſo Orbi patefacerent; vel denique Catholicam profeſſionem ſincerè & ex animo ſuſcipiebat: & fuiſſet quod ſibi, quod Eccleſiae gratularentur Patres, compreſſam nimirum eſſe factionem, Religioni totique rei Chriſtianae quammaximè periculoſam.

VI. Legitur Synodica haec epiſtola in Tom. II. Biblioth. Patrum pag. 302. cum hac Epigraphe Graeco-Lat. *Exemplum epiſtolae miſſae Paulo Samoſatenſi ab Ortodoxis Epiſcopis Synodi Antiochenae priuſquam deponeretur*. Epiſtolae autem initium eſt hujuſmodi. *Hymenaeus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proclus, Bolanus, Paulo in Chriſto ſalutem. Jam quidem in congreſſum & colloquium inter nos venimus, ac fidem noſtram oſtendimus. Ut verò maniſeſtius fiat, quid quiſque ſentiat, ut ea quae in quaeſtionem ac dubitationem vocantur, certiorem exitum accipiant, decrevimus fidem ſcripto edere & exponere, quam à principio accepimus, & habemus traditam & ſervatam in Catholica & ſancta Eccleſia uſque in hodiernum diem à beatis Apoſtolis, qui viderunt ipſi & miniſtri fuerunt Verbi, praedicatam à Lege & Prophetis, ac novo Teſtamento*. In hoc Synodicae exordio mentem intendunt Patres ad primam Collationem Antiochenam, atque apertè ſupponunt, Haereſiarcham recenter & poſt datam reſipiſcendi fidem, plurimum tamen allaboraſſe, ſuam ut haereſim ſtabiliret. Quapropter ſumma capita Orthodoxae fidei perſpicuè explicant, & an illa eadem profiteri ipſe velit, expoſcunt. Quin etiam hoſce articulos ab Apo-

 ſtolis,

Digitized by Google

ſtolis, atque in utroque Teſtamento probatos aiunt, quò Artemonem, & cum ipſo ſentientes tacitè redarguant, qui nimirum ſua impia placita ab Apoſtolis tradita gloriabantur, atque in Novo Tto, ipſorum ſcilicet opera interpolato, inſinuari & doceri: quemadmodum ex Caii opuſculo contra Artemonem, apud Euſebium lib. 5. cap. 28. ſuperiùs obſervavimus. Jam verò progrediuntur ad articulos Trinitatis & Perſonalitatum divinarum explicandos juxta receptam atque immutatam Eccleſiarum profeſſionem: deque aeterni Verbi natura appoſitè ad Haereſiarchae impietatem refellendam ita decernunt eſſe credendum. *Hunc autem Filium genitum, unigenitum, imaginem Dei inviſibilis, primogenitum omnis creaturae, ſapientiam, & Verbum, ac virtutem Dei ante ſecula, non praecognitione, ſed ſubſtantia, & hypoſtaſi Deum, Dei Filium cum in V. & in N. Tto cognoverimus, confitemur, & praedicamus. Qui autem contradicit, Filium Dei non eſſe Deum ante conſtitutionem Mundi, dicitque credere & confiteri duos praedicari Deos, ſi Filius Dei praedicetur Deus, hunc alienum eſſe ab Eccleſiaſtica regula arbitramur; & omnes Eccleſiae Catholicae nobiſcum conſentiunt.* Quod quum variis Sacrorum Bibliorum teſtimoniis commonſtraſſent, ita demum concludunt. *Scire volumus, an eadem nobiſcum ſentias & doceas: & ut nobis ſignifices, an iis quae ſuperiùs ſcripſimus, aſſentiaris, an non.*

VII. Exitus Synodicae hujus ignoratur. Colligere tamen ex Actis poſſumus, Haereſiarcham improbè ſuperbientem, & ſeculari poteſtate nixum, hanc Synodalem denunciationem ludibrio habuiſſe atque eſſe aſpernatum: quippe depoſita Religionis & pietatis larva, priſtinam ſuam impietatem non tam mente retinuit, quàm aliis perſuadere deinceps conatus eſt. Certè oblatae ſibi huic profeſſioni contraria ſenſiſſe, & docuiſſe aſſeclas ſuos, vel inde conſtat, quod in diſputatione, quam cum Malchione diſſertiſſimo Eccleſiae Antiochenae Preſbytero in ultima Collatione habuit, ſumma eadem prioris haereſeos capita publicè non erubuit propugnare, quae in hac epiſtola ejuranda ſex Epiſcopi propoſuerunt: & ex adverſo articulos illos refellere, qui velut Orthodoxi fuerant in eadem explicati.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Fruſtra igitur quum fuerint Epiſcopi Conventus Hieroſolymitani, quorum autoritatem & grave judicium aſpernatus Paulus, tantum abfuit ut fidem in prima Collatione datam ſervaret, ut contumacius ſemper eandem defenderit haereſim, non eſt, opinor, dubitandum ab iiſdem denunciatam extemplò fuiſſe praedamnati haeretici pervicaciam tum Dionyſio Romano Pontifici, tum Maximo qui in locum Alexandrini Dionyſii ſucceſſerat, tum denique ceteris per Orbem Epiſcopis, quatenus graviſſimam perniciem abs Tractu Antiocheno, atque ab Eccleſiis Syriae depellere ſuis Literis allaborarent. Quos equidem pro fidei indemnitate & ſalute Fidelium ſummo ſtudio ac zelo in hac cauſſa verſatos eſſe, colligere vel ex eo pronum eſt, quod ſequens Antiochena Collatio, de qua infra paullò accuratius, ad illos Literas exaraverit.

§. IV.

De ultima Collatione Antiochena, in qua Encyclica conſcribitur, & Haereſiarcha damnatur.

SYNOPSIS.

I. *Temporum conditio enarratur, & quemadmodum datus ſit locus à Zenobia Conventui Antiocheno.* II. *Libertatem Religionis indulget Chriſtianis: & initur publica diſputatio Malchionis Presbyteri cum Paulo Haereſiarcha.* III. *Quo verè anno haec Collatio Antiochena ſit habita.* IV. *Haberi non potuit ante annum* 270. V. *Qui fuerit Epiſcoporum aſſidentium numerus.* VI. *Interfuerunt cum Firmiliano praecipui Metropolitae.* VII. *Inquiritur quis praeſederit, & quae potiſſimum acta ſint.* VIII. *Eadem teſtimonio Euſebii expenduntur.* IX. *Diſputatio Malchionis plurimi habita à ſacris Tractatoribus.* X. *Domnus ordinatur Pauli ſucceſſor.* XI. *Dilata ſententiae executio uſque dum inclinari coepit fortuna Zenobiae.*

I. Sy-

I. SYnodus ſeu Collatio Antiochena, in qua Paulus haereticus pronunciatus eſt, ejus haereſis proſcripta, & Encyclica ad Eccleſias exarata, adeò & poſteriorum Conciliorum commendatione, & Patrum uſu celebrata eſt, ut cum ipſi Nicaeni Patres adversùs Arium, cujus pene eadem fuit ac Pauli haereſis, decernerent, decreti Antiocheni veſtigia prefſerint, tum innumeri deinceps Epiſcoporum conventus, ducti ejuſdem Antiochenae Synodi autoritate, eandem in haereticum hominem ſententiam confirmarint. Ut igitur quemadmodum compreſſa fuerit Haereſiarchae ſuperba praeſumtio, & Epiſcopi Orientis celeberrimi in hanc Synodum convenerint, accuratius perſpiciamus, conditio & viciſſitudo temporum eſt attendenda. Zenobia vix manum admovit Imperii gubernaculis [quod minorennium Filiorum nomine rexit, ut prolixè in opuſculo de XXX. Tyrannis, atque in vita Claudii prodidit Trebellius Pollio] quum ad illud ipſum ampliſſimam in Aegypti Provincias expeditionem inſtituit, ulteriores etiam victorias ſibi auſpicata, perinde ac ſi primi belli eventus jam deſiderio & votis reſpondiſſet. Certè ad ſe jure haereditario pertinere Aegyptum arbitrabatur Regina. Nam ut laudatus Pollio obſervat, genus illa ſuum à Cleopatra duci jactabat: quod etiam Valerianum quem deviceerat, alloquens affirmare non dubitavit; atque inde probare, ſe non tyrannide, ſed quod jure Gentium fas erat, avitam poſſeſſionem ſuam recuperaſſe. Enarrat autem Zoſimus lib. I. geſtum à Zenobia bellum, bellique ingentem apparatum, & felicem exitum. Unde cap. 45. aït. *Aegypto Palmyrenorum in poteſtatem redacta*. Affirmat quoque bellum hoc anno 269. ſub Claudio geſtum, tametſi Pollio in vita Claudii ſimplicem ſeditionem, eamque brevi compreſſam eſſe ſcribat. Quum enim Gothicum bellum à Claudio ſuſceptum & non infeliciter terminatum deſcripſiſſet, extemplò ſubjungit. *Dum haec à Divo Claudio aguntur, Palmyreni ducibus Saba & Timogene, contra Aegyptios bellum ſumunt, atque ab his Aegyptia pervicacia, & indefeſſa pugnandi continuatione vincuntur. Dux tamen Aegyptiorum Probatus Timogenis inſidiis interemtus eſt. Aegyptii verò omnes ſe Romano*

no

no Imperatori dediderunt, in abſentis Claudii verba jurantes. Claudio ne fatis functo, Imperiumque regente Valeriano, bellum adversùs Aegyptios proſecuta ſit Zenobia, non explicant iidem Scriptores: quamvis affirment, eandem annus Claudii poſtremo, & Aureliani primo; qui fuit anno Chr. 270., non ignaram, ſibi Romanos omnes eſſe infenſiſſimos, totam bellico apparatui incubuiſſe, ac demum Aureliani exercitibus viriliter obſtitiſſe.

II. Zenobia iis conſiliis diſtenta, animadvertens ingentem Chriſtianorum multitudinem in Tractu Antiocheno Paulo Epiſcopo atque aulico refragari, conſultius cenſuit, ne aliquando inteſtinis ſeditionibus perturbata, Romanis adventantibus cedere cogeretur, liberam Chriſtianis facultatem largiri eorum omnium agundorum, quae ad Religionem pertinerent. Malchion Eccleſiae Antiochenae Preſbyter primus fuit, qui inſultanti Haereſiarchae intrepida fronte & ſemper obſtiterat, & nunc demum publicam indicit coram Epiſcopis diſputationem. Probro Sophiſtis vertebatur, quorum & ſedes & major frequentia erat Antiochiae, publicas ſibi oblatas de placito aliquo aut dogmate diſputationes non acceptare & inire. Quocirca Paulus Sophiſtae magis, quam Epiſcopi profeſſione tumidus & gloriabundus, propoſitam ſibi à Malchione, egregio itidem Sophiſta, diſputationem ſuſcipere non detrectavit. Itaque Clerus Antiochenus Epiſcopos Catholicae partis & ejuſdem fidei conſortes advocavit: ſuae quoque Sectae profeſſores evocavit Haereſiarcha; conventuſque longe numeroſior & ſollennior eſt celebratus*.

III. Illuſtris hujus Synodi Epocha incidit in ann. Chr. 270., quo ſcilicet pertinacius bellum Aegyptios inter & Palmyrenos exarſit. Quo de anno certos nos facit libellus denunciativus, quem CPli adversùs Neſtorium tunc contumacem haereticum vulgavit Euſebius laïcus, poſtea Eccleſiae Doryleenſis Epiſcopus; quique legitur in Part. I. Actor. Concil. Epheſini, atque ad rem noſtram ſic habet. *Quicunque ſchedam hanc accepturi ſunt, eos per Sacroſanctam Trinitatem adjuro obteſtorque, ut eandem Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, Lectoribus, necnon & Laicis quoque CPli habitantibus*

tantibus oſtendant, ejuſdemque exemplum ad evidentem Haeretici Neſtorii confuſionem eiſdem impertiantur, ut qui eadem prorsùs ſentiat, quae Paulus Samoſatenus, ante centum ſexaginta annos à Catholicis Epiſcopis anathemate condemnatus. Porrò cum hic libellus per ea tempora vulgatus ſit, quibus haereticus Neſtorius verecundia metuque poſito, errores ſuos CPli. palam docere inſtituerat: affirmet autem Cyrillus Alexandrinus, Neſtorium anno 428. aſſeclis ſuis inſinuare haereſim coepiſſe; fretum deinde Aulae potentia ann. 429. in apertum erupiſſe, & tum habitis ad Populum concionibus, tum miſſis in Aſiam ejuſdem impietatis profeſſoribus, nihil non attentaſſe, ut haereticalem Sectam pertinacius ſtatueret; planè conſequitur, libellum eundem conteſtatorium & denunciativum hoc anno 429. fuiſſe ab Euſebio vulgatum. Jam verò ſi annos 160. ſubducas, qui ab Antiocheni Concilii celebratione uſque ad libelli publicationem fluxerunt, annus erit 269. completus, cujus ſequenti hocce Concilium celebratum eſt.

IV. Accedit ad eandem Concilii Epocham ſtabiliendam, quod Euſebius Diaconus Dionyſii Alexandrini (quem ipſemet Dionyſius laudat in. epiſt. ad Domitium, apud Euſebium ibid. cap. 11.) & Anatolius Preſbyter Alexandrinus, quos Malchio Antiochenus evocaverat, ut diſputationi contra Paulum Samoſatenum intereſſent, nequaquam Alexandria diſcedere potuerint, niſi poſt devictos à Romanis Palmyrenos Aegypti invaſores, & poſt ſolutam Alexandrinam obſidionem, quae magno Scriptorum conſenſu ſub initium anni 270. incurrit: ut propterea hoc eodem anno habita fuerit Collatio Antiochena neceſſe ſit. Certe duos illos virôs pietate ac doctrina celeberrimos, quorum acta ejuſdem Lib. cap. 32. prodit Euſebius, Alexandriae commoratos eſſe, ibique Chriſtianae caritatis documenta plurima exhibuiſſe conſtat, dum inter Probum Romanum Ducem, & Timogenem Aegyptium Zenobiae adminiſtrum Alexandriae contendebatur. Rebus autem compoſitis, & jurantibus Aegyptiis in verba Claudii Imperatoris abſentis, tunc demum iter ad Synodum Antiochenam capeſſiviſſe Anatolium, ſcribit conceptis verbis Hiſtori-

cus.

cus. *Poſteà verò cum eum Synodus adverſùs Paulum congregata Antiochiam evocaſſet, per Urbem Laodiceam iter faciens, à Fratribus illius loci, mortuo tunc Euſebio, detentus eſt.* Igitur ante annum 270. habita non eſt poſtrema Collatio Antiochena.

V. Celebritatem & frequentiam Synodi, numerumque Epiſcoporum generatim perſtringit Euſebius cap. 29. ubi enarrata Aureliani electione, ſubjungit. *Hujus temporibus poſtrema Synodus innumerabilium ferè Epiſcoporum congregata eſt.* Quod quidem non ita eſt intelligendum, ut tanta eſſet Epiſcoporum frequentia, cujus numerus iniri non poſſet; ſed quod multi interfuerint Synodo, plurimi verò vel in ſuorum Metropolitanorum ac Primatum perſonis repraeſentati, vel propriis publicis ſcriptis ſuam de Incarnati Divini Verbi dogmate perſuaſionem, & cum Synodalibus decretis conſenſionem ſint atteſtati, ut paullò infra docebimus contigiſſe. Athanaſius Epiſcopos LXX. interfuiſſe ſcribit, quorum, ut opinor, aliqui in prima Collatione fuerant, plerique verò cum aliis in hac, qua de agimus, adfuerunt. Hinc quum vario tempore, variiſque conventibus ab anno 265. uſque ad annum 273. congregati ſint, atque alii praeter LXX. procul dubio convenerint, nonnullis Scriptoribus viſum eſt, omnium Epiſcoporum numerum ad 180. redigendum eſſe. Hic autem Catholicorum numerus fuit. Nam & Epiſcopos Paulicianos, qui ut Encyclicae autores produnt, Haereſiarchae dederant manus, Synodo adfuiſſe, nemo inficias iverit, qui accuratè norit receptam in publicis diſputationibus conſuetudinem, qua Sophiſtae nonnullos ſecum ducebant, velut aſſeſſores & adjutores, qui à ſecunda appellati ſunt: ducebant etiam pro utraque parte affectos auditores, qui diſputantibus acclamarent. Equidem utriuſque partis Epiſcopos in Synodum coïviſſe, inſinuant quae ſupra laudavimus Euſebii Doryleenſis verba, ſcribentis, *Paulum à Catholicis Epiſcopis damnatum:* ipſaque Encyclica, ut diximus, diſſertè affirmat. Hilarius autem in lib. de Synod. Patres LXXX. enumerat, ſcribens. *Octuaginta Epiſcopi olim ὁμοούσιον reſpuerunt, ſed CCCXVIII. nuper receperunt.* Hilarium tot reipſa Epiſcopos crediſſe illius Collationis, in qua

à voce

à voce *ὁμοούσιος* propter Haereticorum abuſum temperari deinceps oportere ſancitum eſt, vel ex eo argumentari juvat, quod agens ille de numero Judicum decernentium, ut ferebatur, contrarium, minorem utique Antiochenorum numerum laudaſſet, ſi minor revera creditus eſſet. Hilarii ſententiam deſcribit, & probat Facundus Hermianenſis lib. 10. *Beatus Hilarius non hujus hominis verba privatim dicta, ſed publica decreta Concilii approbat, quibus LXXX. noſtri Patres pro Paulo Samoſateno repudiarunt, ut homouſius, ideſt unius eſſentiae cum Patre Filius vocaretur.* Monachi verò CPni, qui libellum conteſtatorium alterum de Neſtorii haereſi obtulerunt Theodoſio Imperatori, Patres annumerant CLXXX. Quod Euſebii teſtimonio magis eſt conſentaneum, qui ex actis ſuo tempore exſtantibus affirmat, innumerabiles Epiſcopos his Antiochenis Collationibus interfuiſſe.

VI. Ad hanc tertiam Collationem fuit pariter evocatus Firmilianus, qui quum Tarſum veniſſet, gravi morbo correptus diem obiit extremum. De illo in Encyclica quae ab hac Patrum Collatione edita eſt, ſic legimus. *Nunc quoque Antiochiam venturus erat Firmilianus, & jam Tarſum uſque pervenerat. Quippe improbitatem hominis Deum negantis antea fuerat expertus. Sed cum jam nos conveniſſemus, interea loci dum eum accerſimus, dum ejus adventum expectamus, abiit è vita.* Praecipui qui in hac Encyclica recenſentur Patres, ii ſunt. *Helenus, Hymenaeus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proculus, Nicomas, Aelianus, Paulus, Bolanus, Protogenes, Hierax, Eutychius, Theodorus, & Malchion, & Lucius, & reliqui omnes, qui nobiſcum ſunt, vicinarum Urbium & Provinciarum Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, & Eccleſiae Dei.* Nomine Eccleſiarum ipſam intelligunt Chriſtianam plebem, quae & diſputationi pro more interfuit, & paſſiva, ut aïunt, profeſſione ſua, ſe ita hactenus credidiſſe, ita à Majoribus ſuis credendum accepiſſe, teſtabatur.

VII. Acta porro celeberrimae hujus Synodi Antiochenae fuiſſe videntur ejuſmodi. Sacro Coetui fortaſſis praeſedit Helenus Tarſenſis Epiſcopus, ut qui eſſet Antiocheno Tractui Metropo-

tropplita vicinior ; ac poſt eum ſederunt Catholici Epiſcopi. Quam conjecturam, ut nihil dicamus de veteri Eccleſiarum conſuetudine & priſcis Canonibus, ſtabilit Libellus Synodicus, in quo de hoc Antiocheno Concilio legimus. *Synodus divina & ſacra Provincialis collecta, cujus Praeſes erat Helenus Tarſi Epiſcopus, Theodorus Mopſueſtiae, miraculorum effector Gregorius Caeſareae Ponti, Anatolius Laodiceae Hieroſophus, cujus de Paſchate Canones circumferuntur, & Malchion Antiochiae ſanctiſſimus: quae depoſuit, & abdicavit Paulum Samoſatenum, qui nihil aliud, quam Annas & Caiphas de Chriſto docuit.* Suis ex alia parte Paulus praeerat. Ad hunc modum conſtituta Seſſione, acta priorum Collationum, epiſtolae Epiſcoporum, & quaeſtiones antea jam agitatae, qui temporum mos erat, in medium afferuntur. Quae certè actio accuratè inſtituenda fuit cum Haereſiarcha ad hypocriſim comparatiſſimo, qui & olim Firmilianum deceperat, & novis perjuriis, novis artibus & fallendi modis inſtructus ad Synodum venerat. Imprimis acta Collationis ejus expendi oportuit, in qua VI. primores Epiſcopi fidei profeſſionem conſcripſerant, cui Paulus ſubſcribere abnuens, contumax & haereticus jam tum apparuerat. Quod cauſſae praejudicium ut à ſe ipſo depelleret, illud publica diſputatione oppugnaturus proſilit, cui Malchion reſpondit, & ſimul Lucius, Malchioni ut à ſecunda eſſet, comes adjunctus.

VIII. Sollennis mehercle & celeberrima fuit haec diſputatio, cujus acta deſcribit Euſebius Hiſt. lib. 7. cap. 29. Sic enim de illa loquitur. *In qua autor ille nefariae apud Antiochiam haereſeos Paulus, convictus, & ab omnibus manifeſtiſſimè deprehenſus falſi dogmatis reus ab univerſa quae ſub Coelo eſt, Eccleſia Catholica eliminatus eſt. Praecipuè verò illum coărguit, & latere cupientem confutavit Malchion quidam vir diſertiſſimus: quippe qui Sophiſticae apud Antiochiam ſcholae praefuerat: & qui ob fidei Chriſtianae ſinceritatem in ejus loci Eccleſia Presbyteri honorem erat conſecutus. Hic igitur adversùs Paulum ſuſcepta diſputatione, excipientibus cuncta Notariis (quae quidem diſputatio etiamnum exſtat) occultos hominis ſenſus fraudeſque detegere ſolus omnium valuit.* Eadem repetit S.Hie-

ro ny-

Digitized by Google

ronymus de Script. Eccl. in Malchione, cujus & acutae reſponſiones, & ſolidiſſima dogmatis ſanioris argumenta ſuo adhuc tempore in Eccleſiis aſſervabantur.

IX. Apud Sacros Tractatores poſterioris aevi ſummoperè aeſtimata eſt. haec Malchionis diſputatio non tam propter diſſerendi elegantiam, vim, & ſoliditatem, quàm quod diſputaturis adversùs multiplices Arianorum ſectas, & dogmatis veritatem demonſtraturis plurimum bonae frugis adferret. Leontius Byzantinus lib. 3. adversùs Neſtorium argumenta pariter ſumit ex ea diſputatione, & illius fragmentum deſcribit. Alterum quoque decerpſit Petrus Diaconus in lib. de Incarnat. ad Fulgentium cap. 3. Ut proinde dubitandum non ſit, quin Patres opus illud velut Conciliare placitum, aut ſaltem à Concilio probatum magni fecerint.

X. Victus igitur Paulus, atque haereſis pertinaciſſimae palam redargutus, ſententia depoſitionis multatus eſt, atque in ejus locum ad Sedem Antiochenam evectus eſt Domnus, de quo Patres in Encyclica ſcribunt. *Hunc igitur Deo bellum indicentem, nec cedere volentem, cum à communione noſtra abdicaſſemus, neceſſe habuimus alium ejus loco Eccleſiae Catholicae Epiſcopum ordinare, non abſque divina, ut credimus, providentia. Demetriani ſcilicet beatae memoriae Epiſcopi, qui ante hunc magna cum laude eandem rexit Eccleſiam, Filium Domnum, virum omnibus, quae Epiſcopum decent, dotibus exornatum. Quod quidem iccirco vobis ſignificavimus, ut ad eum ſcribatis, & ab eo communicatorias literas accipiatis.*

IX. Hic celeberrimi Antiocheni Concilii exitus fuit: cujus tamen in Paulum lata ſententia nequaquam executioni mandari potuit. Adhuc enim Zenobia Syriae atque Antiochiae dominabatur, & Paulo ſavebat uſque adeo, ut per eam non licuerit Haereſiarcham ex Epiſcopali domo depellere, atque ibi Domnum à Patribus Synodi electum introducere. Imò ſuperbiebat adhuc, & Catholicis inſultabat Paulus, nondum priſtinae tyrannidis ſuae & impotentiae oblitus, de qua ſcripſerant Encyclicae autores. *Sed potentiam ejus ac tyrannidem adeò reformi-*

Digitized by Google

formidant, ut accuſare illum non audeant. Sed fortuna quidem Zenobiam brevi deſtituit: quippe anno 271. Aurelianus, cum ceteris Orientis Urbibus Antiochiam invaſit, omnemque ferè Syriam, deditione ad Romanum Imperium redeuntem, in poteſtatem recepit, atque ipſam Reginam quam primum confugere Palmyram coëgerat, demum captivam tenuit. Quae omnia fusè à cap. 50. & ſeqq. complexus eſt Zoſimus. Epiſcopi igitur egerunt apud Aurelianum Antiochiae dominantem, ut ſuo edicto juberet, Paulum aedes quas occupabat, electo Catholico Antiſtiti tradere: quod ille praeſtitit. Hac de re malo habeantur Euſebii verba ſub finem cap. 30. *Igitur quum Paulus à recta fide ſimul & Epiſcopatu excidiſſet, Domnus, ut dictum eſt, adminiſtrationem Antiochenſis Eccleſiae ſuſcepit. Sed cum Paulus è domo Eccleſiae nullatenus excedere vellet, interpellatus Imperator Aurelianus rectiſſimè hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus Italici Chriſtiani Religionis Antiſtites, & Romanus Epiſcopus ſcriberent. Hoc modo vir ſupra memoratus cum ſummo dedecore per ſecularem poteſtatem ab Eccleſia exturbatus eſt.*

§. V.

De Encyclica Concilii Antiocheni.

SYNOPSIS.

I. Proponitur Encyclica Antiochena, & cur à Malchione exarata. II. Praemiſſum ante Encyclicam controverſiae examen cujuſmodi fuerit. III. Encyclicae adjunxerunt literas Dionyſii Alex., & diſputationem Malchionis. IV. Ad Romanum Pontificem & ad ceteras praecipuas Sedes tranſmittitur. V. Probatur ceu regula fidei à Pont. Felice Dionyſii ſucceſſore. VI. Poſt Victorias Aureliani Encyclica liberrimè pervagatur Orientem. VII. Aurelianus in Chriſtianos initio propenſus fuit. VIII. Encyclicae hujus magiſterium ſenſerunt vel ipſi Euſebiani. Certè propoſita eſt in Concilio Generali Nicaeno. IX. Ejuſdem autoritate pugnatum adverſus Arianos & Neſtorianos. X. Laudatur ſaepius ab Aſſertoribus Trinitatis.

I. QUae hactenus diſputata ſunt eò collineant omnia, ut huic ad quam aggredimur, diſputationi facilis acceſſus pararetur. Id reipſa & argumenti dignitas poſtulabat: ſiquidem haec una demum eſt inter alias Eccleſiae primitivae Encyclicas omnium, mea quidem ſententia, celeberrima, ex qua ſcilicet velut ab accuratiſſimo priſcae diſciplinae exemplari, quando etiam deeſſent cetera, ſatis luculenter formam Eccleſiaſtici judicii exercendi edocemur. Enimverò in ipſa condenda Encyclica mos ille vetuſtus deprehenditur, quo vel Preſbyter Eccleſiae illius in qua celebrabatur Concilium, ſi à Concilio vulganda eſſet Encyclica; vel Epiſcopus, ſi communi Eccleſiarum bono ab uno aliquo exaranda eſſet, id genus ſcripta aut elucubrabant, aut ſubſcriptione ſua firmabant. Quemadmodum Novatianus Romanae Eccleſiae Preſbyter, aut fortè Archidiaconus, confirmaturus Encyclicam in cauſ-

Digitized by Google

ſa Lapſorum à Cypriano editam, ipſe ceterorum nomine epiſtolam exaravit, Romanae Eccleſiae praelegit, ejuſque autoritate ad Cyprianum tranſmiſit. Sic igitur Antiochenum Concilium praeſentem, qua de agimus, Encyclicam à Malchione Antiocheno Presbytero elucubrari voluit, quam lectam & communi ſuffragio probatam Eccleſiis Orbis direxit. Qua de re ſcripſit. B. Hieronymus in opuſc. de Script. Eccl. in Malchione. *Malchion diſertiſſimus Eccleſiae Antiochenae Presbyter, quippe qui in eadem urbe Rhetoricam florentiſſimè docuerat, adversùs Paulum Samoſatenum, qui Antiochenae Eccleſiae Epiſcopus, dogma Artemonis inſtauraret, excipientibus Notariis diſputavit: qui dialogus uſque hodie exſtat. Sed & alia grandis epiſtola ex perſona Synodi ab eo ſcripta ad Dionyſium & Maximum Romanae & Alexandrinae Eccleſiae Epiſcopos dirigitur.*

II. Encyclicis inſuper ſolidum & accuratum examen praemittebatur. Moris veſtigia indicavimus in Cypriano, qui utrumque Encyclicum decretum ſive fiduciarium, ſive peremtorium editurus in cauſſa Lapſorum, multas circumquaque epiſtolas, multos ad remotiores Eccleſias collationem habituros Epiſcopos miſit. Haud aliter Patres Antiocheni anteaquam circularibus hiſce Literis cauſſam definirent, inſtituto multoties examine, plurimis ad rem quaeſtionibus diligenter ventilatis, & tandem ipſo Haereſiarcha ſollenni diſputatione convicto, nihil intentatum reliquere, quod ad dignitatem autoritatemque decreti faceret. Imò in ipſamet Encyclica, quam Hieronymus *grandem epiſtolam* appellat, deſcribi acta omnia voluerunt: cujus tamen fragmentum, idemque minimam partem complectens, Euſebius reſervavit. Quamquam differens ille initio cap. 30. de Epiſtolae argumento, non obſcurè ſignificat Concilii accurationem in rei totius examine praemittendo. *Omnes itaque in unum congregati Antiſtites, unam ex communi ſententia ad Dionyſium Romanae Urbis Epiſcopum, & ad Maximum Alexandrinum ſcripſerunt epiſtolam: eamque ad omnes deinde Provincias tranſmiſerunt, tum ut ſtudium ſuum ac diligentiam omnibus declararent, tum ut perverſum Pauli dogma, confutationes quoque & diſputationes adverſus illum habitas;*

Digitized by Google

cunctamque hominis vitam ac mores exponerent. Adde quod non aliter ac Cyprianus epiſtolas XIII. ſcripſit, anteaquam Fiduciarium decretum evulgaret, ſic Patres Antiocheni non priùs Encyclicam conſcripſere, quam plurimarum Eccleſiarum fidem literis ſuis exploraſſent. Quapropter paullò poſt initium Encyclicae, *ſcripſimus*, inquiunt, *etiam ad complures Epiſcopos longe diſſitos: eoſque hortati ſumus, ut ad exitialis doctrinae morbum curandum accederent.*

III. Sed praeclarius illud eſt inſtituti examinis & Eccleſiaſticae moderationis documentum, quod aïunt, huic ſe Encyclicae adtexere Literas Dionyſii Alexandrini, atque integram Malchionis diſputationem. De Literis quidem Dionyſii ipſa Encyclica perſpicuè atteſtatur: quod autem ad diſputationem attinet, colligere id licet ex Patrum verbis illis. *Etenim Filium Dei è Coelo deſcendiſſe, nobiſcum confiteri renuit: neque id ſimplici aſſertione noſtra, ſed ex ipſis quae ad vos miſſimus, geſtis non ſemel declaratur: maximè verò ubi dicit*, *Jeſum Chriſtum è terra ortum fuiſſe*. Quod fuit à Paulo in diſputatione ipſa pertinaciter affirmatum. Unde ad improbitatem Haereſiarchae ex ſua ipſius confeſſione & aſſertione patefaciendam conſultiſſimè cenſuerunt, acta ipſa ſeu exemplaria diſputationis ad principaliores Eccleſias tranſmittenda, ex quibus hypocriſim & fraudes, quibus ut Catholicus videretur, uſus Paulus fuerat, citra dubitationem agnoſcerent.

IV. Ut autem Eccleſiae totius, Capitis ſcilicet & membrorum conſenſionem, in qua magiſterium ſitum eſt, Encyclica obtineret, eam ad Dionyſium Romanum Pontificem, tum ad Maximum Alexandrinum, ac deinde ad omnes Chriſtiani Orbis Eccleſias miſerunt. Id docet cap. 30. ibid. Euſebius qui aït, Dionyſio Romano, & Maximo Alexandrino datam Epiſtolam, *eamque ad omnes deinde Provincias tranſmiſerunt*. Titulus ipſemet Encyclicae id diſertè continet. *Dionyſio, & Maximo, & omnibus per univerſum Orbem Comminiſtris noſtris, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, & univerſae Eccleſiae Catholicae, quae ſub Coelo eſt.* Neque verò ſatis acutè rem aeſtimavit Cl. Pearſonius in opere de Pontificum Romanorum ſucceſſione, ubi hanc Encyclicae inſcriptionem ea de cauſſa ſolicitat, quod Dionyſius men-

ſe Decembris anni ſup. 269. obierit: neque veroſimile videatur, Concilium Antiochenum tandiu ignoraſſe ejus obitum, & ſecutam Felicis electionem. Quod equidem mirum non accidet, ſi temporum illorum conditionem memoria repetamus, quando itinera omnia exercitibus occupata, & ob bellicorum motuum ſuſpiciones impedita, locum Chriſtianis adimebant mittendarum ultro citroque Literarum, ab uno ſcilicet ad alterum imperium, odiis invicem atque armis concitatum. De Romani Populi in Zenobiam aſtu & furore teſtimonia ſuperiùs dedimus. Sed & illud accedebat, quod Aurelianus in Pannonias magnis exercitibus contenderet, ſcribente Zoſimo. *Aurelianus, confirmato Imperio, cum Roma moviſſet, Aquilejam contendit, & inde Pannonicas ad nationes acceſſit, quas à Scythis invadi cognoverat*. Ii quos Scythas appellat Zoſimus, Gothi erant, à locis quae per id temporis inſederant, Scythae appellati. Non igitur integrum Eccleſiae Romanae erat Literas de obitu Dionyſii, & de Felicis ſucceſſoris electione ad Antiochenos tranſmittere, ne duobus Populis de ſumma Imperii contendentibus ſuſpicionem occultae alicujus proditionis crearent: praeſertim, quum, ut Vopiſcus & Zoſimus atteſtantur, ſuſpicaciſſimus fuerit Aurelianus, & gladio non ſemel animadverterit in Senatores, & in alios proditionis aut apertè reos, aut falsò incuſatos. Verba ſunt Vopiſci in Aureliano cap. 21. *Finito proelio Marcomannorum, plenus irarum Romam petiit vindictae cupidus, quam ſeditionum aſperitas ſuggerebat. Interfecti ſunt enim nonnulli etiam nobiles Senatores*. Idem autem Hiſtoricus ſcripſerat in cap. 18. *In illo autem timore, quo Marcomanni cuncta vaſtabant, ingentes Romae ſeditiones motae ſunt*. Sub idem tempus, referente Pollione, Tetricus, Poſtumus, & Victorinus Tyranni de Imperio contendebant. Quod Zoſimo etiam obſervatum lib. 1. cap. 49. Quid igitur eſt quod admiremur, Romanum Clerum rebus ita conſtitutis nihil de obitu Dionyſii ad Eccleſiam Antiochenam ſcripſiſſe, aut ad Alexandrinam. Id omne abs rei veritate ſane propius diſtat, quam fallaci Criticorum ſuſpicione monumentum antiquitatis ſinceriſſimum interpolationis poſtulare.

Digitized by Google

V. Porrò Dionyſii ſucceſſor Felix ut Encyclicam Antiochenam accepit, tranſmiſſurus de more communicatorias Literas ad Sedes primarias, eam pariter evulgavit in Orbem. Certè Felicis I. epiſtolam ad Maximum Alexandrinum Epiſcopum memorant & commendant acta Concilii Generalis Epheſini, Haereſim Neſtorii oppugnantis. Ejuſdem fragmentum legitur Act. 1. his verbis. *Felicis ſanctiſſimi Epiſcopi Romae & Martyris, ex epiſtola ad Maximum Epiſcopum, & Clerum Alexandrinum. De Verbi autem incarnatione & fide, credimus, D. N. J. C. ex Virgine Maria natum, quod ipſe eſt ſempiterni Dei Filius, & Verbum, non autem homo à Deo aſſumtus, ut alius ſit ab illo. Neque enim hominem aſſumſit Dei Filius, ut alius ab ipſo exiſtat: ſed cum perfectus Deus eſſet, factus eſt ſimùl homo perfectus, ex Virgine incarnatus.* Haec Pontificia profeſſio fidei ſollennis fuit Encyclicae confirmatio, quippe è diametro haereticalem Pauli ſententiam oppugnat. Atque hanc eandem epiſtolam tranſmiſſam quoque fuiſſe ad Antiochenam Eccleſiam, non eſt cur ambigamus, ſiquidem receptum morem ſeu Formatas emittendi, ſeu reſcribendi ad Encyclicas Felix Pontifex praeterire haudquaquam potuit. Prolata igitur in Epheſino Concilio fuit cum inſcriptione ad Maximum, eo quod Petrus Alexandrinus Presbyter authenticum illud idem exemplar Synodo propoſuerit, quod in Archivis Eccleſiae Alexandrinae ſervabatur. Unde obiter, quod non ſemel innuimus, obſervabis, eam curam in majoribus Sedibus Preſbytero Primicerio datam eſſe, ut haſce Encyclicas Literas ceteraſque chartas ad publicam autoritatem facientes cuſtodiret. Quod autem fragmentum hoc Petrus adduxerit, cum Encyclicae Antiochenae decretum à ſummo Hierarcha confirmatum eſſe demonſtrat, tum recens Neſtorianum dogma jam pridem in Paulo Samoſateno improbatum fuiſſe, luculenter evincit.

VI. Hac Encyclicae Antiochenae promulgatione nihil eſt ad diſciplinae hujus rationes patefaciendas praeclarius. Nam quum emitterentur id genus ſcripta, quatenus Eccleſiae omnes eadem lectitantes, atque dogmatis propoſiti antiquam apud

Digitized by Google

ſe profeſſionem indagantes, Epiſcopi quidem velut Judices ſuo voto ac judicio ſic credendum eſſe docerent; Populus verò eam doctrinam profiteretur: hinc duplex earum vis & ratio manavit, quarum alteram *activam*, alteram *paſſivam* noſtrates Theologi appellarunt: primam ſcilicet Pontificum atque Epiſcoporum gradui conſentaneam, ſecundam verò univerſae Chriſtianae plebi convenientem, quae concordi animo & fide divina iis quae declarata ſunt, aſſentitur. Hinc Cyprianus ut Cornelii electionem legitimam eſſe probaret, ſcribit ad Cornelium epiſt. 44. ſe ordinationem Novatiani haudquaquam recepiſſe. *Intelligant, Epiſcopo ſemel facto, & Collegarum, ac plebis teſtimonio & judicio comprobato, alium conſtitui nullo modo poſſe.* Et in Epiſt. 14. ad Clerum, quae una eſt ex XIII. illis, quae ad Romanum Clerum pro activa, & paſſiva profeſſione decreti fiduciarii datae fuerunt, ſimiliter ſcribit. *A primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis mea privatim ſententia gerere.* In aliis paſſim Epiſtolis ſpondet Cyprianus, ſe pleniore tractatione editurum fore decretum peremtorium, idemque fidelibus Stantibus, praeſentibus, & audientibus eſſe lecturum. Eademque de cauſſa plurimas ad plebem epiſtolas, ſive ut hanc de Lapſis controverſiam, ſive ut alias id genus excitatas patefaceret, & ad decretorum fidem hortaretur, idem Antiſtes conſcripſit. Sane haud immerito. Quippe Chriſtianam Eccleſiam ex activa, & paſſiva hujuſcemodi forma coäleſcere affirmabat Optatus lib. 2., ubi id exprobat Donatianis, quod aſtu ſchiſmatico contra univerſalem Eccleſiam rebellaſſent. *Extendiſtis enim manum, & ſuper omne caput mortifera velamina praetendiſtis: ut cum ſint . . . . . quatuor genera Capitum in Eccleſia, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Fidelium, nec uni parcere voluiſtis.* Ad hoc ipſum igitur mentem intenderunt Antiocheni Patres, quum Encyclicam inſcribere voluerunt Romano Pontifici Eccleſiae Capiti, ceteriſque Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis, & inſuper *Eccleſiae Dei*: ut nimirum non tam Judicum activè decernentium, quam Fidelium ſuſcipientium unanimiter decreta fidem com-

mendarent. Quapropter in eodem Encyclicae titulo ſcripſerunt. *Et reliqui omnes, qui nobiſcum ſunt vicinarum Urbium & Provinciarum Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi, & Eccleſiae Dei, cariſſimis Fratribus in Domino ſalutem.* Atque hi verae Encyclicae, & quod inde profluit, ſupremi magiſterii characteres fecerunt imprimis, ut fidentius in hanc exercendi judicii rationem nunquam non adhibitam ab Eccleſia inquireremus, atque activam Epiſcoporum abs Fidelium paſſivâ profeſſione ſecerneremus: quod ſemel & iterum Antiochenos Patres non ſine gravi animadverſione feciſſe, haud erit opinor aequus rerum aeſtimator, qui in dubium revocare ſuſtineat.

VII. Interim quum poſt exitum Antiochenae hujus Collationis, & poſt Encyclicae promulgationem Aurelianus, devictis Palmyrenis, Zenobia in captivitatem redacta, & Romano Imperio Syria, Aegypto, ceteriſque Orientis Provinciis reſtitutis, Chriſtianis impenſe faveret, ut Euſebius autor eſt ibid. cap. 30., liberrimum iter patuit Eccleſiarum Curſoribus, eandem Encyclicam in omnem Orbem delaturis. Libentiùs fortè id Chriſtianis indulſit Aurelianus, quòd quum foret proditorum atque hoſtium ſuorum vindex acerrimus, non ignorabat, Paulum, quo de agebatur, impenſius faviſſe Zenobiae, ejuſque commoda & apparatus militares ſuis exactionibus & corrogatis pecuniis non modicum promoviſſe. Gravatè equidem ferrè non potuit, eas Literas per Urbes Imperii latè diſſeminari, quibus impietas miniſtrorum Zenobiae redarguebatur. Romam certè, & ad Occidentales Eccleſias, non abnuente Imperatore, delatam fuiſſe Encyclicam, vel ex eo conjectare licet; quod earumdem partium Pontifici, ac Praeſulibus conceſſerit, ut cui Epiſcopium Antiochenum attribuendum foret, ipſi dijudicarent. Neque eſt deinde, quod multis adſtruamus ſubſcriptiones ab univerſa Eccleſia huic Encyclicae factas eſſe, quum vel ipſi Ariani id ultro faſſi ſint in ſua Epiſtola Sardicenſi, ubi ſcribunt. *Omnium Conciliorum juſtè legitimèque actorum decreta firmanda, Majorum noſtrorum geſta confirmant. Nam in Urbe Roma ſub Novato, & Sabellio, & Valentino haereticis fa-*

ctum

Digitized by Google

ſtum Concilium ab Orientalibus confirmatum eſt : & iterum in Oriente ſub Paulo Samoſatis quod ſtatutum eſt , ab omnibus eſt ſignatum .

VIII. Sed Euſebium ipſum , quod rei caput eſt , enarrantem audiamus Aureliani in Chriſtianos propenſionem . *Ac tum quidem* (ſcribit ille cap. 30.) *erga noſtros ſic affectus erat Aurelianus . Proceſſu verò temporis , aliter de nobis ſentiens , quorumdam conſiliis coepit impelli , ut perſecutionem adversùs noſtros commoveret. Jamque ea de re multus ubique rumor ſpargebatur . Sed eum paratum jam , & compoſitis contra nos edictis , ut ita dixerim , ſubſcribentem ulta eſt divina juſtitia : quaſi conſtricto cubito conatum ejus reprimens : ſimulque omnibus apertiſſimè oſtendens , nihil unquam hujus Mundi Principibus adversùs Chriſti Eccleſiam licere , niſi propagnatrix Dei dextera arcano quodam & coeleſti judicio ad caſtigationem & emendationem noſtram , quibus ipſi viſum eſt temporibus id fieri permiſerit .* Hanc de commutato Aureliani in Chriſtianos animo divinitùs ſumtam vindictam, ante Euſebium deſcripſerat quoque Lactantius de mortibus Perſecut. cap. 6. *Aurelianus qui eſſet natura veſanus & praeceps , quamvis captivitatem Valeriani meminiſſet , tamen oblitus ſceleris & poenae , iram Dei crudelibus factis laceſſivit . Verùm illi ne perficere quidem quae cogitaverat , licuit , ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt . Nondum ad Provincias ulteriores cruenta ſcripta pervenerant , & jam Coenofrurio , qui locus eſt Thraciae , cruentus ipſe humi jacebat , falſa quadam ſuſpicione ab amicis ſuis interemtus .* Narrat factum Vopiſcus , & quod in omnes ſuſpicaciſſimus , & in reos Majeſtatis ſupra modum truculentior eſſet , cauſſam illi fuiſſe proditionis affirmat . *Incidit autem ut ſe res fataliter agunt , ut Mneſitheum , quem pro Notario ſecretorum habuerat , libertum , ut quidam ſuum infenſiorem ſibi minando redderet , quod neſcio quid de quodam ſuſpicatus eſſet . Mneſitheus qui ſciret , Aurelianum neque fruſtra minari ſolere , nec ſi minaretur , ignoſcere , breve nominum conſcripſit, mixtis iis , quibus Aurelianus verè iraſcebatur .* Quemadmodum verò conſecutum inde ſit Aureliani exitium & obitus , proſequitur ibid. Vopiſcus . Accurata animadverſio totius conditionis

nis eorum temporum proclive facit arbitrari, Encyclicam Antiochenam nullo negotio ceteris Eccleſiis omnibus denunciari potuiſſe, atque adeò omnem pariter Chriſtianum Orbem unanimi voto ac ſententia in Paulicianae haereſeos condemnationem, & Haereſiarchae exſecrationem conſpiraſſe. Namque primis ſaltem quatuor vel quinque annis ſub Aureliano hauddubiè quievit Eccleſia, & nihil certè praepediviſſe novimus, quin haereticae Sectae bellum indiceret, & Pauli tyrannidem, hypocriſim, perjuria & impietatem, quibus Antiochenam Eccleſiam vexavit, publicis ſcriptis patefaceret.

IX. Atque haec de characteribus Encyclicae hujus ſatis ſint. Jam ad vim & autoritatem, quam poſtea in Chriſtiana Republica obtinuit, progrediamur. Cujus rei non leve argumentum eſt, quod eam ab univerſis ſubſcriptam agnoverint vel ipſi Euſebiani in ſua Antencyclica edita adverſùs Encyclicam Concilii Sardicenſis, quorum teſtimonium paullò ſuperiùs deſcripſimus. Apollinaris quoque ut errores ſuos argumento Encyclicae hujus ſtabiliret, imprimis diſtinguit Synodos Antiochenas, tum verò verba laudat & ſententias: quod diſcimus ex Gregorii Nyſſeni Antirrhetico adverſùs Apollinarem. Quod opus ex Cod. MS.[to] Vaticano vulgavit Cl. Zachagnius Tom. 1. Monument. Vet. pag. 123. Recenſens enim Gregorius argumenta ab Apollinari adhibita, ita ſcribit ibid. pag. 141. *Quarumdam etiam Synodalium definitionum mentionem facit, earum nempe Synodorum, quae adverſùs Paulum Samoſatenum collectae fuerunt, in quarum unà dicitur, è Coelo Deum factum fuiſſe Chriſtum.* Ex quibus & firmatur quod ſupra autoritate Euſebii docuimus, Patres nimirum Antiochenos non ſemel, ſed ſaepenumero conveniſſe; & tanti viſum eſſe Apollinari magiſterium Encyclicae hujus, ut vel uno ac depravato illius teſtimonio haereſim ſuam perſuaderi poſſe crediderit. Patet id luculentius ex magno Nicaeno Concilio, in quo hujuſce Encyclicae fragmentum non mediocri diſputationis compendio lectum expenſumque eſt. Quod quidem ex Actis diſcimus Concilii Epheſini, ubi Par. 4. Tom. 1. Concil. Hard. pag. 1639. legitur. *De Incarnatione Verbi Dei*

Filii

Digitized by Google

Filii Patris, definitiones Epiſcoporum, qui in Nicaea in Synodo convenerunt. Et expoſitio ejuſdem Synodi adverſus Paulum Samoſatenum. E veſtigio fragmentum proponitur, quod quidem recta petit Paulicianorum haereſim, dum contrariam Orthodoxam fidei expoſitionem complectitur. Quoniam verò in Epigraphe capitis illius pariter memorantur & Nicaena fidei definitio circa Myſterium Incarnationis, & ſimul expoſitio Synodi ejuſdem adversùs Paulum Samoſatenum, quae quidem nulla hodie exſtat; alterum dicendum eſt, vel ſcilicet exſcriptorum oſcitantia omiſſam hanc fuiſſe, vel caput iſthoc diverſum olim titulum habuiſſe. Crediderim igitur, caput illud ſic eſſe legendum. *Expoſitio fidei adverſus Paulum Samoſatenum, quam in ſuis Definitionibus appoſuerunt Epiſcopi, qui in Nicaena Synodo convenerunt.* Fragmentum autem illud vel eſt ab Encyclica ſumtum, vel abs diſputatione Malchionis; quae pariter ad Eccleſias tranſmiſſa eſt.

X. Lubet textum ipſum Lectori ob oculos ponere, ut an rectè conjiciamus, dijudicet. Sic autem habet fragmentum. *Confitemur D. N. J. C. ex Patre quidem ſecundum ſpiritum ante ſecula genitum, noviſſimis verò diebus ex Virgine ſecundùm carnem natum; unam perſonam compoſitam ex coeleſti divinitate, & humana carne, & ſecundùm quod homo eſt, unum: & totum Deum, & totum hominem. Totum Deum etiam cum corpore, ſed non ſecundùm corpus Deum. Totum etiam hominem cum Divinitate, ſed non ſecundùm Divinitatem hominem. Sic totum adorabilem etiam cum corpore, ſed non ſecundùm corpus adorabile.* Cum ceteris, quae eòdem recidunt. Atque hoc fragmentum erat ſententia Antiocheni noſtri Concilii, quam Nicaeni Patres approbaverunt & ſuam fecerunt. Id ut opinemur, facit etiam autoritas Baſilii, ceterorumque Monachorum, qui in altera adversùs Neſtorium conteſtatione, oblata Theodoſio Imperatori, quae E. ibid. Par. 1. cap. 17. pag. 1635. ſic loquuntur. *Inter alia Dei beneficia non immeritò cenſenda eſt veritatis cognitio, & odium falſae cognitionis, quo nimirum explorata perſpectaque habemus fidei myſteria, jam in-*

de

Digitized by Google

ae ab initio à Sanctis Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Epiſcopis ..... tradita. Quam ſucceſſionem & velut traducem dogmatis de Incarnatione Verbi quum & recenſuiſſent, & Neſtorianae impietati oppoſuiſſent, ita ad rem noſtram proſequuntur. *A Sancta Synodo Antiochiae contra Paulum Samoſatenum congregata, quae centum & octuaginta numero Patres complexa, illum propter ſuam impietatem* (*negabat enim Chriſtum natura eſſe Deum & Dei Patris Filium*) *exautoravit, à magna & ſancta trecentorum decem & octo Epiſcoporum Synodo apud Nicaeam habita, quae ſententiam eorum qui Antiochiae contra Paulum Samoſatenum convenerant, confirmavit & roboravit.* Quibus verbis fragmentum hocce reſpexiſſe hauddubiè videntur Monachi illi, quippe & eaedem phraſes oppoſitae ſunt Neſtorianae perfidiae. Haud aliter Epheſina eadem Synodus ſuſcepit conteſtationem Euſebii, qui poſtea Doryleenſis Epiſcopus fuit, quique affirmare veritus non eſt, Neſtorii placita jam dudum in Paulo Samoſatenſi ab Antiochenis Patribus fuiſſe proſcripta. *Ecce conſentit* (Neſtorius) *haeretico Paulo dicenti, alium eſſe Verbum, & alium Chriſtum, & non eſſe unum, ſicut recta praedicat fides.* Quae loquendi ratio quum & ab Euſebio Antiochenis Patribus attribuatur, & in ipſo eodem fragmento occurrat, dubitandum non eſt, quin fragmentum illud pars quaedam ſit Encyclicae Antiochenae. Eòdem reſpexit quoque Theophilus Alexandrin. in Epiſt. ad Porphyrium Antiochenûm Epiſcopum, cujus fragmentum legimus in Actis Synodi V. Collat. V. Hard. Tom. III. pag. 106. Sic autem habet. *Quod enim non patieris illos qui occaſione adventionis Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti praeſumunt renovare Samoſateni Pauli dementiam, manifeſtum eſt: quoniam & qui in Nicaea convenerunt Patres noſtri, & iſtam Sectam cum Arianorum pravitate anathematizaverunt, qui nec baptiſma ſequacium Pauli comprobaverunt, ſicut ſcriptae ab eis definitiones continent.* Nemo equidem qui in priſcis Eccleſiaſticis monumentis paulliſper verſatus ſit, revocabit in dubium, quin & ipſi Nicaeni Patres renovarint acta Concilii Antiocheni, & hujus definitiones in Encycli-

cyclica propoſitae cum Nicaenis ipſis definitionibus fuerint ſubinde commixtae. Hinc Leontius Byzantinus in lib. 3. de Sectis partem ejuſdem Encyclicae alteram recitat, quae cum laudata expoſitione, à Nicaeno Concilio probata, omninò conſentit.

Sed & Magnus Athanaſius in lib. de Synodis, & in altero de ſententia Dionyſii Alexandrini ſaepius cum laude meminit Collationum Antiochenarum. Imò in Orat. de Incarnatione Verbi Dei contra Paulum Samoſatenum, Tom. 1. Opp. pag. 595. plura diſputat, quae fragmentis Encyclicae, & diſputationi Malchionis non conſentanea ſolum, ſed ne ipſis quidem apicibus diverſa ſunt. Id agit & Baſilius M., idemque apud Patrum ſanctiſſimos ſapientiſſimoſque occurrit: ut propterea generatim affirmare auſim, nullum eſſe Eccleſiaſticae antiquitatis, & ſupremi magiſterii ac judicii monumentum, quod apud Eccleſias omnes, & Sacros Tractatores in tantam celebritatem, autoritatem, aeſtimationemque devenerit, perinde ac illa de qua hactenus, Encyclica Antiochena.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT X.

DE SCHISMATE DONATISTARUM, ET ENCYCLICIS EJUS DE CAUSSA VULGATIS.

SI ulla poſt natales ipſius Chriſtiani nominis de Haereſi, atque Haereticorum Sectis parta victoria eſt, in qua & admirabilem ſeſe Aeterni Dei potentia in ſervanda pietate, Religione, & Eccleſia oſtenderit; & quid Sanctiſſimorum Virorum zelus, quid Encyclicarum & Formatarum Literarum uſus, quid Antiſtitum expreſſa in illis conſenſio valeat, cognitum ac declaratum ſit; in hac certè, quam Eccleſiae Chriſti evulgatis Encyclicis de immaniſſimo ac teterrimo Donati Schiſmate retulerunt, ita haec omnia patefacta ſunt, ut haec-qua de agimus, diſciplina nunquam majoribus & luculentioribus argumentis aut illuſtrata eſſe, aut in poſterum illuſtrari poſſe videatur. Ad rem igitur: & quemadmodum hinc Donatiſtarum Antencyclicis Schiſma prolatatum ſit, inde Catholicarum Eccleſiarum Encyclicis & Communicatoriis ſit poſtea compreſſum, accuratè inveſtigemus.

§. I.

§. I.

De Traditoribus Sacrorum Librorum deque lata in eoſdem ſententia.

SYNOPSIS.

I. *Edictum Perſecutionis Diocletianæ adversùs Chriſtianos, eorumque ſacros Libros.* II. *Iis qui traderent ſacros Libros, ſupplicium eſt condonatum.* III. *Hinc nova factio Libellaticorum in Eccleſiis auditur.* IV. *Ii Eccleſiarum decreto & Traditores dicti, & gravi cenſura multati.* V. *Varia Traditorum genera recenſita.* VI. *Erant & Chriſtianorum è Chriſtianis ipſis proditores.* VII. *Hoc facinus longè deteſtabilius.* VIII. *Eccleſiarum decretis robur addiderunt Martyres & Confeſſores.* IX. *Encyclicum pariter decretum ſuum in Orbem vulgarunt.* X. *Illorum rationes proponuntur.* XI. *Decretum idem ab univerſali Eccleſia probatur.* XII. *Id magis adstruitur ex Actis Concilii Cirtenſis.* XIII. *Hinc Decreti Peremtorii ſub Cypriano editi elucet magis autoritas.*

I. FIdelium veneratio ac Religio erga libros omnes ſacros & Eccleſiaſticos, necnon etiam erga Encyclicas Literas, atque alia id genus ſcripta, quibus aut propoſita, aut propugnata videretur fides, priſcis temporibus tanta fuit, ut ne Gentiles ex iis occaſionem arriperent traducendorum Chriſtianorum dogmatum, omnia ſcriptorum genera, atque imprimis Rituales Libros accuratiſſima diſciplina Arcani cuſtodirent. Idipſum tamen nequaquam Gentes latuit, multis jam de cauſſis iiſque graviſſimis huic Religioni infenſas. Agebatur annus Salutis tertius ſupra tercenteſimum, quum Imperator Diocletianus, Coſſ. Dioclet. VIII. & Maximiano VII., ad 7. Kal. Mart. ſeu 23. Februarii die, quo Gentes magna ſollennitate Terminalia celebrabant, per univerſum Romanum Imperium feralia

lia edicta vulgavit, Religioni & nomini Chriſtiano terminum ac finem allaturus. Quod prolixè narrat Lactantius lib. de Mort. Perſecut. cap. 12. Multa in hiſce edictis adversùs Chriſtianos Tyrannus cavit, ſed potiſſimum illud, ut libri ad hanc Religionem quomodolibet pertinentes flammis injecti penitus omnes abolerentur. Qua de re paucis Euſebius lib. 8. Hiſt. cap. 2. *Propoſita ſunt Imperialia edicta, quibus Eccleſiae quidem ad ſolum uſque dirui, ſacri verò Codices flammis abſumi jubebantur.* Quae deinde conſecuta ſunt edicta alia, quibus Chriſtianis omnibus mors intentata eſt, ni quantocyus ad idololatriam remearent, ibidem Hiſtoricus memorat. Utrique Imperatori Diocletiano, & Maximiano edictum de Libris tradendis adſcribit Paſſio germana S. Felicis, apud Baluzium pag. 77., quae ſic exorditur. *Diocletiano octies, & Maximiano ſepties Conſulibus Auguſtis, exivit edictum eorumdem Caeſarum, vel Imperatorum ſuper omnem faciem terrae, & propoſitum eſt per Colonias, & Civitates Principibus & Magiſtratibus, ſuo cuique loco, ut libros Deificos extorquerent de manibus Epiſcoporum, & Presbyterorum.* Exiſtimabant ſcilicet veſani Principes, ſemel ac Chriſtianis libri adimerentur, everſam pariter eorum Religionem, quaſi illa inventum eſſet hominum, non praepotentis Dei opus, cujus tametſi Leges ſcripto à mortalibus traditae potuiſſent aboleri, firma tamen & immutabilis in Chriſtianam Eccleſiam Voluntas aeternum erat manſura. Non igitur heic locus erat Graecis, & Romanis moribus, qui libros quotquot receptam in unaquaque Civitate Religionem ſolverent, flammis ultricibus addicebant; ut memoriae prodiderunt Livius libb. 20. 29. & 49. Plutarchus in Numa, Valerius Maximus lib. 1. cap. 11., Lactantius Divin. Inſtitution. lib. 1. cap. 22. & lib. 4. cap. 1. necnon in lib. de Ira Dei cap. 9. Quod & Legibus cautum fuit, ff. 4. §. 1. Hoc interim incommodi ſanè graviſſimi tulit ex ea Perſecutione poſteritas, quod plurima eaque auro contra aeſtimanda priſcorum Patrum & Tractatorum opuſcula amiſerit: unde & nos quoque defectum monumentorum purioris antiquitatis ſaepe conjectaneis dubitabundi, ſaepe hiſtoriae tenebris circumſepti & impediti perſentiſcimus.

II.

Digitized by Google

II. In id verò tantopere exarſerunt Imperatores, ut quicumque Praeſidibus ſacrum aliquem librum proderet, is à perſecutione & pœnis in Chriſtianos decretis, etiam Chriſtianus & conſtans, immunis tamen fieret. Teſtatur id inſigni exemplo quod in Diſſert. I. memoravimus, pius idemque vetus Poëta Prudentius Periſteph. hym. 5., ubi martyrium Vincentii Archidiaconi ſub initium perſecutionis hujus coronati deſcribit. Dacianus Praeſes his verbis S. Martyrem compellabat.

Si tanta callum pectoris
Praedurat obſtinatio,
Pulvinar ut noſtrum manu
Abomineris tangere.
Saltem latentes Paginas
Libroſque opertos detege,
Quo Secta pravum ſeminans
Juſtis crematur ignibus.

Ad haec minitanti Praeſidi repoſuit Vincentius ea ratione, ut quoniam duorum alterum ſibi eligendum proponeretur, vel ut paganica ſuperſtitione ſacra Idolorum tangeret, vel ut ſacros Libros ab ipſomet ex Archidiaconi munere cuſtoditos, ad comburendum traderet, conſtanter utramque conditionem reſpueret. Hanc eſſe aït divinae Providentiae curam, quae irritos Praeſidis conatus faciat, quaeque quum Deifica ſcripta revelaverit, eadem immunia à perſecutione, & illibata cuſtodiat, in fidei normam uſque ad Seculi conſummationem in Eccleſiis permanſura. Inquit enim Martyr.

Quem tu, maligne, myſticis
Minitaris ignem Literis,
Flagrabis ipſe hoc juſtius.
Romphaea nam Coeleſtium
Vindex erit Voluminum.
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.

Digitized by Google

III. Interim quum non defuerint plurimi, qui metu perſecutionis & laniaenae Evangelica firmitate deſtituerentur, novum in Eccleſia flagitium, nova factio Traditorum emerſit, illi quamſimillima & errore opinionis, & diſciplinae canonicae periculo, quam Libellatici pridem & Lapſi ſub Cypriano excitaverant. Non ſecus enim ac illi in eam ſententiam defluxerant, integrum unicuique permiſſumque eſſe libellum à Praeſidibus ſive aliorum interceſſione, ſive propriis precibus aut pecuniis redimere, atque ad hunc modum citra ullum piaculum feliciter perſecutiones evadere: ſic quicumque, ſeſe ut ab aerumnis liberarent quas graviſſima edicta Principum intentabant Chriſtianis, prodere ſacros Libros eoſque Gentibus tradere comburendos inſtituiſſent, ſe non tam noxae etiam levioris culpa carere, quam ad hoc facinus adſtringi opinabantur, ne ſcilicet diris cruciatibus atque atrociſſimae morti ſemet objicerent, non ſine manifeſto apoſtaſiae diſcrimine.

IV. Quemadmodum verò effrenem Libellaticorum audaciam, & qui ſubinde conſecuti ſunt per Africam tumultus, ipſa ferociente Deciana perſecutione, compreſſit Cyprianus primum, dein Eccleſiae omnes, quibus acceſſerunt ſuis votis Martyres & Confeſſores; conſentientes decretis Fiduciario & Peremtorio, reos ſchiſmatis declararunt Novatum, Feliciſſimum ceteroſque factioſos Preſbyteros & nefandae conſpirationis aſſeclas: non aliter hiſce temporibus pari zelo juncti cum Martyribus Eccleſiaſtici Praeſules, ut grave Religionis detrimentum quod utique ſacrorum Librorum proditione excidioque imminebat, maturè averruncarent, in hoc ſaluberrimum decretum conſenſere, ut quum certum eſſet, ejuſcemodi proditionem ad enorme quoddam apoſtaſiae genus pertinere, deinceps quicumque ſcripta aliqua ad Chriſtianam Religionem facientia perſecutoribus aut revelaſſent, aut tradidiſſent, ii Traditores dicerentur, & ſiquidem Clerici eſſent, multati perpetua depoſitione, ſuiſque in gradibus conſtituti, laïcae etiam communioni addicti, perquam diuturnam agerent poenitentiam: ſi verò ex Laïcorum ordine forent, excommunicationis vinculo innodarentur,

Digitized by Google

tur, quam non ſine gravioribus poenitentiae actis luere poſſent. Enimverò ex utroque hoc hominum gradu tam ingens fuit Traditorum multitudo, ut non tam irreparabilis monumentorum Eccleſiaſticorum jactura, quàm enervatae diſciplinae primordia hinc jure merito ſint repetenda.

V. Multiplex autem genus fuit criminis ejuſcemodi, quod in ſacrorum Librorum traditione verſabatur, & pro gravitate cujuſque praeter ejurationem decreta ſunt graviora poenitentiae acta. Inter haec illud perquam nefarium Poenitentiariis viſum eſt, quod nonnulli ſacros Codices non ſolùm Perſecutoribus proderent, ſed ultrò etiam ac publicè ipſimet flammis injicerent. Cujus criminis reos acerbè redarguit Petilianus Donatiſta Cirtenſis Epiſcopus, audacter ac temerè affirmans, Marcellinum Romanorum, & Menſurium Carthaginenſium Praeſules factos eſſe *ex ipſis ſacrilegis flammis, perfidiae beneficio, favillarum vel cinerum inſtar, ſuperſtites*. Quae inſanientis Schiſmatici hominis verba legas apud S. Auguſtinum lib. 2. cont. lit. Petil. ejuſdem. Luculentiùs id apparet ex Actis Concilii Cirtenſis, apud S. Auguſtin. contra Creſcon. lib. 3. cap. 27. ubi illud in controverſiam venit, an Epiſcopi qui eſſent traditionis crimine commaculati, abs legitima ordinandi facultate jure Canonum eſſent alieni. Cauſſa Victoris Ruſſicadienſis Epiſcopi ventilata eſt: Et quum Secundus Numidiae Primas diceret, illum prorsùs traditorem eſſe, atque adeò ab ordinatione removendum, Victor & in ignem injeciſſe per ſeipſum ſacros Codices, & admiſſi iccircò criminis gravitatem his verbis faſſus eſt. *Victor reſpondit: Valentinianus curator fuit: ipſe me coëgit, ut mitterem illa in ignem. Sciebam, illa delicta fuiſſe: hoc delictum indulge mihi, & indulgebit mihi Deus.*

VI. Eidem traditionis crimini ſed piaculo etiam graviore accenſebantur proditores Chriſtianorum. Erant nimirum tralatitiae quidam pietatis & caritatis homines, qui ſi fortè à Perſecutoribus comprehenderentur, & ſacros Libros, quorum traditione paciſcerentur libertatem, non haberent, ejuſdem Chriſtianae fidei & Religionis conſortes propalabant, eos aut fidei,

Digitized by Google

aut vitae diſcrimini objicientes, quos hactenus Fratrum loco habitos, fideli ſilentio obtegere debuiſſent; & improbiſſimum delationis genus in eos exercentes, quibus ſumma culpae erat, eadem qua iſti lege, eademque profeſſione ſupremum Numen eouſque coluiſſe. Auſum id à Servis potiſſimum fuit, qui ut à jugo Dominorum in libertatem aſſererentur, non tam ipſi Chriſtianam Religionem deſerebant, quàm Dominos Perſecutoribus deferebant ſuos. Quod eſt Autoribus Encyclicae Lugdunenſis, de qua ſupra, non indiligenter annotatum. Porrò ſollennis ac penè inveterata haec fuit Servorum improbitas: quippe & apud Gentiles quoque Dominis eodem proditionis genere, eademque paganicae ſuperſtitionis illuſione Servi inſidiabantur. Quapropter Legibus Romanis cautum eſt, & Senatuſconſulto ſtatutum, ut ſi Servorum aliquis Dominum interficeret, ceteri omnes qui eodem ſub tecto ſimul unà degebant, facinus ſupplicio luerent: quod ſcilicet non alia ratione ſecuritati Dominorum conſuli poſſe arbitrarentur. Qua de re prae aliis conſulendus Seneca Epiſt. 4. & Tacitus Annal. lib. 13. cap. 23., & lib. 14. Capp. 42. 45.

VII. Gravi equidem animadverſione in hoc deteſtabile facinus uſam eſſe Eccleſiam, certum eſt: tametſi qua id ratione praeſtiterit, & à quibus ſit evulgatum decretum, ignoretur. Furor graſſantis perſecutionis haudquaquam ſivit, aut Dominicos Curſores circumire cum literis atque decretis, aut ipſos Antiſtites in coetum adunari. Quare extenſione quadam revocandum in uſus fuit Decretum Peremtorium in Lapſos pridem editum, quod quum in Encyclica fuiſſet propoſitum, pleraeque omnes Eccleſiae ſuffragiis ſuis & votis adprobaverant. Et ſanè non immeritò. Nam ſi ex Libellaricorum numero Clerici perpetua depoſitione multati ſunt, & in communionem Laïcorum rejecti, diuturno atque aſpero poenitentiae curriculo multabantur; ſi Laïci eodem crimine obſtricti excommunicatione plectebantur, quod fidem abnegaſſe viderentur; quidni etiam eaſdem poenas ſubierint non levioris noxae rei Traditores, qui ſive Deificos Codices comburendos prodidiſſent, ſive ipſimet

ipſimet exuſiſſent, ſive denique fideles alios & detexiſſent & accuſaſſent, perinde abnegaſſe fidem, & Religioni graviter inſultaſſe jure optimo videbantur. Quaecunque igitur Eccleſiae decreto illi & Encyclicae olim ſubſcripſerant, cenſuerunt eidem magiſterio ſubjiciendos Traditores, quos eiſdem, quibus antea Libellaticos, poenis, affecerunt. Certè quod ad Clericos attinet, ex quibus de ceteris judicium ferri poteſt, appoſitè ſcripſit S. Auguſtinus in Epiſt. 50. ad Bonifacium. *Vt conſtitueretur in Eccleſia, ne quiſquam poſt alicujus criminis poenitentiam, clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non deſperatione indulgentiae, ſed rigore factum eſt diſciplinae.*

VIII. Quemadmodum verò in condendo Peremtorio decreto, quum Deciana perſecutio ferveret, plurimi habita ſunt vota Martyrum, & Confeſſorum Epiſtolae, velut ſuperiùs abunde diſputatum à nobis eſt: non aliter Confeſſores & Martyres in hac Diocletianea perſecutione declararunt ſuiſmet ſcriptis, poenas eaſdem, quae olim Lapſis, eſſe nunc Traditoribus infligendas: atque hocce crimen admittere ne cogerentur, vitam ipſam crudeli laniaenae fortiter ſubjecerunt. Zeli hujus Martyrum nobile exſtat exemplum in Actis Saturnini Preſbyteri & ſociorum, quae primum quidem ex ſinceriſſimis Proconſularibus Actis ſumta in Eccleſiis legebantur, quamvis poſtea vel ipſo currente IV. Chriſtiano Seculo, quo illorum martyrium contigit, mirè fuerint interpolata. Haec tandem beneficio vetuſtiſſimorum MSS. Codd. reſtituit, & magnam partem emendavit publicique juris fecit Tom. 2. Miſcellan. Cl. Baluzius. Vetus autem illorum autor brevem praemittit Traditorum narrationem, atque edocet, quantopere Martyres turpiſſimam traditionis noxam ſint deteſtati. Sic enim num. 2. pag. 56. legimus. *Temporibus namque Diocletiani & Maximiani bellum Diabolus Chriſtianis indixit iſto modo, ut Sacroſancta Domini Teſtamenta, Scripturaſque divinas ad exurendum peteret, Baſilicas divinas ſubverteret, & ritus ſacros, coetuſque ſanctiſſimos celebrari Domino prohiberet.* Quae pene ſunt verba Lactantii de Mortib. Perſecut. cap. 12. Martyrum autem zelum ad hunc modum commendant eadem Acta. *Sed non tulit exerci-*

tus Domini Dei immane praeceptum, ſacrilegamque juſſionem perhorruit: & mox fidei arma corripuit, deſcenditque in proelium non tam contra homines, quam contra Diabolum pugnaturus. Et quamvis tradendo Gentilibus ſcripturas Dominicas, atque Teſtamenta divina profanis ignibus comburenda, a fidei cardine cecidere nonnulli; conſervando tamen eas, ac pro ipſis libenter ſuum ſanguinem effundendo, fortiter fecere quamplurimi, quippe pleni Deo, devicto atque proſtrato Diabolo, victricem palmam in paſſione geſtantes, ſententiam in Traditores, atque in eorum conſortes, qua illos ab Eccleſiae communione rejecerunt, cuncti Martyres proprio ſanguine conſignabant. Fas enim non fuerat, ut in Eccleſia Dei ſimul eſſent Martyres, & Traditores. Agnoſcis ex hoc Actorum teſtimonio communem receptamque Eccleſiarum perſuaſionem, quà reos traditionis velut fidei extorres deteſtabantur, atque adeo iiſdem poenis multandos, quibus Lapſi pridem autoritate decreti Peremtorii afficiebantur.

IX. Imò non ſecus ac illi ſub Decio Martyres, ſuam ut facerent ejuſcemodi diſciplinae ſanctionem, quum Martyrium eſſent conſummaturi, literas ad Eccleſias atque ad Epiſcopos dederunt, quibus ſuam de excitatis per ea tempora controverſiis ſententiam exprimebant: ita hos ſub Diocletiano Martyres ſuum literis judicium complexos eſſe, produnt Acta pag. 75. *Sed meritis jam Domino & confeſſione vicini direxerunt in poſteros SALUTEM, quae communem Chriſtiani nominis progeniem ab omni recidiva communione Traditorum ſecerneret, tali ſub comminatione. SI QVIS TRADITORIBUS COMMUNICAVERIT, NOBISCUM PARTEM IN REGNIS COELESTIBUS NON HABEBIT.* Quod nobis in Diſſert. I. de Literis Salutatoriis verba facientibus non leve argumentum fuit, neque ab hac diſciplina illuſtrandà alienum: in hac verò diſputatione multò firmius ac ſolidius eſt ad vim autoritatemque monſtrandam, quam ſententiis decretiſque Martyrum fuiſſe ab Eccleſia tributam, non uno loco affirmavimus.

X. Pergunt Acta, & rationem adjungunt, qua *ſalutem*, ideſt, ſuam de Traditoribus, eorumque poena ſententiam evulgare decreverunt. Inquit enim Author. *Et hanc ſententiam ſuam Sancti*

Spiritus

Digitized by Google

Spiritus autoritate conſcriptam tali comparatione firmabant. Scriptum eſt, inquiunt, in Apocalypſi. Quicunque adjecerit ad librum iſtum apicem unum, aut literam unam, adjiciat illi Deus *innumerabiles plagas; & quicumque deleverit, deleat partem ejus* Dominus *de libro Vitae. Si ergo additus apex unus, aut litera una demta de Libro Sancto radicitus amputat, & ſacrilegum facit, & ſubvertit authorem: neceſſe eſt, omnes eos qui Teſtamenta divina, legeſque venerandas Omnipotentis* Dei, & D. *N. J. C. profanis ignibus tradiderunt exurendas, aeternae gehennae ardoribus, atque inextinguibili igne torqueri. Et ideò, ut ſupra diximus, ſiquis Traditoribus communicaverit, nobiſcum partem in Regnis Coeleſtibus non habebit*. Illud etiam addit Author, Martyres illos ſententiam doctrinamque ſuam, quam literis ad Eccleſias perſcripſerant, teſtatiſſimam martyrii ſignaculo feciſſe & comprobaviſſe. *Haec*, inquit, *communicantes ſinguli ad paſſionis gloriam feſtinabant, ſupremaque teſtatione unuſquiſque Martyrum cruore próprio conſignabant*.

XI. Atque hoc decretum adversùs ſacrorum Codicum Traditores, juxta ac Peremtorium, à Martyribus conditum ſuoque omnium ſanguine obſignatum, Catholicae Eccleſiae ſuſceperunt, velut certam diſciplinae normam, ut Acta eadem atteſtantur. *Exinde Eccleſia Sancta ſequitur Martyres, & deteſtatur exſecratae perfidiae Traditores*. Et quoniam in eo vertitur rei cardo, ut laudatam Martyrum declarationem ab univerſali Eccleſia ſuſceptam, & Traditores velut ſacrilegos fuiſſe habitos demonſtremus, genuina alia eorumdem temporum Acta ſunt commemoranda. Namque ut Concilia praetermittamus, quae non diu poſt Diocletianeam perſecutionem celebrata ſunt, ut infra dicemus, quaeque apertè ſupponunt, traditionem graviſſimum eſſe crimen, idemque poenis omnino multandum quae in decreto Peremtorio Lapſis impoſitae fuerant: idipſum ex aliis monumentis confirmari multipliciter poteſt. Et primum quidem ex Actis Proconſularibus & ſinceris Paſſionis S. Felicis Epiſcopi Tubyzacenſis, apud Baluzium ibid. pag. 78., ubi quum Felix à Curatore interrogaretur, ut Libros ſacros traderet, repoſuit. *Habeo, ſed non trado*. Quumque iterum inſtaret Curator, animoſius ille reſpondit.

dit. *Melius eſt ut corpus meum tradam igni, quam Scripturae Dominicae per me videantur aduri; quia bonum eſt Deo obedire perpetuo Regi & immortali, quam Imperatori hujus ſeculi iniqua jubenti*. Vides Sanctum Epiſcopum & Martyrem non ambiguè affirmantem, ſacrorum Codicum traditionem crimen eſſe divinis praeceptis contrarium. Quapropter quum apud diverſa Tribunalia eandem ſententiam conſtanter profeſſus eſſet, proximè tandem plectendus capite, dixit: *Plus paratus ſum plecti capite, quam Libros Dominicos ſacrilegio tradi*. II. Reatum eiuſdem criminis eſſe arbitrabantur prodere nomina Chriſtianorum & Fratrum. Quippe in geſtis Silvani, qui Majorinum Schiſmaticae factionis caput ordinaverat, Judici Lectorum nomina poſtulanti abs Marcuclio & Catulino, ii repoſuerunt: *Nos non ſumus proditores: ecce ſumus, jube nos occidi*. III. Illud ipſum ex eo elucet, quod ii qui ſacros codices ne traderent, mortem ſubiiſſent, inter Martyres cenſerentur. Secundus enim in Numidia Epiſcopus in epiſtola, quam ad Menſurium Carthaginenſem Epiſcopum dedit, ſignificat quoſdam a ſe Martyres declaratos eſſe, qui & tormenta paſſi, & glorioſo Martyrio defuncti fuerant, ne Sacros Libros Perſecutoribus traderent. Epiſtola Secundi recitatur in Collatione Carthaginenſi, quae inter Catholicos & Donatiſtas habita eſt; ſummaque illius ſic habet, Collat. 3. cap. 13. *Recitarunt etiam reſcripta Secundi Tigiſtani ad Menſurium pacificè data, ubi & ipſe narravit, in Numidia perſecutores quae egerint, & qui comprehenſi, & Scripturas Sacras tradere nolentes, & multa mala paſſi, & graviſſimis ſuppliciis excruciati, & occiſi ſunt; eoſque honorandos pro Martyrii ſui merito commendavit*. Hocce Martyrum egregium factum ſuo encomio mactabat Secundus, ſuadebatque, ut tanquam veri Martyres ab omnibus haberentur. *Laudans eos non tradidiſſe Scripturas Sanctas illius mulieris exemplo, quae duos exploratores in Hiericho, in quibus figurarentur duo* Teſtamenta, *Vetus & Novum, tradere perſecutoribus noluit*. Quae verba & illud quoque docent, loci Epiſcopum conſummatos Martyres, & martyrii coronam adeptos Primati ſuo probare debuiſſe, ut eos honorandos Fidelibus ceteris atque Eccleſiis proponeret. IV. Secundus noxae

xae ejuſdem reos facit illos, qui ſe ſe, ne vexarentur, pecunia redimebant. Sic enim proſequuntur memorata Collationis Acta. *Scripſit etiam Secundus & ad ſeipſum miſſos à Curatore & Ordine Centurionem, & Beneficiarium, qui peterent divinos Codices exurendos, eiſque reſpondiſſe: Chriſtianus ſum & Epiſcopus, non* Traditor: *& quum ab eo vellent aliqua* Ecbola, *aut quodcumque recipere, neque hoc eis dediſſe, exemplo* Eleazari Machabaei, *qui nec fingere voluit ſuillam carnem ſe manducare, ne aliis praeberet praevaricationis exemplum.*

XII. Sed quod eſt ineluctabile documentum firmiſſimae perſuaſionis apud Eccleſias obtinentis, ut crederent decreta haec Martyrum adversùs Traditores prorſus eſſe conſentanea decreto Peremtorio quondam in Libellaticos edito, ſumitur ex Actis ſinceris Concilii Cirtenſis, quae integra deſcripſit S. Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium cap. 27. Primum igitur inquiſitum ibi eſt, an qui aderant Epiſcopi cenſura aliqua obſtricti eſſent, quae illos abs legitima ordinatione arceret. Traditores Epiſcopi plurimi, conſcientiae ſtimulis exagitati, ſe ſe ut erant Traditores confeſſi ſunt, idque unum deprecati, ut abſque diſtrictioris Eccleſiaſticae diſciplinae rigore crimen ſuum Deo relinqueretur. Ad haec Secundus Epiſcopus Tigiſtanus & Numidiae Primas, videns diſciplinam illam à Martyribus ſuo decreto conſtitutam omnino peſſumdari, quam ipſe tantopere in epiſt. ad Menſurium Carthaginenſem Africae totius Primatem commendaverat, ad Patres conſidentes laxioris diſciplinae patronos converſus dixit quod Acta eadem referunt: *Secundus dixit: quid ergo facturi ſumus de Martyribus, quia non tradiderunt, & ideo coronati ſunt?* Nimirum aïebat Secundus, ſi traditio ſacrorum Codicum crimen non eſt, ſi Martyrum comminatio in Traditores eſt obliteranda, qua demum ratione dicemus illos Martyres, qui ne traderent, Martyrii palma coronati ſunt? Eos tamen eſſe reipſa Martyres, & nos decrevimus, & Eccleſia acceptavit.

XIII. Non eſt itaque dubitandum, quin factio Traditorum, quae fervente perſecutione Diocletiani incoepit, ac ſubinde in teterrimum ſchiſma erupit, fuerit Libellaticae quamſimillima.

Quamo-

Quamobrem controverſiae hujus accuratum examen multis de cauſſis inſtituendum à nobis hoc loco eſt: potiſſimum verò, quia ex hac diſputatione elucet vigor & autoritas decreti Peremtorii, quod ſub Cypriano Encyclicis vulgatum fuerat: quippe cum ex eo conſtiterit, Libellaticos graviſſimo crimine implicari, quod aſperrimis poenitentiae actibus erat luendum, illud indidem conſequebatur, Traditores facinoris ejuſdem reatum admittere, ideoque iiſdem quibus illi, poenis ſubjici, quemadmodum a Martyribus judicatum eſt. Tum inſuper ab examine controverſiae hujus diſcimus, tantam fuiſſe erga Martyrum decreta fidem ac venerationem, ut hinc Catholica Eccleſia ſumſerit moderandae diſciplinae normam, & eos ſui gradus jactura multaverit, qui Traditionis crimine commaculati aliquando fuiſſe deprehenderentur. Certè ex ea perſuaſione ortum eſt, atque apud fideles mirè propagatum Schiſma Donatianum, quod aliquot ſupra integrum Seculum annis Eccleſias Africanas in pernicioſiſſimam factionem diſtraxit, & caedibus atque aerumnis turbulentiſſimè divexavit.

§. II.

De Actis Concilii Cirtenſis, in quo jacta Donatiani Schiſmatis fundamenta, deque electione Caeciliani Carthaginenſis.

Synopsis.

I. *Libellaticorum pariter & Novatianorum errores à Donatiſtis inſtaurantur.* II. *Horum Secta ex Optato quae fuerit.* III *Priores Epiſcopi Donatiſtae in Concilio Cirtenſi adunati crimen traditionis ſibi mutuo indulſerunt.* IV. *Expenduntur illius Synodi Acta.* V. *Conſtat illius Criminis reos fuiſſe, quod impegerunt Caeciliano.* VI. *Pudet Donatiſtas Cirtenſis illius Conventiculi.* VII. *Piae artes Menſurii Carthaginenſis ſuppeditant criminandi*

locum

locum Donatiſtis. VIII. *Menſurii obitus.* IX. *Electio Caeciliani in Sede Carthaginenſi.* X. *Quae fuerint Caeciliani cum Lucilla & Epiſcopis ſimultates.*

I. PRofecerunt in ſchola partim Libellaticorum, partim Novatianorum magiſtris ſuis nequiores Donatiſtae. Et Libellatici quidem ducibus Novato, Feliciſſimo & factioſis Preſbyteris, laxioris diſciplinae non tam patronis, quàm autoribus, immunes ſeſe qualiſcumque noxae, quum Libellos aut peterent aut offerrent, fuiſſe contendebant adversùs Fiduciarium Epiſcoporum Decretum. Contra verò Novatianus ab ea laxiori & pernicioſa diſciplina ad rigidiſſimum erga peccatores & haereticale dogma proſiliens, non tantùm Libellaticis, ſed ceteris univerſim Lapſis poenitentiam denegavit. Utramque falſam & ſecum invicem pugnantem doctrinam amplexi ſunt Donatiani. Nam primùm quidem hujuſce autores Schiſmatis, exemplò Libellaticorum, repugnare inſtiterunt Catholicarum Eccleſiarum conſenſui, quae ex ſententia Martyrum deliberaverant agere cum Traditoribus non aliter, atque agendum cum Lapſis eſſe ſtatuerat Peremtorium Decretum: ut propterea Epiſcopos plurimos & libellorum uſu, & ſacrorum Codicum traditione maculatos, citra ullum poenitentiae ordinem atque gradum, pace donarint & communione. Poſtea vèrò ad diſciplinam redeuntes, quod ipſi crimen perpetraverant, ſibique adinvicem condonaverant, falſò & injuria aliis imponentes, cum iis diſciplinae ſeveritatem, atque integrum poenitentiae ordinem ſervandum eſſe, uſque ad Schiſma conflandum perfractè contenderunt. Haec igitur ut accuratè introſpiciamus, atque ipſius Donatiani ſchiſmatis originem teneamus, inquirendum hoc loco eſt, quid factionis duces contra receptam Eccleſiarum diſciplinam circa Traditionis facinus attentarint.

II. Ad rei ſummam pernoſcendam faciunt verba Optati lib. 1. pag. 14., quae heic adſcribere non gravabimur. *In Africa*, ſcribit ille, *duo mala & peſſima admiſſa eſſe conſtat: unum in traditione, alterum in ſchiſmate: ſed utraque mala & uno tempore, & iiſdem*

iiſdem autoribus videntur eſſe commiſſa. Debes ergo, Frater Parmeniane, diſcere, quod intelligeris ignorare: Nam fermè ante annos LX. & quod excurrit, per totam Africam perſecutionis eſt divagata tempeſtas: quae alios fecerit Martyres, alios Confeſſores, nonnullos funeſta proſtravit in morte, latentes dimiſit illaeſos. Quid commemorem Laïcos, qui tunc in Eccleſia nulla fuerant dignitate ſuffulti? Quid Miniſtros plurimos? Quid Diaconos in tertio? Quid Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtitutos? Ipſi apices & Principes omnium aliqui Epiſcopi illis temporibus, ut damno aeternae vitae iſtius incertae lucis moras breviſſimas compararent, inſtrumenta Divinae Legis impiè tradiderunt. Ex quibus erant Donatus Maſculitanus, Victor Ruſſicadenſis, Marinus ab Aquis Tibilitanis, Donatus Calamenſis, & homicida Purpurius Limatenſis; qui interrogatus de filiis Sororis ſuae, quod eos in carcere Milci necaſſe diceretur, confeſſus eſt dicens, & occidi non eos ſolos, ſed & quicumque contra me fecerit. Et Monalus, qui ne thurificaſſe à ſuis Civibus probaretur, oculorum dolorem fingens, ad conſeſſum ſuorum procedere trepidavit. Haec ille.

III. Sed quemadmodum ejuſcemodi Epiſcopi crimine traditionis irretiti, in Cirtenſi Concilio viciſſim reatum ſibi & poenitentiae onera dimiſerint, aperiamus. Apud Cirtam Numidiae Urbem Epiſcopatum gerebat Paulus, Silvano aliiſque Subdiaconis comitatus, quum ann. 303. erumpente perſecutione Diocletiani, Munatius Felix Curator Coloniae Cirtenſium, quae & Conſtantina dicebatur, executioni ut traderet primum edictum, quo & everti Chriſtianorum Eccleſias, & ſacros illorum Codices comburi, juſſum erat, acceſſivit Cirtenſem Epiſcopum Paulum, Silvanum ceteroſque Clericos, qui ultro Felici Curatori vaſa ſacra, ſanctoſque Codices tradiderunt. Haec ex Actis Proconſularibus, quae recitantur in Geſtis Purgationis Caeciliani, apud Baluzium pag. 91. Tom. II. Miſcellan., abunde conſtabant. Interim moritur Paulus inexpiato traditionis crimine: & Secundus Tigiſtanus Epiſcopus cum aliis X. Numidiae Epiſcopis, quorum nomina recenſet Optatus, anno, ut Chronologi volunt, 305. venerunt Cirtam: ſiquidem eodem

dem Optato teſte id actum eſt poſt perſecutionem, quae praedicto anno 305. currente, quum Diocletianus & Maximianus Herculeus Imperium reliquiſſent, ceſſare viſa eſt, atque à Praeſidibus ſeveritas Edictorum temperari. Itaque Cirtenſi Populo ille idem Silvanus in Epiſcopum propoſitus eſt, qui anno ut diximus 303. in munere Subdiaconi conſtitutus, unà cum Paulo Epiſcopo ſacros Codices & ſancta vaſa tradiderat, nequidquam repugnantibus cordatioribus & pientioribus viris, qui Silvanum velut Traditorem Epiſcopatu inſigniri haud poſſe clamitabant. Unde Victor Grammaticus [quod in Geſtis purgationis Caeciliani legimus] de hac electione interrogatus dixit: *Clamavi & ego, & Populus, quod Traditor eſſet*. Sed vel invitis Optimatibus, harenariorum Plebecula id obtinuit, ut Epiſcopus eſſet Silvanus.

IV. Plebi obſecundavit paruitque Secundus Primas, & Silvano communicavit. Convenerunt itaque undecim illi Epiſcopi, qui cum Silvano numerantur XII. à S. Auguſtino in Breviario cap. 17. Eorum plurimi Traditores deprehenſi ſunt, atque unus inſuper homicida, ceteri verò à Traditionis facinore immunes. Anteaquam ad Silvani ordinationem procederetur, Secundus dixit. *Probemus nos primò, & ſic poterimus hic ordinare Epiſcopum Secundum*: legendum omninò eſt, *Silvanum*. Mox de praeſentibus Epiſcopis examen inſtitutum eſt, ut dignoſceretur, canonico ne impedimento aliquo tenerentur. Stetiſſe Epiſcopos illos, de quibus actio inſtituta eſt, cum Acta Concilii hujus memorant, tum explorata res eſt, neminem olim ad ſeſſionem judiciumque fuiſſe admiſſum, quin prius de legitima ejus conditione autoritateque ferendi judicii conſtaret. Quapropter in Collat. Carthagin. ipſo fermè initio Marcellinus qui Judex erat, ad Patres dixit: *Id autem nobis expedit, id neceſſe eſt, ut cum cauſſa peroratur, cùm prius incipitur, ut etiam perſonae conſtent, ſtare ſingulos deceat, quibus ſubire contitigit diſputationis examen*. Probatum igitur eſt, traditionis crimine irretiri Secundum Primatem, Donatum Maſculitanum, Marinum ab Aquis Tibilitanis, Victorem Ruſſicadenſem, &

Purpu-

Purpurium Limatenſem. Ipſimet illi qui hoc facinore vacabant, ejus fuere ſententiae, quam prodit ibidem Optatus. *Conſulti ſunt qui remanſerunt, ideſt Victor Garbienſis, Felix à Rotario, & Nabor à Centurion. Ii dixerunt, talem cauſſam Domino debere reſervari.* Quod Cirtenſia Acta ex Eccleſiaſtica diſpenſatione atque oeconomia, neve ſchiſma induceretur, aïunt contigiſſe. Secundus minor Patruo ſuo Secundo dixit. *Audis quid dicat in te* [Purpurius] *paratus eſt recedere, & ſchiſma facere non tantùm ipſe, ſed & omnes quos arguis, quos ſcio, quia dimittere te habent & dare in te ſententiam, & remanebis ſolus haereticus, ideò quod ad te pertinet, quis quid egit, Deo habet reddere rationem. Secundus Felici à Rotaria Centurioni, & Victori à Garbe* (Haec verba ex Optato ut ſupra ſunt emendanda) *dixit: Quid vobis videtur? Reſponderunt: habent Deum cui reddant rationem. Secundus dixit: vos ſcitis, & Deus: ſedete. Et omnes reſponderunt, Deo gratias.* Fueritne tempeſtiva ejuſcemodi oeconomia, alibi commodius diſquiremus.

V. Interim ex iis quae diſputata hactenus ſunt, pro certò habemus, Secundum Tigiſtanum Numidiae Epiſcopum, & cum eo Silvanum ad Cirtenſium Sedem electum, ceteroſque plures Epiſcopos fuiſſe traditores, qui nimirum illud ipſum crimen quod certiſſimè admiſerant, Caeciliano, atque ejus ordinatori ſuis Literis Antencyclicis calumnioſè impoſuerunt, tamque inſolenti pertinacia, ut ejus rei cauſſa ſchiſma quod Donatianum appellatum eſt, in Eccleſiam invexerint. De Silvani traditoris ordinatione agit etiam S. Auguſtinus epiſt. 165. & lib. 2. contra Lit. Petilian. cap. 21.

VI. Puduit Donatiſtas Conventiculi hujus Cirtenſis in Collat. Carthaginenſi, cauſſarique minimè veriti ſunt, Acta ſpuria eſſe & fictitia, obtendentes praecipuè in illis contra Eccleſiaſticam conſuetudinem, diem & Coſſ. ſignari: tum etiam tempore perſecutionis Epiſcopos haudquaquam in unum convenire potuiſſe. Quid ratiunculis hiſce Catholici regeſſerint, exponit S. Auguſtinus in Breviculo. Verumtamen Acta eadem velut indubia pridem à Parmeniano Donatiſta fuiſſe habita, non ambiguè

docet

Digitized by Google

docet Optatus, qui veram Donatiani ſchiſmatis originem cauſſamque ex illis repetiit.

VII. Porrò altera eaque vehementior ſeparationis Eccleſiarum cauſſa fuit electio Caeciliani. Erat per ea tempora Primas Carthaginenſis Menſurius, qui ut eluderet Perſecutorum furorem & rabiem, pia quadam fraude uſus, ablatis de Baſilica ſacris Codicibus & clam aſſervatis, nonnulla Haereticorum ſcripta in ſacro Archivo repoſuit, quibus inventis atque igne conſumtis, acquieverunt Perſecutores. Factum hoc perſcripſit Menſurius in epiſtola ad Secundum Tigiſtanum, referente S. Auguſtino in Breviculo cap. 13. Collation. diei III. In eadem epiſtola Menſurius quorumdam meminit etiam, qui ſponte & ultrò ſeſe obtulerant Perſecutoribus, palamque profeſſi fuerant, ſe Deificos Codices nunquam fore tradituros. Intempeſtivum ejuſcemodi zelum juxta Smyrnenſis Encyclicae decreta improbat indubitanter & damnat. Quo de hominum genere ſcripſit etiam Euſebius lib. 8. Hiſt. cap. 3. *Alius verò clamabat & contenta voce teſtabatur, ſe ſacrificia repudiare: alius Chriſtianum ſe eſſe vociferabatur, ſalutaris hujus nominis confeſſionem praeſeferens: alius item ſe nec ſacrificaſſe, nec ſacrificaturum unquam affirmabat.*

VIII. Inter haec, quum Alexander Tyrannus in Africa purpuram induiſſet, nova irrupit perſecutionis tempeſtas. Ad Tyranni comitatum acceerſitus eſt Menſurius ea de cauſſa, quod Felicem Diaconum qui propter famoſam de Alexandri tyrannide epiſtolam delatus fuerat, in propria domo occultaſſe diceretur. Verum anteaquam Praeſul optimus ad comitatum perveniret, humanis rebus exceſſit, referente ibid. Optato; atque eodem ferè tempore à Ruſo Voluſiano Praefecto Praetorii, quem Maxentius in Africam ablegaverat, Alexander victus captus & ſtrangulatus eſt, quemadmodum loquitur Victor de Caeſaribus, & Zoſimus lib. 2. cap. 15. Carthagine autem abiturus Menſurius, quaecunque pretioſior erat Eccleſiae Carthaginenſis ſuppellex, eam fidei quorumdam Seniorum commendavit: ſchedulam verò, in qua & Seniorum nomina, & res illis

illis contraditae deſcribebantur, fideli neſcio cui aniculae ea conditione dedit, ut ſi fortè ipſe ad Eccleſiam ſuam non amplius remearet, Succeſſori eam traderet.

IX. Maxentius Imperator, Tyranno & factionibus depreſſis, indulgentiam ac libertatem ſubjectis ſibi Provinciis tandem largitus eſt. Africani igitur libertatem Religionis adepti, metuque perſecutionum ſoluti, cogitare atque agere de electione Primatis coeperunt. Unanimi autem ſententia Cleri totius, necnon ſuffragio Populi Caecilianus electus eſt Carthaginenſis Primas, atque à Felice Aptungitano Epiſcopo ordinatus.

X. Fuerat ſub Menſurio Eccleſiae Carthaginenſis Archidiaconus Caecilianus. Acta quidem Saturnini & ſociorum referunt, Menſurium recenti Scripturarum traditione pollutum, ſceleris ſuis amentiam inſolenti ferocia publicare coepiſſe: & quum deprecari à Martyribus veniam combuſtorum ſacrorum Codicum debuiſſet, delicta ſua majoribus flagitiis cumulaſſe: imò uſque adeò in Martyres ſaeviiſſe, ut quum ſcelerum ſuorum complicem haberet Cyprianum, ipſe prohibuerit fideles offerre Martyribus conſueta ſubſidia. Sed haec jure optimo velut à Donatiſtis conficta, Actiſque illis inſerta refellit ibi Baluzius. Calumnia igitur haec ut Menſurio, ſic Caeciliano impoſita à Donatiſtis fuit in laudata ſaepius Collatione, referente S. Auguſtino cap. 14. Brevic. Invidiam quoque Caeciliano creavit Lucilla opulentiſſima faemina, quam ille ſuo muneri intentus quum animadvertiſſet oſſa Martyris cujuſdam incogniti & ab Eccleſia non probati, ante Euchariſtiae communionem deoſculari, publicè objurgaverat; quippe ad Archidiaconum, vel ad Seniorem Preſbyterum ſpectabat, inhibere ne quidpiam indignum in Euchariſtica communione fieret. Quod in Eccleſia quidem Alexandrina ad Archipreſbyterum pertinuiſſe, docent quae ſcribit Socrates H. lib. 6. cap. 9. *Petrus quidam fuit Alexandrinae Eccleſiae Archipresbyter. Huic infenſus quum eſſet Theophilus, Eccleſia eum expellere ſtatuit: eique hoc crimen objecit, quòd mulierem quandam ſecta Manichaeam ad ſacra myſteria*

Digitized by Google

myſteria admiſiſſet, antequam ab errore Manichaeorum eam abſtraxiſſet. Atque haec erat nobiliſſimae Africanae Eccleſiae conditio, quum Schiſma Donatianum excitari incoepit, quod pro Afrorum ingenio ſat fervido atque audaci ita Eccleſias Eccleſis, Populoſque Populis colliſit, ac pertinaciter adhaeſit, ut novo perſecutionis genere non jam Tyranni, ſed Chriſtiani in Fratres ſuos & Religionis ejuſdem compotes quovis Perſecutore truculentius ſaevicrint,

§. III.

De Antencyclica Majorini Pſeudo-Primatis Carthagin., & Concilii Epiſcoporum Donatiſtarum, qua Schiſma declaratum eſt.

S Y N O P S I S.

I. *Conſpirationes Botri & Coeleſii, necnon Lucillae & Seniorum adversùs Caecilianum*. II. *Jura Primatis Numidiae in Ordinatione Praeſulis Carthaginenſis*. III. *Illo abſente ordinatus Caecilianus: unde origo ſimultatum*. IV. *Numidiae Epiſcopi & hac offenſione, & pecunia Lucillae adversùs Caecilianum irritantur*. V. *Conveniunt in aedibus ipſius Lucillae, & Caecilianum depoſitionis ſententia pulſant*. VI. *Primatem eligunt Majorinum*. VII. *His de rebus Antencyclicam condunt, & per Ingentium Scribam evulgant*. VIII. *Verebantur illi ejuſdem criminis à Caeciliano primùm redargui, & traditores denunciari*. IX. *Singuli Antencyclicae exemplaria ad Populos ſuos tranſmittunt*. X. *Quid conſecuti ſint, ex Auguſtino proponitur*. XI. *Novatianum Schiſmaticum apprimè ſunt imitati*. XII. *Quid cauſſae fuerit, cur multae Eccleſiae illis adhaeſerint*.

I. BOtrus & Caeleſius ſui ferè impotes, quod ſpe Carthaginenſis Sedis occupandae, quam canonica electione

regebat Caecilianus, excidiſſe ſibi viderentur, ſumma animi aegritudine atque ira perciti, agitare conſilia & nullam non arripere occaſionem coeperunt vindictae exercendae. Imprimis non ignari, Lucillam uſque adeo indignanter ferre Caeciliani electionem, cui erat ob Eccleſiaſticam correptionem infenſiſſima, ut ad factiones contra illum excitandas non tam prona, quam appetens eſſet, in partes ſuas eam traduxerunt. Iis acceſſere pariter Seniores illi, quibus auream & argenteam Eccleſiae ſuppellectilem Carthagine diſceſſurus Manſurius crediderat. Nam Caecilianus Archiepiſcopus electus, re per Aniculam cognita, Sacrum depoſitum ab iiſdem repetiit, *qui faucibus avaritiae commendatam ebiberant praedam*, quemadmodum loquitur Optatus. Carthagine itaque tres potentiſſimae factiones in Caecilianum conſpiravere, atque hac coïtione infauſtum effectum ſuum malignitas ſortita eſt. Appoſite ibid. Optatus. *Schiſma igitur ambitus peperit, avaritia nutrivit, confuſae mulieris iracundia roboravit*.

II. Conſueverant pridem Epiſcopi & Primas Numidiae intereſſe Carthaginenſis Antiſtitis electioni: & quamquam uſuveniſſet, ut Primates ceteriquepraecipuarum Sedium Epiſcopi ab eo, qui poſt Primatem dicebatur obtinere primam Cathedram, ordinarentur, utque idem, Sede Vacante, Eccleſiam Primatialem ſuo Paſtore viduatam regeret, qui apud Graecos vocabatur Protothronus, velut erant in Tractu Antiocheno Epiſcopus Tyrienſis, & in Romano Oſtienſis: Numidiae tamen Epiſcopos aliquid juris in electione Primatis Carthaginenſis habuiſſe, conſtat ex Cypriano, qui quum Pontifici Cornelio annunciat electionem Pſeudo-Epiſcopi Fortunati a Schiſmaticis factam, illud etiam advertit, Schiſmaticos, Plebem ut ſeducerent, diffamaſſe, brevi adventuros è Numidia viginti quinque Epiſcopos, Fortunatum ordinaturos. Equidem in Concilio Cirtenſi Secundus Tigiſtanus Numidiae Metropolita dicitur à Prima Cathedra, quia ſcilicet poſt Primatem Carthaginenſem primus erat, ideoque quadam Protothroni praerogativa inſignitus. Fuit igitur, niſi fallor, jus aliquod Tigiſtano, & Numidiae Epiſcopis in electione & conſecratione Primatis Carthaginenſis.

III.

Digitized by Google

III. Conjecturam multo firmius adſtruit Botri & Caeleſii fraudulentia. Ii enim quum ſibi aditum ejus quiam ambiverant, occupandae dignitatis intercipi perſentiſcerent, in id incubuerunt, ut in Caeciliani ordinatione nequaquam exſpectarentur Numidiae Epiſcopi, iique propterea in Caecilianum ipſum hac offenſione commoverentur. Advertit id Optatus ibid pag. 19. *Botrus & Caeleſius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt ut abſentibus Numidis, ſoli vicini Epiſcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc ſuffragio totius Populi Caecilianus eligitur.* Haec competitorum Caeciliani protervia hauddubiè inſinuat, Numidis jus aliquod in ea electione tributum fuiſſe, quo fruſtrati cum fuerint, ira atque odio abrepti, Lucillae etiam, Botri, ac Caeleſii ſuaſionibus muneribuſque inclinati Schiſma conflarunt.

IV. Et Lucilla quidem miſſis 400. follibus (nummos intellige: nam in Africa potiſſimum folles monetae genus quoddam fuiſſe conſtat, ut prolixè Du-Cangius in Diſſert. de inferioris Aevi numiſmatibus) Epiſcopos Numidiae adeo in factionem ſuam pellexit, ut Caeciliano bellum indixerint. Venerunt Carthaginem Secundus Tigiſtanus Epiſcopus, ceterique Numidiae Antiſtites, qui in Cirtenſi Concilio crimine traditionis commaculati deprehenſi fuerant. Hoſpitio illos excepit muneribuſque cumulavit Lucilla, atque id omnino egit, ut ſimul cum Botro, Caeleſio, & Senioribus olim ſacri Theſauri Depoſitariis conſilia de Caeciliani depoſitione agitarent. Carthagine igitur coetus Epiſcoporum indicitur, cui interfuerunt LXX. Epiſcopi, atque inſuper memorati nuper Seniores, aliique aut avari, aut ambitioſi, aut irati. Appoſitè Optatus lib. 1. pag. 20. *Ad Secundum Tigiſtanum miſſum eſt, ut Carthaginem veniretur: proficiſcuntur omnes ſupra memorati Traditores, ſuſcepti hoſpitio ab avaris, ab ambitoribus, ab iratis, non à Catholicis, quorum petitione Caecilianus fuerat ordinatus.* De follibus quos inter Epiſcopos Lucilla partita eſt, teſtes producti ſunt in Geſtis purgationis Caeciliani. Nundinarius etiam Diaconus, ut in Geſtis apud Zenophilum de Purgat. Caecil., has Lucillae nun-

 dinas

dinas patefecit, teſtante idipſum Auguſtino de Unit. Eccl. cap. 16.

V. Conventus hic non in aliqua Chriſtiana Baſilica celebratus, ſed in aedibus quas Lucilla & ambitioſi Seniores praebuerunt. Paucis expedita res fuit. Confictis calumniis, Caecilianum velut illegitimè electum, eſſe jure ipſo depoſitum pronunciarunt, ac Lucillae domeſticum Majorinum Epiſcopum Carthaginenſem dixere. Cauſa damnationis propoſita eſt in Antencyclica, quam ante Encyclicas, Caeciliani, ut Populorum animos occuparent, fraudulenter per Africam & continuò diſſeminarunt: unde Schiſma radices egit multò altiores; quippe Afrorum pars altera ſequebatur Caecilianum altera Majorinum. Quod deſcribit eodem loco Optatus. *Interea ad Baſilicam, ubi cum Caeciliano tota Civitas in frequentia fuerat, nullus de ſupradictis acceſſit. Tunc à Caeciliano mandatum eſt: ſi eſt quod in me probetur, exeat accuſator & probet. Illo tempore à tot inimicis nihil in illum potuit confingi. Sed de Ordinatore ſuo, quod ab iis falsò Traditor diceretur, meruit infamari. Iterum à Caeciliano mandatum eſt, ut ſi Felix in ſe ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent Caecilianum.* Haec per jocum à Caeciliano dicta eſſe, obſervat in Brevic. S. Auguſtinus, qui illius verba ſic recitat. *Si Traditores ſunt, qui me ordinaverunt, ordinate me.* Dicam ſcilicet eandem Epiſcopis illis cum ſuo Praeſide Secundo inferens, qui reipſa fere omnes Traditores fuerant. Reſponſum Caeciliani agnovit equidem Purpurius, de quo haec ſubjungit Optatus. *Tunc Purpurius ſolita malitia fretus, quaſi & Caecilianus filius Sororis ejus eſſet, ſic ait: Exeat huc quaſi imponatur illi manus in Epiſcopatum, & quaſſetur illi caput de poenitentia. His rebus compertis tota Eccleſia Caecilianum retinuit, ne ſe Latronibus tradidiſſet.* Malitia, quam in Purpurio redarguit Optatus, ſatis manifeſtè apparuit in Actis Concilii Cirtenſis, ubi quum ad eum Secundus Primas haec fatus eſſet: *dicetur, te necaſſe filios Sororis tuae duos*; ille ſat imperiosè atque arroganter repoſuit. *Putas me terreri à te...... Nam ego occidi, & occido eos qui contra me faciunt: ideo noli me provocare, ut plus dicam, ſcis me de nemine tractare.*

VI.

VI. Damnato igitur Caeciliano ſententia Epiſcoporum Schiſmaticorum qui traditionis crimine infamati erant, Pſeudo Epiſcopus Carthaginenſis eligitur Majorinus Lucillae domeſticus, qui hactenus Lectoris munere defunctus erat, ſcribente ibid. Optato. *Sic exitum eſt foras, & altare contra altare erectum eſt, & ordinatio illicita celebrata eſt: & Majorinus, qui Lector in Diaconio Caeciliani fuerat, Domeſticus Lucillae, ipſa ſuffragante, Epiſcopus ordinatus eſt à Traditoribus, qui in Concilio Numidiae, ut ſuperiùs diximus, crimina ſua ſibi confeſſi ſunt, & indulgentiam ſibi invicem tribuerunt. Manifeſtum eſt ergo, exiſſe de Eccleſia & ordinatores qui tradiderunt, & Majorinum qui ordinatus eſt*. Suffragia etiam & vota adverſus Caecilianum à Secundo Primate, atque à ceteris prolata ſunt, quorum exemplum unum videre eſt apud S. Auguſtinum in Trac. contra Fulgentium Donatiſtam cap. 26., & eſt Martiani, qui Caeciliano ab ipſis nequaquam communicandum, ſed eum inſtar palmitis infructuoſi ab Eccleſia projiciendum edixit. Qua de re conſulendus idem Auguſtinus in Epiſt. 162. 171. & lib. 4. contra Creſconium cap. 7.

VII. Antencyclicam deinde condiderunt, in qua ſuadere conabantur, illegitimè Caecilianum ordinatum eſſe à Felice, reo ut affirmabant, traditionis. Subſcripſerunt Epiſtolae unà cum Secundo Primate ceteri qui aderant omnes, eamque Ingentio Scribae tradiderunt, ut ſumto Dominici Curſoris habitu celerrime ad Eccleſias Africae perferret, quatenus Majorini electionem ratam haberent. Fraudem hanc primus reſeravit coram Judicibus Apronianus in Actis Proconſularibus Zenophili, apud Baluzium pag. 87. his verbis *Subornatus eſt quidam privatus homo, qui modum Curſoris haberet, qui ad Catholicae unitatem veniret, atque eos induceret, atque terreret. Detecta itaque factio eſt. Nam componebatur Felici religioſiſſimo Epiſcopo per mendacium, ut videretur Scripturas prodidiſſe, & exuſiſſe*. Felici itaque ordinatori Caeciliani in hac Encyclica crimina duo eaque graviſſima per ſummam injuriam impoſita ſunt, & quod nimirum tradiderit ſacros Codices, & quod ipſemet flammis injecerit. Sed de hac Donatiſtarum nequitie atque Ingentii Curſoris fraude, repete ſi lubet,

quae a nobis diſputata ſunt in Diſſert. 1. §. 3. num. 10. & ſeqq.

VIII. Haec Donatiſtarum, opinor, recriminatio in Caecilianum fuit, qui quum non ex contemtu quidem, aliave praepoſtera cauſſa Epiſcopos Numidiae ad electionem ſuam evocare praetermiſiſſet, ſed quod noſſet, ferme omnes reatu traditionis obſtrictos teneri, ideoque Canonicae diſtrictionis jure abſtentos ab omni Epiſcopali munere excidiſſe, non obſcurè jam in illos animadvertere hac ratione incoeperat. Veriti igitur, ne in eo Concilio, quod pro electione Caeciliani Carthagine celebrabatur, abſtenti ac poenitentes declararentur, adſociati Lucillae atque iratis Senioribus Caecilianum ipſum traditionis inſimulare, eaque de re judicia ceterarum Africae Eccleſiarum praeoccupare conati ſunt. Liquet id imprimis ex Optato, qui de Coetu Schiſmaticorum verba faciens, ſubjungit. *Providentes quod fama duas res ſimiles uno tempore loqui non poſſet; ut crimina in ſilentium mitterent ſua, vitam infamare conati ſunt alienam.* Vides, Numidiae Epiſcopos cum Secundo Primate eatenus contumeliam in Caecilianum molitos eſſe, quatenus ſua traditionis crimina in ſilentium mitterent. Verebantur ergo de iiſdem à Caeciliano redargui, à quo propter eadem nequaquam ad Concilium fuerant evocati, hauddubie in Concilio ipſomet velut abſtenti & Traditores denunciandi. Quod perſpicue & eleganter docet Optatus, ſcribens ibid. *Et cum poſſent ipſi ab innocentibus argui, innocentes arguere ſtuduerunt, mittentes ubique literas livore dictante conſcriptas: quas inter ceteros actus habemus impoſterum.* Ejuſcemodi ſcilicet Schiſmaticorum Encyclicas una cum ceteris actis ſuo operi adjunxerat Optatus, quae ſane niſi exſcriptorum aut incuria aut falſa pietate excidiſſent, exemplar hodieque haberemus prae oculis hujus potiſſimum Antencyclicae, cujus ope Schiſma conſtitutum eſt.

IX. His novam fraudem addidere Schiſmatici, ne aut machinatio detegeretur, aut Catholici Epiſcopi adhuc cum Caeciliano in Concilio aſſidentes celeri remedio aliquo erumpenti factioni obſiſterent. Concilio demum terminato & perfecto, evulgari conſueverunt Encyclicae, eaſque Patres ipſi, quum ad

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſias ſuas regrederentur, deferre & Populis recitare. Omiſſum id moris ab Epiſcopis Schiſmaticis, quorum ſinguli Antencyclicae ſuae exemplaria, durante adhuc conventiculo, ad Populos ſuos tranſmiſerunt, ut fidelium animi feſtinatione ſaltem occuparentur. Obſervavit id Optatus loco citato. *Adhuc Carthagine poſiti praeceſſerunt ſe Epiſtolis ſuis, ut rumoribus falſis cunctorum auribus insererent mendacium, ſparſa fama per Populos. Et dum de uno celebrata ſunt falſa, ſupradictorum veriſſima crimina ſub ſilentio latuerunt.*

X. Eandem Schiſmaticorum machinationem, & accuratam in calumnioſis diſpergendis rumoribus feſtinationem notavit ſaepius S. Auguſtinus, velut quum ſcribit lib. 4. cont. Creſcon. cap. 7. *Per judicium horrendae temeritatis feſtinatione accelerarunt:* Et in Epiſt. 162. ubi acta Conciliabuli & Schiſmaticorum enarrat, clarius hanc vafritiem deſcribit. *Igitur Concilium illud perverſum atque nefarium, maxime ut creditur Traditorum fuit, quibus confeſſis Secundus Tigiſtanus ignoverat: ut quoniam de Traditione fama crebuerat, infamatis aliis, à ſe averterent ſuſpicionem, & cum homines per Africam totam credentes Epiſcopis falſa de innocentibus loquerentur; quod damnati eſſent apud Carthaginem Traditores, tanquam in nebulam mendaciſſimi rumoris, ipſi qui verè tradiderant, latitarent . . . . . . Magis enim amplexi ſunt occaſionem, qua poſſent alios falſa criminatione perfundere, & converſas in eos linguas hominum ab inquiſitione criminum ſuorum hoc modo declinare.* Atque ea fuit vis Antencyclicae hujus, ut eodem anno 312., eodemque Menſe per univerſam Africam extemplo Schiſma invaluerit, & Eccleſias Populosque intantum colliſerit, ut alicubi ad caedem uſque & hominum laniaenam procederet. Appoſite iccirco concludit Optatus. *Vides ergo, Parmeniane, haec duo crimina tam mala tam gravia Traditionis & Schiſmatis, ad tuos Principes pertinere. Agnoſce vel ſerò, incurriſſe te in tuos, dum inſectaris alienos. Et cum priores tuos conſtet operatos eſſe hoc alterum nefas, & vos jam eos ſceleratis veſtigiis ſequi laboratis: ut quod illi priores in titulo Schiſmatis fecerant, & vos jamdudùm feciſſe, & nunc facere videamini: illi ruperunt ſuis temporibus pacem; vos exterminatis unitatem.*

 XI.

Digitized by Google

XI. Morem atque artem Antencyclicae hujus ſive condendae ſive vulgandae Schiſmatici Africae didicerunt abs Novatiano, qui in ſuo adversùs Cornelium Schiſmate, literas non abſimiles ad Eccleſias tranſmiſerat: illius enim Encyclica erat pariter Synodica, & denunciativa. Synodica quidem, ut propriam electionem ſive potius intruſionem patefaceret, ac ſubinde ab Epiſcopis Orbis Formatas reciperet: Denunciativa autem, quia contumelioſum Libellum contra S. Cornelium complectebatur. Id etiam proſpexerat Novatianus, ut Synodicam Cornelii anteverteret: unde factum eſt, ut plurimi de legitima illius ordinatione dubitaverint, quum in Synodica Novatiani viderunt enarrata Pontificis crimina, atque à Curſoribus more Eccleſiaſtico miſſis conſtanter aſſerta, quemadmodum in ſuperioribus annotatum eſt. Haud aliter Concilium Carthaginenſe Schiſmaticorum direxit Antencyclicam velut Majorini Synodicam, & opera celerrimorum Curſorum ad Eccleſias tranſmiſit, ipſius Majorini laudibus redundantem, ut Caeciliani, & Synodi ejus Encyclicam praecurrerent. Aſſumtus etiam Curſor Dominicus, atque Ingentio publico Scribae adſociatus, qui fronte depoſita palam & audacter mentiretur, ſe recepiſſe Literas Felicis Aptungitani, quibus Traditor comprobabatur: atque inſcio Caeciliani Concilio, apud Africanas Eccleſias tum Synodicam Majorini, tum denunciativam traditionis perpetratae à Felice, ordinatore Caeciliani, quantocyus & diſſeminari & probari curaret. Unde & illud conſecutum eſt, ut Eccleſiae plurimae hanc Schiſmaticorum ſententiam ſint amplexae.

XII. Age verò, quid in cauſſa potiſſimum fuerit, cur multae, eaeque non ignobiles Eccleſiae his laqueis tam facilè irretitae ſint, hoc loco inquiramus. Atque ego quidem id profectum opinor ex veteri ipſa conſuetudine Synodicarum, quas ſibi invicem ac mutuo dirigebant majorum Sedium Epiſcopi, magnaque ex hujus diſciplinae vi & autoritate. Uno ſed inſigni exemplo utemur. Alexander Hieroſolymitanus Epiſcopus in vinculis detentus, ſituque fere & macie confectus, vix electionem Aſclepiadis ad Epiſcopatum Antiochenum intellexit, quum

epiſtolam

Digitized by Google

epiſtolam continuò exaravit tranſmiſitque, cujus eſt initium, apud Euſeb. Hiſt. lib. 6. cap. 11. *Alexander Servus Dei, & vinctus Jeſu Chriſti, Beatiſſimae Antiochenſium Eccleſiae in Domino ſalutem. Expedita mihi ac levia vincula Deus effecit cuſtodiae meae tempore, poſtquam comperi Aſclepiadem, virum fidei merito maximè idoneum Sanctiſſimae Eccleſiae veſtrae Epiſcopatum divina providentia ſuſcepiſſe.* Sub finem verò haec vir Sanctiſſimus adjungit. *Porrò has Literas, Domini Fratres, per Beatum Presbyterum Clementem ad vos miſi, virum virtute praeditum & Probatum, quem vos & noſtis jam, & amplius cognoſcetis. Qui quidem Dei nutu ac providentia, dum hic apud nos praeſens eſſet, Eccleſiam Chriſti & confirmavit & magnopere auxit.* Clementem Alexandrinum intelligit, qui ab Eccleſia ſua dimiſſus fuerat Hieroſolymam, ut Martyres carceribus incluſos & ſolaretur & adjuvaret, pro more apud Eccleſias illius aevi recepto. Qua occaſione Alexandrum inter & Clementem amicitiae neceſſitudo interceſſit, ipſeque Clemens librum de Eccleſiaſtica Regula, ſive adversùs Judaeos ei inſcripſit, memorante ibid. Euſebio cap. 13. Hoc igitur more uſus Majorinus, & non ignarus, plurimum praeſidii & firmitatis acceſſurum electioni Caeciliani, ſi prior ille Synodicam ſuam evulgaret, eum antevertere, ſeque majoribus Eccleſiis ſtuduit approbare.

§. IV.

§. IV.

De Encyclica Caeciliani, deque Communicatoriis adverſùs Schiſmaticos illi redditis.

SYNOPSIS.

I. *Literarum Communicatoriarum praeſtantia variis documentis adſtruitur.* II. *Caecilianus evulgatis Enthroniſticis literis ſuis, ab univerſo pene Orbe Communicatorias accepit.* III. *Conſenſio Orbis in Electionem Caeciliani fuit verum Eccleſiae Magiſterium.* IV. *Conſenſio haec Eccleſiarum illuſtratur exemplo Veterum Societatum.* V. *Inde refellit Auguſtinus factionis Donatiſticae temeritatem.* VI. *Arguit etiam excidiſſe illos ab Eccleſiae Catholicae unitate & fide.* VII. *Vim Judicii illius agnovit Imperator Conſtantinus.* VIII. *Idem Imperator & privilegiis & largitionibus favet parti Catholicorum.* IX. *Effectus Communicatoriarum & Formatarum expenditur*

I. Literarum quae Communicatoriae dictae ſunt & Formatae, non ſemel à nobis expenſa autoritas eſt, ſummaque vis in Eccleſiaſtica compage & unitate ſervanda. Rei exempla cùm multa paſſim protulimus, tum illud ſane conſpicuum ex Novatiani audacia, qui quum ſua Antencyclica Cornelii literas praeveniſſet, communicatoria ac mutua id genus ſcripta per Curſores ſuos apud non ignobiles Eccleſias ſurripuit, iiſdemque intruſionem ſuam firmare elaboravit. Tam vehementi accuratione obſervatum ideſt, ut quum Pſeudo Epiſcopus Carthaginenſis adverſùs Cyprianum Schiſma excitavit, atque in partes nonnullos Epiſcopos pertraxit, Sanctus Praeſul optimum factu judicaverit, dirigere ad Cornelium Catholicorum Epiſcoporum nomina, ut ſcilicet nulli praeterquam iis communicatorias daret. Quamobrem ſcripſit etiam in epiſt. 59. *Miſerim tibi proximè nomina Epiſcoporum iſthic conſtitutorum, qui integri & ſani in Eccleſia Catholica Fratribus praeſunt. Quod utique*

ideo

Digitized by Google

ideo de omnium noſtrorum conſilio placuit ſcribere, ut erroris diluendi, ac perſpiciendae veritatis compendium fieret, & ſcires tu & Collegae noſtri, quibus ſcribere, & Literas mutuò à quibus vos accipere oporteret. Siquis autem praeter hos, quos epiſtola noſtra complexi ſumus, ſcribere vobis auderet, ſciretis eum vel ſacrificio, vel libello eſſe maculatum, vel unum de haereticis, perverſum ſcilicet & profanum. Quibus docemur, haſce Communicatorias mitti conſueviſſe, ut errores facilè diluerentur, & veritas ex unanimi profeſſione perſpiceretur. Viciſſim Cornelius quum noſſet quidem, primos Curſores Novatiani à Cypriano rejectos eſſe cum ſua Antencyclica, alios tamen quinque in Africam eadem de cauſſa navigaſſe, commonefecit illicò Cyprianum, & illorum nominibus in epiſt. 50. deſignatis, graviter mandat, ut ab omni communione in univerſa Africa rejiciantur. *Invigiletur ergò,* ſcribit Pontifex, *ut omnibus Coëpiſcopis noſtris & Fratribus innoteſcat:* ſcilicet ejuſcemodi miſſos eſſe Schiſmaticos; ideòque ab hoc ſanctiori Literarum commercio removendos. Hinc Cyprianus exagitans Marcianum Arelatenſem, Novatiani ſectatorem ſcribit Pontifici Stephano in Epiſt. 68., ut abſtentum illum declaret, additque ſub finem. *Significa planè nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus ad quem Fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus.* Nihil oberat intercapedo locorum Gallos inter & Afros, quin mutuò haſce communicatorias ſcriberent, tamque id vehementer expetebant, ut ne dolo malo aut coeco errore fieret, apud Primates ipſos certam uniuſcujuſque electionem & Orthodoxiam perquirerent. Ipſe equidem Cornelius poſteaquàm ab Eccleſiis velut legitimus Pontifex cognitus eſt, tam frequentes recepit epiſtolas ex omni terrarum parte, ut obſervante Anaſtaſio in ejus vita, hac una de cauſſa tanquam reus Majeſtatis apud Principes delatus ſit. Eodem facit quod ſcribit Hieronymus ad Theophilum. Quum enim is Paſchalem Pacificam emiſiſſet, ut ſiquo modo fieri poſſet, grave illud diſſidium ſopiret, quod inter Johannem Hieroſolymitanum, & Epiphanium, Hieronymumque fervebat ob cauſſam Origenianam, Johannes quidem ineptè & per calumniam

niam in ſua Apologia cauſſatus eſt, ſe illis neutiquam communicare poſſe, qui communione Cathedrae Petri deſtituerentur; Hieronymus autem id refellit inter alia his verbis. *Praeterea quod ſcribis, nos pergere tecum Romam, & Eccleſiae communicare ei, à qua videmur communione ſejuncti: non eſt neceſſe ire tam longè: & hic in Palaeſtina eodem modo ei jungimur.* Communicatoriis ſcilicet & Formatis, quas ſemper à Siricio, & Damaſo obtinuerat, & nullo negotio poterat exhibere. Haec igitur conſtans fuit Communicatoriarum conſuetudo, cujus in hac ipſa qua de agimus, Donatiſtarum controverſia illuſtre monumentum occurrit: ſiquidem hinc Caecilianus receptis undique communicatoriis legitimam electionem ſuam probavit, ſuoſque adverſarios iis deſtitutos redarguit Schiſmatis & impudentiae: inde verò Majorinus, quòd nonnullas ab Epiſcopis Africae communicatorias accepiſſet, tot machinationes ac tam diuturnos tumultus excitavit, ut negotium Catholico Orbi faceſſere viſus ſit.

II. Itaque eodem tempore, ut diximus, quo Schiſmatica factio in aedibus Lucillae ſuam Pſeudo-Synodum celebrabat, Caecilianus quoque in Baſilica Catholicorum cum Epiſcopis ſuis, quae pacis erant, agitabat. Porrò vix Catholicis innotuit feſtinata horrendae temeritatis machinatio, quum ſtatim denunciativam Encyclicam ſuam exararunt, eamque ad Epiſcopos totius Orbis direxerunt. Haec quidem Synodica pro more ſacrarum electionum Enthroniſtica fuit: fuit & denunciativa; quippe Majorini acta, Lucillae & Epiſcoporum facinora patefaciebat. Dolendum ſanè, intercediſſe hoc aureum priſcae aetatis & fidei documentum: quamquam eae ſuppetunt rationes, quibus ſatis abunde ſuadeamur, Orbem univerſum per communicatorias Literas ſuam cum Caeciliano conſenſionem atteſtatum eſſe, atque inſimul Schiſmaticos & Traditores velut extra Eccleſiam poſitos exſecratum fuiſſe. Et Epiſcopi quidem Schiſmatici ſive ut diutiùs Lucillae convictu fruerentur, ſive ut rei exitum operirentur, diu admodum Carthagine commorati ſunt. Quod laudatis ſupra verbis indicavit Optatus; & innuere perſpicuè vide-

Digitized by Google

videtur S. Auguſtinus in Epiſt. 162., dum ipſi Concilio LXX. Epiſcoporum partis Majorini opponit judicium Orbis pro Caeciliani electione contra Majorinum: Orbis, inquam, univerſi & in Capite Hierarchico, & in Epiſcopis, ceteriſque Eccleſiis eandem pro Caeciliano ſententiam proferentis, Synodicam acceptantis, & citra ullam ambiguitatem ejuſdem legitimam electionem agnoſcentis. *Certè*, inquit S. Doctor, *non chartis veteribus, non archivis publicis, non geſtis forenſibus aut Eccleſiaſticis agimus. Major liber noſter Orbis terrarum eſt.* Hoc judicium Orbis approbantis per Communicatorias fidem Caeciliani & electionem, longè aït antecellere judicium LXX. Epiſcoporum. *Peto tamen*, inquit, *& juſtum eſſe arbitror, ut tantum valeat Concilium Secundi Tigiſitani, quod Lucilla conflavit adverſùs abſentem Caecilianum & Apoſtolicam Sedem, totumque Orbem Caeciliano communicantem.* Quaſi diceret: Conferantur invicem quae Majorino, & quae Caeciliano datae ſunt ab Eccleſiis Communicatoriae: illae per ementitum Curſorem mendacemque teſtem extortae; hae verò ab Apoſtolica Sede, à Primatibus, atque à pleriſque Epiſcopis ultrò datae deprehendentur, nemine non ſtatim agnoſcente & hujus legitimam canonicamque electionem, & illius factioſam atque enormem intruſionem.

III. Neque verò dubitandum eſt, quin Catholicus Orbis ſuis hiſce ad Caecilianum communicatoriis omnium conſenſionem, atque adeò ſupremum magiſterium ſuum pro rei dignitate expreſſerit. Ordo ipſemet diſciplinae id abunde ſuadet. Nam Primates quicumque eligerentur, unà cum actis ejus quod celebrabatur Concilii, Synodicam fidei profeſſionem ad ceteros Primates mittebant, qui viciſſim communicatorias reddebant, ceteris Suffraganeis Epiſcopis in ſententiam votumque ſui Primatis concedentibus. Accedit, quod Primatum quilibet occaſione Paſchalium conſcribendarum ceteris ejuſdem honoris conſortibus electiones Suffraganeorum ſuorum per annum celebratas denunciarent. Quod & in exemplo Marciani Arelatenſis paullò ſupra memorati luculenter perſpicitur, & Cyprianus in electione Cornelii ſuis Literis docuit. Nam quum Pon-

tifex

tifex & ab Epiſcopis XVI. qui Concilio aderant, electus eſſet, & ab Epiſcopis Africae duobus qui Romam miſſi fuerant, probata Africanis fuiſſet ejus electio, & ſuſcepta Synodalis Encyclica, continuò Cypriani & ceterorum Africae Praeſulum communicatorias accepit. Imò Cyprianus in epiſt. 43. uſque adeò ratam habet ac firmam Cornelii electionem hiſce Literis undique celebratam, ut Novatiani aſſeclas & temeritatis,& ſchiſmatis, & tantùm non haereſis manifeſtae redarguat, atque ut ab ea pertinacia reſiliant, vehementer adhortetur. *Quibus ſemel reſponſum dedimus, nec mandare deſiſtimus, ut pernicioſa diſſenſione & concertatione depoſita impietate ſciant, matrem deſerere: & agnoſcant atque intelligant Epiſcopo ſemel facto, & Collegarum ac plebis teſtimonio & judicio comprobato, alium conſtitui nullo modò poſſe: proinde ſi pacificè ſibi ac fideliter conſulunt, ſi ſe aſſertores Evangelii Chriſti eſſe confitentur, priùs ad Eccleſiam revertantur*. Vides, extra Eccleſiam & impios haberi eos qui poſt ejuſcemodi communicatorias Cornelio datas, Orbis judicio & conſenſioni intercederent. Iis gemina ſunt quae ſcribit in epiſt. 55. ad Antonianum, ut illi electionem Cornelii probet, & abs ſequela Novatiani abſterreat. *Ut Cornelium*, inquit, *nobiſcum veriùs noveris, non de malignorum & detrahentium mendacio, ſed de Domini Dei judicio, qui Epiſcopum fecit, & Coëpiſcoporum teſtimonio, quorum numerus univerſus per totum Mundum concordi unanimitate conſenſit. Nam quod Cornelium cariſſimum Deo, & Chriſto, & Eccleſiae ejus, item Conſacerdotibus cunctis laudabili praedicatione commendat*. Repetit haec eadem argumenta Pacianus in epiſt. ad Sempronian., ceteros Novatianos ſic generatim compellans. *An ſapientiores illo ſumus, & ſpiritu carnis inflamur adversùs eum, quem aeterni Dei teſtem nobilis cruor, & clariſſimae paſſionis corona perduxit? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totum Orbem cum eodem Cypriano pax una ſolidavit?* Magna igitur mutuis hiſce Primatum Literis autoritas eſt attributa, eaque tanti momenti, ut qui contra niterentur, meritò in ſuſpicionem fidei venirent.

IV. Statim verò ac Caeciliani Encyclica ad Apoſtolicam Sedem

dem

dem delata eſt, probata continuò fuit, & ad Caecilianum ipſum redditae ſunt communicatoriae. Pontificis ſententiam ſecutae fuerunt tranſmarinae Eccleſiae, quae iccircò & Caeciliano communicarunt, & eos ab hac ſanctiſſima ſocietate alienos cenſuerunt, qui communicare eidem detrectarent. Ita diſſerit Auguſtinus in Epiſt. 162., ubi Conventiculi illius Donatiſtici intollerabilem temeritatem redarguit, quae quum in Urbe totius Africae Metropoli erupiſſet, ceteras Eccleſias in magnum diſcrimen conjecerat. *Erat autem*, proſequitur Auguſtinus, *tranſmarinis vicina regionibus & fama celeberrima nobilis: unde non mediocris autoritatis habebat Epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret & Romanae Eccleſiae, in qua ſemper Apoſtolicae Cathedrae viguit principatus, & ceteris terris, unde Evangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias Literas eſſe conjunctum: ubi paratus eſſet cauſſam ſuam dicere, ſi adverſarii ejus ab eo illas Eccleſias alienare conarentur*. Praeclara eſt haec Auguſtini diſputandi ratio, ſumta procul dubio ex antiquarum Societatum civilium perfectiſſima unitate, cujus ſervandae gratia Urbes ſociatae atque ſecum invicem conſpirantes, ſi fortè una quaedam & altera inter ſeſe diſſentirent, per publicos Societatis Senatores ex ſuiſmet Legibus fundamentalibus in loco delecto ad res communes deliberandas diſſidium componere, pacemque ſarcire allaborabant. Sic in Jonica Societate conveniebant Delphis Amphyctiones, ſeu Proceres Societatis ſervandae, quos ſociae Urbes ſingulae ſtatis temporibus dirigebant, ut diſputationes quum audiiſſent, ultimo eas judicio definirent. Quod ſiqui eſſent judicii oſores, ii poenis, bellis, ipſaque Urbium everſione multabantur. Ad hunc ferè modum, inquit Auguſtinus, Cathedra Apoſtolica centrum eſt unitatis & Chriſtianae ſocietatis. Ibi caput Hierarchicum, cui ceteri Epiſcopi in una eademque ſententia jungebantur, Caecilianum per receptas redditaſque communicatorias ſocium agnoverat: quapropter ſiqui Caeciliano oblatrare velint, & ipſe & illi ad ipſum Societatis & unitatis Centrum conveniant, ubi certò certiùs conſti-

turum

turum erat, Caecilianum hujuſce Societatis juribus compotem haberi, ceteros verò extra illam vel ipſius diſſenſionis cauſſa exiſtere.

V. Huic argumento priſcarum Societatum arctius deinde inſiſtit Auguſtinus, atque inde colligit, Secundum Numidiae Primatem, cui velut Protothrono & primae Cathedrae poſt Carthaginenſem in Africa praeſeſſio illius coetus, in quo electus eſt Primas Carthaginenſis, ſine dubio competebat, in eo quammaximè aberraſſe, quod per ſeipſum illegitimam electionem Caeciliani judicare auſus ſit, quando univerſa Chriſtiana ſocietas illi per communicatorias arctiſſimè conjuncta erat. Ad centrum potiùs unitatis properandum fuiſſe aït, ubi decernendum erat, uter illorum, Caecilianus, an Secundus haberi Socius oporteret. Agnoſcit igitur Auguſtinus praerogativam praeſedendi Concilio illi, in quo Primas Carthaginenſis eligebatur; ſed damnat illius audax judicium, quo totius Orbis conſenſioni pro Caeciliano intercedere praeſumſerat. *Haec res maximè ſolicitare debuit Secundum, qui tunc erat Primas, ſi propterea Concilium regebat, ut paci conſuleret: Facilè enim fortaſſis rabida in abſentes ora placata vel fraenata comprimeret, ſi diceret. Videte, Fratres, poſt tantam ſtragem perſecutionis miſericordia Dei à Principibus ſeculi pacem eſſe conceſſam: non debemus nos Chriſtiani & Epiſcopi unitatem diſrumpere Chriſtianam, quam jam Paganus non inſequitur inimicus. Itaque ut iſtas omnes cauſſas, quas clades turbulentiſſimi temporis inflixit Eccleſiae, Deo judice dimittamus: aut ſi aliqui in vobis ſunt, qui certa iſtorum crimina ita noverint, ut ea facilè valeant edocere, negantèſque convincere, & talibus communicare formident: pergant ad Fratres & Collegas noſtros tranſmarinarum Eccleſiarum Epiſcopos, ut ibi priùs de iſtorum factis & contumacia conquerantur, quod ad judicium Collegarum Afrorum malè ſibi conſcii venire noluerunt, ut inde illis denuntietur, ut veniant, ibique objectis reſpondeant. Quod ſi non fecerint, ibi etiam eorum pravitas & perverſitas innoteſcat, miſſaque Tractatoria ſuper eorum nomine, per totum Orbem terrarum, quacumque jam Chriſti Eccleſia dilatata eſt, ab omnibus Eccleſiis eorum communio praecidetur,*

ne

ne aliquis error in Cathedra Eccleſiae Carthaginenſis oriatur. Tum demum ſecuri Epiſcopum alium Plebi Carthaginenſi ordinabimus, quum à tota Eccleſia iſti fuerint ſeparati: ne fortè cum alius modò fuerit ordinatus, non ei communicetur ab Eccleſia tranſmarina, quia iſte ab honore depoſitus non videbitur, quem jam ordinatum fama celebravit, & ad eum commeare Communicatorias Literas fecit, atque ita magnum ſcandalum ſchiſmatis in unitate Chriſti jam pacatis temporibus oriatur, dum praepropere noſtras volumus praecipitare ſententias; & non contra Caecilianum, ſed contra Orbem terrarum, qui & per ignorantiam communicat, altare alterum erigere videamur.

VI. Contra veritatem ſcilicet & Societatem Eccleſiarum illi peccabant, qui poſt ſuſceptas ab uno aliquo Communicatorias ceterorum Chriſtiani Orbis Antiſtitum, poſthabito tam gravi & ad autoritatem idoneo judicio, ringari & contentiones ſerere auderent. Quamobrem quum LXX. Epiſcopi in domo Lucillae congregati, etiam poſt emiſſam Caeciliani Encyclicam, poſt receptas undique ab eodem Communicatorias ceterorum Epiſcoporum, adhuc canonicae electioni Carthaginenſis Primatis obtrectare pergerent, jure optimo Auguſtinus eos floccifacere judicium Orbis, & Chriſtianae unitatis ac Societatis ſacrilegos eſſe temeratores affirmat. Imò & in eadem illa Epiſtola penitus à ſacris Chriſtianorum abſtentos eſſe, atque ab ipſa Religione Chriſti alienos ſcribit. *Nos eis objicimus furorem ſchiſmatis, rebaptizationis inſaniam; ab haereditate Chriſti quae per omnes gentes diffuſa eſt, nefariam ſeparationem. De Codicibus non tantùm noſtris, ſed etiam eorum recitamus Eccleſias, quarum nomina hodie legunt, & quibus hodie non communicant. Quae cum recitantur in conventiculis eorum, Lectoribus ſuis dicunt: Pax tecum; & cum ipſis Plebibus quibus Literae ſcriptae ſunt, pacem non habent.*

VII. Conſtantinus M. eodem anno 313., quo à Schiſmaticis LXX. Epiſcopis haec Pſeudo-Synodus celebrata eſt, literas dedit ad Anulinum Proconſulem Africae, quae Provincia extincto Maxentio, dediderat ſeſe Conſtantino. Jubet autem Im-

perator, ut templa quae fervente perſecutione ablata Chriſtianis fuerant, iiſdem reſtituantur, modò ſint Catholicae Eccleſiae uniti. Itaque pars una Chriſtianorum erat quae Catholica dicebatur, altera quae extra Catholicam Eccleſiam vagabatur. Edictum hoc legitur apud Euſebium H. E. lib. 10. cap. 5. *Quapropter jubemus, ut ſimul atque has Literas acceperis, ſiquae ex illis, quae ad Catholicam Chriſtianorum Eccleſiam per ſingulas Civitates, aut in aliis locis pertinebunt ...... ea confeſtim illorum Eccleſiis reſtitui facias.* Vulgatum eſt hoc edictum anno Chr. CCCXIII. Namque Lactantius, qui & illud recitat in lib. de Mortib. Perſecutorum cap. 48. haec continuò ſubjungit. *His Literis propoſitis, etiam verbo hortatus eſt, ut Conventicula in ſtatum priſtinum reſtituerentur. Sic ab everſa Eccleſia uſque ad reſtitutam fuerunt anni X. menſes plus minus IV.* Incoepit ſcilicet perſecutio die 23. Februarii ann. Ch. CCCIII. Edictum autem Conſtantini vulgatum eſt die 13. Junii ann. Chr. CCCXIII. Igitur tempus integrum perſecutionis fuit annorum X. menſium III. ac novemdecim dierum.

VIII. Alteram deinde Epiſtolam, ſuadente Hoſio Cordubenſi, dedit Imperator, eamque largitionis faciendae gratia Caeciliano inſcripſit. Quod equidem animos Schiſmaticorum vehementer exulceravit, ſimulque è plebe infima plurimos Catholicae Eccleſiae reſtituit. Illam recitat Euſebius ibid. cap. 6., ejuſque exordium eſt hujuſmodi. *Conſtantinus Auguſtus Caeciliano Epiſcopo Carthaginenſi. Quandoquidem placuit nobis, ut per omnes Provincias Africae, Numidiae, & utriuſque Mauritaniae, certis quibuſdam legitimae & Sanctiſſimae Religionis Catholicae Miniſtris ad ſumtus neceſſarios aliquid praebeatur.* Agnoſcit piiſſimus Princeps legitimos Miniſtros Caeciliani aſſeclas, gnarus facinoroſam eſſe atque extra Eccleſiae gremium poſitam Donatiſtarum factionem. Non alios hîc deſignari, quam qui eodem anno tumultus per Africam excitaverant, dilucidè ſeqq. verbis demonſtrat. *Et quoniam accepi, quoſdam non ſatis compoſitae mentis homines id agere, ut Sanctiſſimae & Catholicae Eccleſiae Populum improba atque adulterina falſitate corrumpant: ſcias me Anulino*

Digitized by Google

lino Proconſuli, *& Patricio Vicario Praefectorum coram haec dediſſe mandata*, *ut inter cetera hujus rei competentem curam gerant ; ne ſiquid ejuſmodi agatur*, *negligere ac diſſimulare ſuſtineant*. *Atque ſiquos ejuſcemodi homines in hac amentia perſeverare conſpexeris*, *abſque ulla haeſitatione ſupradictos Judices adibis*. In altero pariter edicto, ubi Clericis Africae immunitatem publicorum onerum indulget, ſolos in hunc cenſum venire voluit Clericos Caeciliani. Quod expreſſit verbis illis apud Euſebium cap. 7: *Quocirca eos homines*, *qui intra Provinciam tibi creditam in Eccleſia Catholica*, *cui Caecilianus praeeſt*, *huic Sanctiſſimae Religioni miniſtrant*, *quos Clericos vocare conſueverunt*, *ab omnibus omninò publicis functionibus immunes volumus conſervari*. Cognita itaque Imperatori erat Catholica Eccleſia, quae Caeciliano communicabat per ſuos Africae Praeſules, & ideò Schiſmaticos improba atque adulterina falſitate, necnon mentis amentia teneri, Caecilianum verò legitimae ordinationis gradu fulgere perſpiciebat.

IX. Jure itaque meritòque Donatiſtas urgebat lib. 2. Optatus, ubi aït: *Siricius hodie qui noſter eſt ſocius*, *cum quo nobis totus Orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat*. Una enim totius Eccleſiae communio eſt: & non aliter atque eadem per Orbem diffuſa unum corpus conſtituit, ita omnes illius corporis partes inter ſeſe communicare mutuò debent: Quod quidem per Formatas, quas S. Pontifex Siricius Africanis dabat, & per frequentes Epiſcoporum Communicatorias praeſtabatur. Quam veritatem quum pluribus demonſtraſſet Optatus, librum primum ita demum concludit. *Docuimus veſtros Patres fuiſſe Schiſmaticos & Traditores .... Omnia tela*, *quae falsò in alienos jactare voluiſti*, *veritatis clypeo repulſa in tuos parentes reciproco ictu vertuntur*. *Omnia igitur quae à Te in Traditores & Schiſmaticos dici potuerunt*, *veſtra ſunt*. *Nam noſtra non ſunt*, *quia in radice manemus*, *& in toto Orbe terrarum cum omnibus ſumus*. Haec ille circa ann. CCCLXXX. ſcribebat, atque adeò longè poſt invectum Schiſma, & poſt datas abs Catholico Orbe Primati & Epiſcopo Caeciliano Communicatorias.

rias. Quod ſi etiam poſt annos plurimos, etiam poſt amplificatam mirum in modum Donatiſticam factionem, adeò firmum & inconcuſſum primum illud judicium Orbis perſeverabat, quam autoritatem illud ipſum initio cauſſae & nondum latiùs graſſante Schiſmate obtinuiſſe apud fideles arbitrabimur? An non vel luce ipſa clariùs eſt, Encyclicam Caeciliani, eique praeſtitum per Communicatorias conſenſum, ſupremi Eccleſiaſtici Magiſterii vices impleviſſe?

§. V.

De interpoſita à Donatiſtis appellatione, deque Catholicae Eccleſiae nomine, & judicio.

SYNOPSIS.

I. *Donatiſtae à Schiſmate ad haereſim abripiuntur.* II. *Eccleſias omnes, excepta Gallicana, crimine traditionis inſimulant.* III. *Preces & appellationem ad Conſtantinum tranſmittunt.* IV. *Duo fuerunt Donati, factionis hujuſce autores.* V. *Conſtantinum velut arbitrum medium in hac cauſſa eligunt.* VI. *Ab eo id unum expetebant, ut Judices è Gallicanis Epiſcopis daret, quos velut apoſtaſiae immunes, ſolos judicium ferre poſſe aïebant.* VII. *Demi ex utraque parte Epiſcopi jubente Conſtantino Romae conveniunt, & Caecilianus à calumniis abſolvitur.* VIII. *Melchiadis & Concilii Romani ſententia confirmat judicium Orbis antea emanatum.* IX. *Definitum etiam, cui partium appellatio Catholicae Eccleſiae congrueret.* X. *Cur duo Epiſcopi in Africam miſſi fuerint à Melchiade.* XI. *Acta legationis ejuſmodi quae fuerint.* XII. *Contigit illa ante celebrationem Concilii Arelatenſis.* XIII. *Conatus Schiſmaticorum multiplices, ut Catholici viderentur.* XIV. *Eò tandem inſaniae delabuntur, ut Eccleſiam per Orbem diſperſam jactitent defeciſſe.* XV. *Communi tamen judicio Orbis proſcribuntur.*

I. Fre-

I. FRegit, ut diximus, Schiſmaticorum animos, adhuc in ſua Pſeudo-Synodo diſſidium & electionem Majorini pertinaciter defendentium, Epiſtola Conſtantini, qui Caecilianum Epiſcopum Carthaginenſem publico teſtimonio probabat, ejus miniſtros appellabat legitimos, eique adhaerentem plebem ampliſſimis largitionibus muneratus erat; ceteros in adulterina falſitate & amentia agitatos appellans. Imò id eos potiſſimum in rabiem egit, quòd Imperator Caeciliani partem nuncupaſſet Catholicam, aliis ab hoc cenſu ſecluſis: quae dos erat ac praerogativa ſtantium, & fidelium. Invaluerat nimirum apud Africanos poſt Schiſma Novatiani ſumma Catholici nominis aeſtimatio, quod uſque adeò pro charactere Chriſtianae Eccleſiae habitum eſt, ut qui illo deſtituebantur, ceu foetus adulterini, & putrida membra haberentur. Qua de re & ſaepe & in lib. de Unitate prolixè agit Cyprianus, & qui eum ubique imitatus eſt, Pacianus in Epiſtolis ſuis ad Sempronianum. Ira igitur & furore perciti Donatiſtae, gradum à Schiſmate ad haereſim fecerunt: audirique apud ipſos coeptum eſt, Eccleſiam omnem quae per univerſum habitabilem Orbem diffuſa erat, nequaquam eſſe Catholicam, ſed praevaricatricis turbae coetum, qui à Traditoribus regeretur: Sanctam apud ſemetipſos eſſe Eccleſiam, quae nec unitate, nec univerſalitate indigeat. Lubet verbis Auguſtini in Epiſt. 162. hanc illorum amentiam ob oculos ponere. *Sed poſtquam*, aït ille, *ipſis rebus experti ſunt, cum Caeciliano permanere communionem Orbis terrarum, & ad eum à Tranſmarinis Eccleſiis Communicatorias Literas mitti, non ad illum quem ſibi ſceleratè ordinaverant, puduit eum ſemper tacere: quia poſſet ei objici, cur paterentur, ignaram per tot gentes Eccleſiam communicare damnatis: & cur ſe ipſi ab innocentis Orbis terrarum communione praeciderent, cum tacendo ſinerent Epiſcopo quem Carthaginenſibus ordinaſſent, à toto Orbe non communicari: elegerunt ſicut dicitur, ad duas agere cauſſam cum Caeciliano apud Eccleſias tranſmarinas, parati ad utrumque, ut ſi eum potuiſſent quacumque verſutia falſae criminationis evincere, ſatiarent pleniſſimè cupiditatem ſuam: ſi autem non poſſent, in eadem quidem*

dem perverſitate durarent, ſed jam tamen quaſi haberent quod dicerent, malos Judices ſe eſſe perpeſſos, quae vox eſt omnium malè litigatorum, cum fuerint etiam manifeſtiſſima veritate ſuperati. Capto igitur ad hunc modum conſilio, ut Majorini Eccleſiam eſſe Catholicam & Sanctam oſtenderent, ſeque cum iis tantum communicare & velle & poſſe, qui ab omni Traditionis crimine immunes eſſent, ad Gallicanos Epiſcopos, atque ad ipſum Conſtantinum appellaverunt. Nova haec & retro inaudita Schiſmaticorum machinatio hoc loco paullò accuratiùs diſcutienda eſt; praeſertim cum graviſſimae contentiones, quae circa jura appellationum in judiciis Eccleſiaſticis & olim exarſerunt, & hodieque vigent, indidem abſque dubio profluxerint.

II. Ac primò quidem exploratum eſt, poſt primum perſecutionis Diocletianeae Edictum innumerabiles ex omni Chriſtianorum ordine fuiſſe, qui Sacros Codices tradiderunt, obſervante Optato, cujus verba ſuperiùs deſcripſimus. Qua de cauſſa apud S. Auguſtinum in Brevic. cap. 17. Donatiſtae affirmabant, durante perſecutione nec legitima Concilia, nec Eccleſiaſticas ordinationes celebrari potuiſſe, *quia in apoſtaſia erat Mundus*. Sola Gallia ab ea labe immunis ſervata eſt: quippè Conſtantius Chlorus, qui in ampliſſima ea Provincia imperabat, edictorum obſtitit executioni. Innuit id Eutropius lib. 10. ſcribens. *Hic non modò amabilis, ſed & venerabilis Galliis fuit, praecipuè quod Diocletiani ſuſpectam prudentiam, & Maximiani ſanguinariam temeritatem imperio ejus evaſerant*. Et ante Eutropium Lactantius lib. de Mortib. Perſecut. cap. 16. ſcripſerat. *Vexabatur ergo univerſa terra, & praeter Gallias, ab Oriente uſque ad Occaſum tres acerbiſſimae beſtiae ſaeviebant*. Solos itaque Gallos plenè Orthodoxos exiſtimabant Donatiſtae, ceteros ad unum omnes Traditores, ne ipſo quidem Apoſtolico Praeſule excepto: ſiquidem Melchiadem Rom. Pont. traditionis reum dixere in Collat. III. diei, quod legimus in laudato Breviculo S. Auguſtini cap. 18. Qua de cauſſa Epiſcopum ex Africa Romam navigare juſſerunt, qui Epiſcopatum ibi gereret.

reret. Cur ita cenſuerint, in promtu cauſſa eſt, ut ſi Traditor haberetur Melchiades, irrita pariter haberetur ejus ſententia, qua Caecilianum abſolverat, utpotè ab eo profecta, qui omni uſu Epiſcopalis autoritatis jure Canonum excidiſſet.

III. Schiſmatici igitur paucis ab hinc diebus, quam ad Anulinum Proconſulem, ad Caecilianum, ejuſque Clericos Literae Conſtantini redditae eſſent, faſciculum in aluta ſignatum Proconſuli obtulerunt, rogantes, ad Imperatorem ut dirigeretur. In libello quem ſigillo obſignaverant, conficta plurima in Caecilianum crimina deſcribebant: in altero autem erant hae preces, quas reſervavit Optatus lib. 1. pag. 25. *Majores veſtri Lucianus, Dignus, Naſſutius, Capito, Fidentius & ceteri Imperatorem Conſtantinum harum rerum adhuc ignarum his precibus rogaverunt, quarum exemplum infra ſcriptum eſt: Rogamus te, ò Conſtantine Optime Imperator, quoniam de genere juſto es, cujus Pater inter ceteros Imperatores perſecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis eſt Gallia. Nam in Africa inter nos, & ceteros Epiſcopos contentiones ſunt. Petimus, ut de Gallia nobis Judices dari praecipiat Pietas tua. Datae à Luciano, Digno, Naſſutio, Capitone, Fidentio, & ceteris Epiſcopis partis Donati.* Sunt qui hinc colligant, Majorinum jam tum humanis exemtum, quod ejus nomen in hoc libello precum non occurrat. Alii verò & fortaſſe rectiùs, non *partis Donati*, ſed *partis Majorini* in ipſo Optati textu legendum arbitrantur. Et ſanè in Epiſt. 48. S. Auguſtini non unius editionis legitur: *Libellus Eccleſiae Catholicae criminum Caeciliani traditus à parte Majori*. Ubi alii Codices habent: *à parte Majorini*. Emendationi huic favent quae leguntur in Collatione III. cap. 220. *Libellus Eccleſiae Catholicae criminum Caeciliani traditus à parte Majorini*. Atque ita legendum in Optato, cenſuit Henricus Valeſius in Diſſert. de Schiſmate Donatiſtarum cap. 4. Quod ſi vulgatam lectionem Optati retinere malis, fortaſſis ille reſpexit ad Donatum à Caſis Nigris Epiſcopum, quo ſuaſore Libellus ille conſcriptus eſt, & qui ex nonnullorum ſententia ſucceſſit Majorino in uſurpatione Cathedrae Carthaginenſis eodem tempore, quo Libellus memo-

Digitized by Google

ratus prodiit. Quod tamen cum multis, tum Natali Alexandro ad Sec. I. Diſſert. I. nequaquam probatur. Sed de his hactenus.

IV. Praeſtat advertere, duos fuiſſe Donatos, quorum alter Epiſcopus à Caſis Nigris fuit, & hunc quo de agimus libellum obtulit. Hic verò, Caeciliano adhuc Diacono, Schiſma jam invexerat, teſte S. Auguſtino in Brevic. Collat. III. cap. 12., & poſt electionem Caeciliani fuit praecipuus ſchiſmatis fautor, ut idem Doctor prodit lib. 2. contra Creſconium cap. 1. Quin etiam Majorini electionem ipſe potiſſimum expetiit, ut de Haereſib. cap. 69. ſcribit Auguſtinus, qui pariter lib. 1. Retractat. cap. 21. obſervat, Donatum fuiſſe qui Judices tranſmarinos poſtularit. Certè Romam profectus eſt, ut contra Caecilianum cauſſam diceret, quod ex Brevic. ibid. capp. 18. 20. liquidò conſtat. Alter autem Donatus fuit Epiſcopus Carthaginenſis: & quamquam Donatiſtae à primo nacti ſint appellationem, ab hoc altero tamen ita appellari perrexerunt, cujus nimirum, autore Auguſtino de Haereſib. cap. 69. non eruditionem ſolùm atque eloquentiam plurimi facerent, ſed & ſanctimoniam tanti aeſtimarent, ut *eum propemodum pro Chriſto haberent, patientius laturi, ſi Chriſto, quam ſi Donato detrahatur.* Quapropter id in vulgus paſſim de illo jactabatur ab aſſeclis: *Donatus oravit, & reſpondit ei Deus de Coelo.*

V. Judicem porrò expetierunt Conſtantinum, quia *de ſanguine juſto* erat, & quia *Pater ejus perſecutionem non fecerat.* In eo enim errore verſabantur, id ſe credere ſimulabant, omnes Chriſtiani Orbis Epiſcopos, utpote traditionis crimine infectos, ab omni jure & praerogativa judicii excidiſſe: atque adeò juſtum aliquem quaerendum eſſe Judicem, cujus ſententia citra omnem criminis ſuſpicionem poſita ad partes invicem conciliandas idonea eſſet. Reipſa non ex jure quodam ordinario, ſed ob generalem, ut aïebant, *Orbis apoſtaſiam*, omniumque Eccleſiae graduum defectionem Conſtantinum Judicem, velut arbitrum medium elegerunt. Hanc illorum mentem exprimunt preces ipſae Imperatori oblatae de quibus ſupra, & acta poſte-

poſteriora Schiſmaticorum abunde confirmant. Nam illemet Donatus Carthaginenſis, quum juſſiones quaſdam imperiales, ad res & controverſias Eccleſiaſticas pertinentes deferri ſibi videret, referente ibid. Optato, his verbis audacter reſpondit. *Quid Chriſtianis cum Regibus? Aut quid Epiſcopis cum Palatio?* Donatiſtae igitur in eo rerum ſtatu arbitro medio utendum crediderunt, & judicium Conſtantino deferendum, quem ut loquitur Auguſtinus in Epiſt. 162. *Arbitrum & Judicem cauſſae traditionis feciſſent*. Ad haec Conſtantinus, tametſi adhuc Catechumenus, longè Epiſcopis illis moderatior, & in cognoſcendis Eccleſiae juribus & tuendis religioſior, primum quidem teſte Optato, ita reſpondit. *Quibus lectis, Conſtantinus pleno livore oſtendit: in qua reſponſione & eorum preces prodidit, dum ait: Petitis à me in ſeculo judicium, cum ego ipſe Chriſti expectem judicium*. Poſtmodum verò Eccleſiaſticos Judices qui cauſſam cognoſcerent, delegit. *Et tamen dati ſunt Judices Maternus ex Agrippina Civitate, Rheticius ab Auguſtoduno Civitate, Marinus Arelatenſis*.

VI. Judicium igitur non ab ipſo Conſtantino Principe ferri omninò expetebant Schiſmatici, ſed Epiſcopos ut deligeret Gallicanos, in quos nulla traditionis ſuſpicio moveri poterat. *Majores veſtri* [ſcribit adv. illos Auguſtinus in Epiſt. 171.] *quoniam in ſacrilega praeciſione perverſitatis Epiſcopum contra Epiſcopum ordinaverunt, altare contra altare exſtruxerunt. Poſtea Literas ad Imperatorem Conſtantinum, ut inter Afros Epiſcopi tranſmarini judicarent, miſerunt*. Et de crimine dumtaxat traditionis examen fuiſſe inſtituendum, teſtatur idem in Epiſt. 162. *Judicem enim cauſſae traditionis eum fecerunt, qui ad eum etiam preces miſerunt*. Quum verò Imperator tres memoratos Gallicanos Epiſcopos delegiſſet, epiſtolam ad Melchiadem Rom. Pont. direxit, cujus eſt initium apud Euſebium H. E. lib. 10. cap. 5. *Conſtantinus Auguſtus Miltiadi Epiſcopo Urbis Romae, & Marco. Quoniam hujuſmodi plures libelli à V. Cl. Anulino Africae Proconſule ad me ſunt miſſi, in quibus continetur, Caecilianum Carthaginenſium Urbis Epiſcopum à quibuſdam Collegis ſuis per Africam con-*

ſtitutis

Digitized by Google

ſtitutis multis de cauſſis inſimulari. Quod quidem permoleſtum mihi videtur in iſtis Provinciis, quas Divina Providentia meae devotioni ſpontanea deditione tradidit, & in quibus maxima eſt Populi multitudo, plebem quaſi in duas partes diviſam ad deteriora deflectere, & Epiſcopos inter ſe diſſentire. Placuit mihi, ut idem Caecilianus unà cum decem Epiſcopis, qui accuſare ipſum videntur, & cum decem aliis, quos ipſe ad ſuam cauſam neceſſarios eſſe judicaverit, Romam naviget, ut ibi coram vobis, & coram Rheticio, Materno, & Marco Collegis veſtris, quos ea cauſſa Romam properare juſſi, poſſit audiri, quemadmodum ſanctiſſimae legi convenire optimè noſtis. Porrò ut totius negotii pleniſſimam valeatis haurire notitiam, exempla libellorum ab Anulino ad me miſſorum, literis meis ſubjecta ad Collegas veſtros ſupradictos tranſmiſi. Quibus lectis perpendat gravitas veſtra, quonam modo ſupra memorata controverſia accuratiſſimè dijudicanda ſit, & ex praeſcripto juſtitiae terminanda. Siquidem nec tuam ſedulitatem latet, tantam à me reverentiam ſanctiſſimae Eccleſiae Catholicae exhiberi, ut generaliter nullum ſchiſma aut diſſidium ullibi à vobis reliqui velim. Quibus integrum judicium Epiſcopis exercendum relinquitur, adeout penès ipſos foret, diſſidium illud pernicioſum componere, & excitatas in eo Schiſmate turbas conſopire. Sed qui demum ſit *Marcus* ille, quem in epigraphe Melchiadi jungit Imperator, pronum definire non eſt. Nonnulli legi jubent *& Marino*, ſcilicet Arelatenſi Epiſcopo, qui nimirum cum Melchiade praeeſſe actioni deberet. Verùm injuſſu MSS. Codd., nulloque alio veritatis praeſidio abs vulgata editione diſcedunt. Si ullus eſt divinationi & conjecturae locus, Marcus, opinor, Preſbyter fuit ex illorum ordine, quos ſequior aetas Primicerios appellavit, idemque ab Imperatore delectus eſt Pontifici in hac contentione ſocius & conſiliarius. Fortè de illius doctrina atque integritate fama percrebuerat, atque is habebatur Marcus, qui diſputationi *à ſecunda*, ut loquebantur, intereſſet. Sic Alexandro Epiſcopo Alexandrino adversùs Arium diſputanti adfuit Athanaſius: & in diſputatione cum Paulo Samoſatenſi praecipuas egit partes Malchion Preſbyter Antiochenus. Certè Con-

ſtan-

ſtantinum in hac ſua electione ad Judicum Doctrinam praeſtantiamque mentem intendiſſe, conſtat ex Rheticio, quem prodit Hieronymus de S.E. tractatum contra Novatianos ſcripſiſſe, quorum ſchiſma huic Africano non abſimile erat. Meminit ejuſdem in epiſt. 6. ad Florentium, & in epiſt. pariter 133. ubi cum Romam ſub Sylveſtro veniſſe ſcribit, tum nempe quum Arelatenſe Concilium Encyclicam ſuam ad Pontificem illum tranſmiſit, ut in Provinciis evulgari juberet. Interim praeter tres illos Gallicanos Epiſcopos, alii pariter XV. ex Italia venerunt, quorum nomina & Sedes recenſet Optatus.

VII. Iis una cum decem aliis pro utraque parte Africanis Epiſcopis ſimul Romae congregatis, Dux & Praeſes Catholicorum erat Caecilianus, Schiſmaticorum autem Donatus à Caſis Nigris. De quo utriuſque partis conventu nos certiores facit epiſtola Conſtantini ad Melchiadem; & Acta Collation. diei III. cap. 318. nec non D. Auguſtinus in Brevic. III. diei cap. 12., ubi affirmat, in id conſenſiſſe Schiſmaticos, ut deni cum Donato à Caſis Nigris, totidemque cum Caeciliano Romam venirent ad cauſſam ventilandam. Tempus Concilii hujus deſignat Optatus ibid. ſcribens. *Convenerunt in Domum Fauſtae in Laterano, Conſtantino III. Licinio III. Coſſ. VI. Nonas Octobris die ſexta, Feria ſexta.* Qui characteres congruunt anno Chr. CCCXIII. Triduo integro Caeciliani cauſſa agitata eſt, atque inter alia introducti a Donato accuſatores, de quibus haec Breviculum cap. 12. *Atque inde ex ordine legi coepit etiam Epiſcopale judicium Melchiadis Romani Epiſcopi, & aliorum cum illo Gallorum & Italorum Epiſcoporum in eadem Urbe Romae factum. Cujus judicii prima parte, ideſt, geſtis primi diei recitatis, ubi accuſatores Caeciliani, qui miſſi fuerunt, negaverunt ſe habere quod in eum dicerent, ubi etiam Donatus à Caſis Nigris in praeſenti convictus eſt adhuc Diacono Caeciliano Schiſma feciſſe Carthagine; de Carthaginis enim Schiſmate exorta eſt adverſus Eccleſiam Catholicam pars Donati; ubi etiam promiſerunt iidem adverſarii Caeciliani alio die ſe praeſentaturos quos cauſſae neceſſarios ſubtraxiſſe arguebantur: & hoc mentiti, ulterius ad judicium accedere noluerunt.* Et cap. 18. ibid.

pro-

Digitized by Google

proditum eſt, Donatiſtas rejeciſſe Melchiadis judicium, cauſſantes, traditorem illum eſſe. Confer ſis quae apud Optatum, & apud Auguſtinum Epiſt. 162. in hanc rem leguntur. Porrò Synodi hujus Romanae Sententia haec fuit, ex eodem Brevic. Collat. III. diei cap. 17. *Geſta apud Melchiadem habita recitata ſunt, quibus apparuit, omnium qui tunc conſederant Epiſcoporum ſententiis & ipſius Melchiadis Caecilianum abſolutum atque purgatum, Donatum verò damnatum, qui praeſens fuerat in prima actione convictus, ille ſcilicet Donatus à Caſis Nigris, quem praeſentem tunc fuiſſe conſtitit*. Quod Optatus quoque luculento teſtimonio confirmat. *Caecilianus omnium ſupra memoratorum Sententiis innocens eſt pronunciatus: etiam Melchiadis Sententia, qua judicium clauſum eſt, his verbis: Cum conſtiterit, Caecilianum ab iis qui cum Donato venerunt juxta profeſſionem ſuam non accuſari, nec à Donato convictum eſſe in aliqua parte conſtiterit: ſuae communioni Eccleſiaſticae integro ſtatu retinendum eſſe merito cenſeo. Sufficit ergo & Donatum tot ſententiis eſſe percuſſum, & Caecilianum tanto judicio eſſe purgatum*.

VIII. Accurate animadvertenda ſunt verba illa Conciliaris & Pontificii decreti, quibus affirmatur, *Caecilianum . . . . . ſuae communioni Eccleſiaſticae integro ſtatu retinendum eſſe*. Hac enim judicandi ratione ſatis aperte Melchiades indicavit judicium Orbis jam emanatum per Literas Formatas Caeciliano datas, quibus legitimam illius electionem & ordinationem ratam, integram, ac firmam debere eſſe decreverat. Atque hinc Caecilianum poſt ejuſcemodi ſententiam, *non curaſſe conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret & Romanae Eccleſiae, in qua ſemper Apoſtolicae Cathedrae viguit Principatus, & ceteris terris . . . . . per communicatorias Literas eſſe conjunctum*. Ut ſcripſerat Auguſtinus in Epiſt. 162. Interim Conſtantinus eodem anno quo ſuam de immunitate Clericorum Conſtitutionem ad Caecilianum, & ad legitimos Eccleſiae Catholicae miniſtros dederat, de qua ſuperius verba fecimus, in menſe Octobris, atque adeo poſt celebratum hujuſmodi Concilium, firmavit. Renovatae Legis & Conſtitutionis occaſio ex eo ſumta videtur, quod Schiſmatici,

Digitized by Google

matici, quum Caecilianum & aſſeclas compellari Eccleſiam Catholicam in priori animadvertiſſent, factionem verò ſuam cum Majorino & Lucilla penitus excluſam, tumultus moverint & executioni obſtiterint. Quapropter Legem quoque vulgavit Conſtantinus, quae lib. 16. Cod. Theodoſ. L. 1. tit. de Epiſcopis occurrit, & in qua, re poſt Concilium Romanum accuratius perſpecta, primum edictum luculentius explicat, & immunitatem iis Catholicae Eccleſiae miniſtris qui adhaerebant Caeciliano, indulget.

IX. Praeter acta viciſſim in Caecilianum & Majorinum, in ipſa Romana Synodo quaeſtio propoſita fuiſſe videtur, cui ex partibus contendentibus Catholicae Eccleſiae titulus attribui oporteret. Contentio haec ex ipſo Imperiali diplomate conſequebatur, cujus executor factus erat Caecilianus, indignantibus hauddubie Schiſmaticis, & nullum non moventibus lapidem, quum ſe ab ea largitione excluſi viderunt, ipſius inimici Caeciliani judicio. Creverint inſuper jurgia neceſſe eſt, quum illi vel in ipſo libello precum ſe ſe Catholicam Eccleſiam appellaſſent, adeoque ſibi viderentur ea Imperiali largitione cumulandi. Quid non audet in factioſis, avaris, atque ambitu agitatis Praeſulibus auri ſacra fames? Quid non conſilium ſeducendae muneribus plebis? Quid non furor ipſe in Caecilianum ad rabiem uſque praeconceptus? Et huic igitur contentioni interceſſerunt Patres Romanae Synodi, ſuoque judicio cenſuerunt, Caecilianum ſive literarum Communicatoriarum, ſive ipſiuſmet editae profeſſionis, ſive denique ſilentii accuſatorum ſuorum ratio haberetur, in Eccleſia Catholica verſari: Donatum verò Schiſmaticum eſſe. Reſtabat declarandum, utra partium, Majorini ne, an Caeciliani Catholica eſſet. Cujus rei gratia Epiſcopos duos, Eunomium & Olympium in Africam miſerunt.

X. Id nimirum Eccleſiae moribus receptum fuit, ut quoties de electione Epiſcopi majorum Sedium contentio eſſet, ab ea Synodo, cujus id eſſet proſpicere, duo mitterentur Antiſtites, qui illius nomine decernerent, cui ex duobus contendentibus

tibus

tibus foret communicandum. Sic quum ab Epiſcopis XVI. & a Clero Romano Pontifex electus eſt Cornelius adversùs Novatianum, Romana Synodus ad Cyprianum & Epiſcopos Africanos, adhuc in Concilio Carthaginenſi congregatos, direxit Pompejum & Stephanum, *qui & ipſi ad inſtruendos iſtic nos manifeſta ſecundum gravitatem & fidem ſuam indicia ac Teſtimonia protulerunt:* ut de illis ad Cornelium reſcripſit Cyprianus in Epiſt. 45., innuens, elaboraſſe illos ut legitimam Pontificis electionem probarent. Haud aliter Paulus CPnus, a ſua Sede pridem ejectus, ac non tam Conſtantis Imperatoris protectione, quam Concilii Sardicenſis judicio eidem Sedi reſtitutus, ad eam pacifice capeſſendam miſſus eſt cum duobus Epiſcopis, ipſo jubente Imperatore, ut Socrati proditum Hiſt. lib. 2. cap. 23. *Interim Occidentis Imperator* (Conſtans) *Paulum cum duobus Epiſcopis & reliquo honorifico apparatu mittit, tum ſuis, tum Synodi Literis communitum.* His moribus uſa eſt Romana ſub Melchiade Synodus ad praeſentem controverſiam penitus definiendam.

XI. Acta verò Epiſcoporum illorum enarranda ſunt verbis Optati pag. 28. ſcribentis. *Tunc duo Epiſcopi ad Africam miſſi ſunt Eunomius, & Olympius, ut remotis duobus unum ordinarent. Venerunt apud Carthaginem: fuerunt per dies quadraginta, ut pronunciarent, ubi eſſet Catholica. Hoc ſtudioſa pars Donati fieri paſſa non eſt. De ſtudio partium ſtrepitus quotidiani ſunt habiti: Noviſſima Sententia horum Epiſcoporum Eunomii & Olympii talis legitur, ut dicerent, illam eſſe Catholicam, quae eſſet in toto Orbe terrarum diffuſa: & ſententiam decem & novem Epiſcoporum jam dudum datam, diſſolvi non poſſe. Sic communicaverunt Clero Caeciliani, & reverſi ſunt. De his rebus habemus volumina Actorum. Quod ſiquis voluerit, in noviſſimis partibus legat.*. Perierunt Acta haec, quae Optatus diligentiſſimus monumentorum ſcrutator ſub finem librorum ſuorum attexuerat. Ex hoc tamen Optati teſtimonio ſatis conſtat diù Carthagine à legatis Romanae Synodi diſputatum eſſe, cui partium appellatio Catholicae Eccleſiae tribuenda eſſet: eoſque tandem in eam ſententiam conceſſiſe, ut juxta Synodale decretum eam dicerent Catholicam Eccleſiam, quae cum univerſo

Orbe

Orbe per Communicatorias jungebatur. Quod quum non Majorino, ſed Caeciliano contigiſſet, in numerato erat, judicium Melchiadis de Caeciliano ſartum tectumque eſſe praeſtandum. Hinc & luculentius elucet Communicatoriarum literarum vis & autoritas: atque indidem illud etiam percipitur, qua de cauſſa Optatus, Auguſtinus ceterique Catholici Tractatores hoc telum in Donatiſtas toties jactarint, atque ex commercio Formatarum partes Caeciliani adeo acriter propugnarint.

XII. Hos legatos eodem anno quo Romana Synodus habita eſt, in Africam navigaſſe, praeter alia quae à Scriptoribus in hanc rem congeruntur, illud nobis argumento eſt, quod Epiſcopi legati mentionem nullam conſimilium decretorum Arelatenſis Synodi fecerint, cujus utique autoritatem & in abſolvendo Caeciliano conſenſionem magnopere extuliſſent, ſi diù poſt hanc Romanam Synodum, vel poſt Arelatenſem ipſam in Africam properare juſſi eſſent. Adde, quod ante ipſam Arelatenſem Synodum oppidò exploratum fuit hoc legatorum & Synodi decretum, videlicet Donatiſticam factionem extra Catholicae Eccleſiae limites poſitam eſſe: unde & longe alias notas verae Eccleſiae excogitare coeperunt, ab iis quammaxime diverſas, quas Orthodoxi cum Cypriano in lib. de Unitate profitebantur, quaſque Optatus & Auguſtinus in unitate potiſſimum, univerſalitate & perpetuitate contineri adversùs illorum hypotheſes conſtanter docuerunt.

XIII. Preſſi his decretis Schiſmatici, mirum eſt quot ſubterfugia excogitarint, ut hanc Eccleſiae ſuae univerſalitatem vendicarent, & communionem cum Catholico Orbe mentirentur. Romae Epiſcopum ſuum ſe habere gloriabantur: quod Optatus invictè refellit, docetque eum ab omnibus paſſim velut Schiſmaticum exagitatum. Gloriabantur quoque de Hiſpaniarum Eccleſiis: ſed obſervat Auguſtinus lib. 2. contra Epiſt. Petiliani cap. 108. & lib. de unit. Eccl. cap. 3., hunc Epiſcopum unius domus, & cujuſdam mulieris Praeſulem fuiſſe. Et lib. 3. contra Creſconium cap. 63. *Partem*, inquit, *Donati audes praeponere dicens quod & praeter Africam neſcio quas habetis, quibus tamen*

Digitized by Google

men non apparentibus, *ex Africa vos mittere Epiſcopos non negatis unum*, *aut duos*, *aut ut multum tres*. Et quum Sardicenſis Pſeudo Synodus Literas ad Donatum dedit, multò ſuperbius jactarunt, ſe cum Orientalibus Eccleſiis communicare: quod in lib. contra Fortunium refellit S. Auguſtinus, demonſtrans, Epiſcopos illos Ariana labe fuiſſe infectos.

XIV. Sed aliquandiu nubem, ut aïunt, pro Junone amplexati homines ad quidvis audendum paratiſſimi, docere haud veriti ſunt, Eccleſiam toto Orbe terrarum diffuſam, propter communionem cum Caeciliano quadam velut contagione afflatam periiſſe, & ſola in Africa penes Donati aſſeclas Chriſtiani nominis ſinceritatem remanſiſſe. Quo de argumento conſulendus Auguſtinus haer. 69. & de Agone Chriſtiano cap. 29., nec non Enarratione 29. in Pſalm. 8., & in Epiſt. 165. Equidem unam Eccleſiam ſuam ſine ruga & macula, ceteras autem uſque adeò pollutas eſſe arbitrabantur, ut quum ſub Juliano ad Baſilicas, quas Catholici retro occupaverant, fallaci Principis beneficentia redierunt, parietes ipſos quaſi commaculatos exorciſarent, abluerentque, altaria frangerent abraderentve, calices frangerent, ceteraque Eccleſiae vaſa & ornamenta expiarent. Unde Optatus lib. 2. pag. 52. & lib. 6. pag. 111. ſcripſit. *Quid enim eſt tam ſacrilegum*, *quam altaria Dei*, *in quibus vos aliquando obtuliſtis*, *frangere*, *radere*, *removere*? Et Paullo poſt. *Quid perditorum conductam referam multitudinem*, *& vinum in mercedem ſceleris datum*? *Quid ut immundo ore ſacrilegis hauſtibus libaretur*, *calida de fragmentis Altaris facta eſt*. Mox eos, quod abraſiſſent Altaria, ſic irridet pag. 113. *Si à vobis lignum raditur*, *& terra quae ſubter eſt fodiatur*. *Altam facite ſcrobem*, *dum pro veſtro arbitrio quaeritis puritatem*. *Sed obſervate*, *ne veniatis ad inferos*, *& illic inveniatis Core*, *Datan*, *& Abiron Schiſmaticos*, *magiſtros ſcilicet veſtros*. *Ergo & fregiſſe vos & raſiſſe conſtat Altaria*. De aſperſione aquae ſalſae ab iiſdem adhibita, ut quae Catholici ſacra habuerant, expurgarent, loquitur idem Optatus pagg. 118. 119.

XV. Interim tamen poſt Romanam hanc Synodum, poſt Lega-

Digitized by Google

Legatorum confirmationem, & poſt magnum etiam Arelatenſe Concilium, eos ab univerſo Catholico orbe declaratos eſſe Schiſmaticos, lataque contra ipſos decreta mirabili conſenſione probata fuiſſe, liquet imprimis ex Auguſtino in Epiſt. 68. & lib. 2. adversùs Lit. Petiliani cap. 92., ubi aït, Conſtantinum loca publica, ubi congregabantur, fiſco vendicaſſe, atque ipſis Baſilicas lege ſeveriſſima auferri juſſiſſe. Generalis quoque Nicaena Synodus excluſis Schiſmaticis omnibus, ſolum Caecilianum, & qui illi communicarent, intereſſe ſuis Actionibus voluit; & reipſa interfuiſſe docent, praeter Concilii Actorum ſubſcriptiones, Gelaſius Cyzicenus lib. 2. de Act. Concil. Nicaeni cap. 27., Codex Canonum Eccl. Africanae, CPnum Concilium Generale V. Collat. 5. Hincmarus Remenſis in tract. contra Hincm. Laudunenſem cap. 2. & quotquot uno verbo ſive antea, ſive poſtea Nicaenorum Geſtorum enarrationem dederunt.

§. VI.

De Encyclica Concilii Arelatenſis, quae praecedentia Acta confirmavit.

SYNOPSIS.

I. *Donatiſtae ſententiam Romanae Synodi variis ratiunculis, & potiſſimum appellatione ad Eccleſiam Gallicanam infirmare ſtudent.* II. *Indultum illis eſt plenarium Concilium in Gallia.* III *Arelatenſis Urbis celebritas, & Encaeniae illius à Conſtantino celebratae.* IV. *Hac occaſione celebratur ibi Concilium.* V. *Encyclicam conſcribunt, & ad Sylveſtrum Pontificem dirigunt* VI. *Eadem in Orbem ſubſcribenda defertur.* VII. *Numerum Patrum ſubſcribentium fruſtra ex Codd. MSS. adſtruit Sirmondus.* VIII. *Longe abſurdior Valeſii ſententia in eo numero Epiſcoporum definiendo.* IX. *Expenditur hac de re S. Auguſtini Teſtimonium.* X. *Univerſali Encyclicae hujus ſubſcriptione proſcripta fuit Dona-*

tinua factio. XI. *Cur ad Aſianos continuò tranſmiſſa non fuerit.* XII. *Judicium Conſtantini de hoc irrefragabili Eccleſiae Magiſterio.*

I. VIcta Majorini pars, ſed hactenus omnia commovente Donato Caſenſi, nondum penitus attrita & debellata, poſt Romanae Synodi & Legatorum qui in Africam miſſi fuerant ſollenne judicium, pertinacius inſtitit, ut Conſtantinus ipſe, & Gallicani Epiſcopi Judices Traditionis eſſent: illud ubique vociferantes, cauſſam ſuam non fuiſſe, ut par erat, auditam: Felicem Aptungitanum Caeciliani ordinatorem in jus vocatum non fuiſſe: & imprimis Melchiadem crimine Traditionis laborare. Quibus de cauſſis praepoſterum atque irritum eſſe judicium Romanae Synodi contendebant. Certe Optatus affirmat, Legatis in Africam profectis Donati factionem quotidiano ſtrepitu ſe ſe oppoſuiſſe, ne ſententiam Concilii vulgarent: ut propterea quum in Collat. III. Carthagin. illud idem crimen Donatiſtae objecerint Melchiadi, certum videatur & in adventu Legatorum objeciſſe. Conſtantinus ergo qui clementia ac lenitate conſtituerat rem omnem tranſigere, ut malae cauſſae rationes ipſo exitu frangeret, Aeliano Proconſuli ſcripſit, quatenus cauſſam Felicis Aptungitani, cui potiſſimum innitebantur Schiſmatici, juſto ſubjiceret examini. *Tunc Conſtantinus* (verba ſunt Optati pag. 29.) *ad Aelianum Proconſulem ſcripſit, ut remotis neceſſitatibus publicis, de vita Felicis Aptungitani publicè quaereretur. Inducti ſunt Claudius Saturianus Curator Reipublicae, qui fuit tempore perſecutionis in Civitate Felicis, & Curator praeſentis tunc temporis, quando cauſſa flagitabatur, Callidius Gratianus, & Magiſtratus Alfius Caecilianus. Sed & Superſtationarius perductus, & Ingentius ſcriba publicus pependit ſub metu imminentium tormentorum. Reſponſis omnium nihil tale inventum eſt, quod vitam Felicis Epiſcopi ſordidare potuiſſet. Habentur volumina Actorum, in quibus continentur praeſentium nomina, qui fuerunt in cauſſa, Claudii Saturiani Curatoris, & Caeciliani Magiſtratus, & Superſtationarii, & ſcribae Ingentii, & Solonis officialis publici illius temporis: Poſt quorum reſponſa à ſupra memorato Proconſule haec pars ſenten-*

Digitized by Google

ſententiae dicta eſt : Felicem autem religioſum Epiſcopum , liberum eſſe ab exuſtione inſtrumentorum Deificorum , manifeſtum eſt , cum nemo in eum aliquid probare potuerit , quod religioſiſſimas ſcripturas tradiderit vel exuſſerit . Omnium enim interrogatio ſupraſcripta manifeſta eſt , nullas ſcripturas Deificas vel inventas , vel corruptas , vel incenſas fuiſſe . Hoc actis continetur , quod Felix Epiſcopus religioſus illis temporibus neque praeſens fuerit , neque conſcientiam accommodaverit , neque aliquid tale fieri juſſerit . Unde pulſa atque exterſa infamia , cum ingenti laude illo judicio receſſit . Enarrat haec eadem S. Auguſtinus contra Creſcon. lib. 3. cap. 70. , ubi ex hac Aeliani Proconſulis ſententia falſitatis redarguit Creſconium qui ſcripſerat , Felicem in eo judicio à neſcio quo Vincentio convictum traditionis fuiſſe . Confer ſis de Ingentii Scribae fraudibus , quae nos in Diſſert. I. diſſeruimus . Quod verò attinet ad tempus inſtituti hujus examinis de vita Felicis Aptungitani , praeceſſit illud celebrationem Arelatenſis Concilii , eodem Auguſtinò teſte in lib. 2. Retractat. capp. 27. 28. 34. , ubi emendat quod alibi ſcripſerat , Caecilianum videlicet ante Felicis purgationem abſolutum eſſe : id quod non de abſolutione Caeciliani primum facta in Concilio Romano intelligi debet , quae utique purgationem Felicis per Acta Proconſularia anteceſſit , ſed de illa quae contigit in Synodo Arelatenſi .

II. Poſt Concilii Romani ſententiam Schiſmatici imprimis conqueſti ſunt , primò cauſſam Felicis praetermiſſam fuiſſe , tum verò Judices de iis judicium tuliſſe quae ipſimet ignorabant . Hoc itaque viſum eſt illis indulgere , ut in plenario Concilio cauſſa penitùs diſcuſſa finiretur . De quo ſcribit Auguſtinus in Epiſt. 162. *Ecce putamus illos Epiſcopos , qui Romae judicarunt , non bonos Judices fuiſſe : reſtabat adhuc Eccleſiae univerſae Concilium . . . . . Dedit ille aliud Arelatenſe Concilium , aliorum ſcilicet Epiſcoporum , non quia jam neceſſe erat , ſed eorum perverſitatibus cedens , & omnimodò cupiens tantam impudentiam cohibere . Neque enim auſus eſt Chriſtianus Imperator ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere , ut de judicio Epiſcoporum qui Romae ſederant ,*

derant, ipſe judicaret: ſed alios, ut dixi, Epiſcopos dedit. Quod igitur ſummopere expetebant, ut in Gallia, quae ſicuti in libello precum affirmabant, ab omni traditionis crimine immunis erat, Concilium celebraretur, id ultrò conceſſit, ne ſi alibi celebraretur, deinceps eadem criminatione pergerent decretorum vim & autoritatem declinare. Qua de cauſſa generales evocatorias vulgavit, & Epiſcopis ad Concilium venturis publicam evectionem indulſit.

III. Arelate tunc morabatur Conſtantinus, Civitati illi amplificandae intentus. Erat haec penè omnium Gallicanarum nobiliſſima ad oſtia Rhodani exſtructa, Caput olim Populorum Saliorum. Dicta etiam eſt Arelate Sextanorum, nomen ex eo ſortita, quòd quum Colonia facta eſt, Sextae Legioni ſit attributa. Unde inſcriptio apud Grutterum pag. 257.

DIVAE
FAUSTINAE.
SEXTANI
ARELATENSES.

Paterna etiam dicta eſt & Julia, quod illuc Tiberii Pater Coloniam deduxiſſet, ſcribente Svetonio in Tiber. cap. 4. *Pater ad deducendas in Galliam Colonias, in queis Narbo & Arelate erant, miſſus eſt.* Quapropter & alia inſcriptio legitur apud Sponium Miſcellan. pag. 165.

COL. JUL. PATERNA. ARELATE.

Urbem ita amplificavit Conſtantinus, ut à ſiniſtra fluminis ad dexteram uſque extenderit. Unde Auſonius de Clar. Urbib. cecinit.

Praecipitis Rhodani hic interciſa fluentis
Ut mediam facias navali ponte plateam.

Quum verò in Urbium ſive exſtructione, ſive amplificatione id uſuveniret, ut earum dedicatio frequenti Optimatum concurſu celebraretur, Conſtantinus ampliatae abs ſe Urbis ſollennem dedicationem facturus, ampliſſimum hunc Epiſcoporum coetum advocavit: non aliter ac Epiſcopos, qui Nicaeno Concilio

Digitized by Google

lio interfuerant, Byzantium commigrare voluit, ut novae Urbis CPnae encaenia celebrarent.

IV. Congregati igitur in Arelatenſi Urbe Epiſcopi Kal. Auguſti, Voluſiano II., & Anniano Coſs., qui anno 314. magiſtratum geſſere, cauſſam Caeciliani ad examen revocare coeperunt. Omnes quae in medium allatae ſunt criminationes à parte Caeciliani diſſolvuntur, idemque innocens declaratur, confirmata etiam Melchiadis ſententia. Quibus peractis, anteaquam ſinguli ad ſedes ſuas regrederentur, viſum eſt Encyclicam edere, atque ea canonicis ſanctionibus ſtabilire, quae & praeſenti rerum ſtatui accommodata, & ad majores Eccleſiae utilitates eſſent profutura.

V. Exemplar Encyclicae hujus, & ejuſdem argumentum exhibent Acta Concilii. Et quoniam character praecipuus Encyclicarum in exprimenda Capitis & membrorum conſenſione verſatur, Patres Arelatenſes ſuam ad Sylveſtrum, qui Melchiadi ſucceſſerat, direxerunt ceteris per ipſum Provinciis intimandam. Inquiunt enim. *Placuit ergo praeſente Spiritu Sancto & Angelis ejus, ut & his qui ſingulos quos ..... movebat, judicare proferemus de quiete praeſenti. Placuit etiam à te, qui majores Diaeceſes tenes, per te potiſſimum omnibus inſinuari*. Reipſa ad ceteras Provincias Encyclicam hanc tranſmiſſam fuiſſe, vel ex eo conſtat, quod univerſus Catholicus Orbis Schiſmaticorum geſta ſubinde condemnaverit, & citra omnem dubietatem Caecilianum velut legitimum Carthaginenſem Epiſcopum verumque Primatem agnoverit: quod in magno Nicaeno Concilio apparuit. In Encyclica verò haec de Schiſmaticis ſcribunt. *Ubi graves ac perniciosos Legi noſtrae atque traditioni, effraenataeque mentis homines pertulimus: quos & Dei noſtri praeſens autoritas, & traditio ac regula veritatis ita reſpuit, ut nulla in illis aut dicendi ratio ſubſiſteret, aut accuſandi modus ullus aut probatio conveniret. Ideò Judice Deo, & Matre Eccleſia, quae ſuos novit & comprobat, aut detenti ſunt, aut repulſi*. De iis ſcribit Auguſtinus in Epiſt. 68. *Conſtantinus alterum Epiſcopale judicium dedit, habendum in Arelatenſi Galliae Civitate. Ubi multi veſtri, vana & diabolica*

diſſenſione damnata, cum Caeciliano in concordiam redierunt: alii verò procaciſſimi & litigioſiſſimi ad eundem Imperatorem appellarunt. Huic Encyclicae adjuncti ſunt à Patribus Canones, quorum plurimi exſtant, & qui ſive ad Schiſma comprimendum, ſive ad Eccleſiaſticam diſciplinam ob ſaeviſſimas perſecutiones multipliciter luxatam collapſamque priſtino candori reſtituendam ſunt comparatiſſimi. Iis etiam obviam itum eſt non tam calumniis, quàm haereſi Schiſmaticorum. Namque & Rebaptizatio, quam renovavit Donatus Caſenſis, damnata eſt, & de calumniis palam jactatis ſic cautum in Can. XIII. *De his qui Scripturas Sanctas tradidiſſe dicuntur, vel vaſa Dominica, vel nomina Fratrum ſuorum, placuit nobis, ut quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis ab ordine Cleri amoveatur. Nam ſi iidem aliquos ordinaſſe fuerint deprehenſi, & de his quos ordinaverint, ratio ſubſiſtit, non illis obſit ordinatio. Et quoniam multi ſunt, qui contra Eccleſiaſticam regulam pugnare videntur, & per teſtes redemtos putant ſe ad accuſationem admitti debere, omninò non admittantur, niſi ut ſupra diximus, actis publicis docuerint*. Modus itaque conſtitutus eſt teſtibus, quos ad probandum traditionis crimen adhiberi contingeret, manifeſto indicio, conſtitiſſe Patribus fraudem in Caecilianum uſurpatam, qua Donatiſtae per Ingentium ſcribam pecuniis redemtum calumnias in Felicem & Caecilianum compoſuerant, ut ex Actis eodem anno de purgatione utriuſque abunde compertum eſt.

VI. Porrò elucidandae promulgationi Encyclicae hujus non inutile erit receptiſſimos Eccleſiae mores in mentem revocare, quibus in unoquoque Concilio ſive Generali, ſive Nationali, ſive quomodolibet plenario conſueverunt Epiſcopi decreta ſua & ſanctiones omnes ad fideles certis communibuſque regulis informandos, ipſi primum ſubſcribere, tum verò eadem abſentibus ſubſcribenda dirigere. Quod de Concilio Carthaginenſi ſub Aurelio in Cod. Canonum Eccleſiae Africanae expreſſum habemus. In actis enim Synodi illius legitur, Epiſcopales Sedes praeter vacantes alias numero exſtitiſſe CCCCXX., quae omnes ab Orthodoxia commendabantur. Quippe Rufinianus Scriba Con-

Digitized by Google

Concilii ex albo qui apud Primatem Carthaginenſem ſervabatur, fuiſſe DV. affirmat: quorum in Concilio interfuiſſe CCLXXXVI. his verbis annotabat. *Catholicae partis Epiſcopi ſecundum ſubſcriptionem huic brevi inſertam, efficiuntur ducenti ſexaginta ſex, exceptis his quos dicunt, necdum ſubſcripſiſſe*. Qui in praeſentia ceterorum deinde ſubſcripſere, fuerunt XX. Quod ibi Nampius alter ſcriba teſtatur. De reliquis demum in eadem Collat. I. diei cap. 215. dixit Alipius Epiſcopus. *Scriptum ſit, ducentos viginti eſſe abſentes, quos aut infirmitas, aut aetas, aut certè neceſſitas detinuit*. Et ad hos etiam Synodalia decreta ab unoquoque Metropolitano miſſa ſunt ſubſcribenda, ut ex eodem Codice Canonum diſcimus. Idipſum contigit ſub Grato Carthaginenſi, de quo paullò poſtea. Et ad eandem conſuetudinem animum intendiſſe Eccleſias ſub Leone Imperatore, quando pro confirmatione Chalcedonenſis Concilii Tomus Encyclicus evulgatus eſt, in noſtra Diſſert. IV. demonſtrabimus.

VII. Jam verò noſtri penſi eſt, elucidare ſubſcriptiones Encyclicae hujus Arelatenſis ab omnibus Catholici Orbis Praeſulibus factas, quum earum numerum, quae in ipſo Concilio factae ſunt, veroſimilius inivěrimus. Qua in re ſcribit eruditiſſimus Sirmondus, ſe in MSS. Codd. Actorum Synodi hujus deprehendiſſe Clericos in univerſum octoginta quinque: Epiſcopos ſcilicet XXXIII., Preſbyteros XVI., Diaconos XXVI., Lectores duos, Exorciſtas quinque. Verùm fingamus animo longè plures huic Synodo interfuiſſe, quis demum ignorat, oſcitantia & incuria Amanuenſium ſaepè contigiſſe, ut ſubſcribentium Epiſcoporum numerus in MSS. Codd. mutilus, aut etiam interpolatus legatur. Equidem qui hoc documento Arelatenſium Patrum numerum definiri velit, is procul dubio non aſſequitur, neque rectè aeſtimat Conſtantini mentem, qui ſive ut rebellibus Afris plenarium Concilium poſtulantibus ſatiſfaceret, ſive ut perquam ſollennem ipſiuſmet Urbis dedicationem celebraret, Epiſcopos quam potuit plures evocavit, ſuiſque expenſis aluit: praeſertim cum in Epiſt. ad Chreſtum Siracuſanorum Antiſtitem ſcribat. *Quoniam igitur plurimos ex di-*

Digitized by Google

verſis ac prope infinitis locis Epiſcopos in Urbem Arelatenſem intra Kal. Auguſti juſſimus convenire &c. Addit ut & ipſe Arelatem veniat, *adjunctis tibi duobus ſecundi ordinis*. Graecè apud Euſebium lib. 10. Hiſt. cap. 6. δευτέρου θρόνου, id eſt, ſecundi ſubſelii. Quod explicuit Gregorius Nazianzenus, verba faciens de ſua in Preſbyterum electione hoc verſu:

Per vim ſecundis collocat me in ſedibus.

Et ejuſmodi plerumque erant Preſbyteri Doctores, ut ſupra quum de Literis Conſtantini ad Melchiadem & Marcum, Pontificis in diſputatione Romanae Synodi adjutorem, diſſeruimus. Adde quod Auguſtinus contra Parmenian. lib. 1. cap. 5. aït, 200. ſediſſe Judices in Concilio Arelatenſi. Atque hi Synodo interfuerunt. Nam quùm ab aliis Scriptoribus ad 600. Epiſcopos augetur hic numerus, ii hauddubiè intelligendi ſunt vel de Epiſcopis, qui conſenſum ſuum Primatibus ad Concilium euntibus dederant, vel qui poſtea Synodalibus Encyclicis ſubſcripſerunt, quos fuiſſe 600. veroſimillimum eſt. Notat ipſe Sirmondus quandoque in Codd. hunc titulum legi. *Concilium Arelatenſe primum ſexcentorum Epiſcoporum, in quo ſtatuti ſunt Canones XXII. . . . . . ſubſcribentibus Rheticio Eduorum, Vocato Lugdunenſi, & ceteris.* Cummianus quoque Hibernus in Epiſt. ad Segienum Abbatem in Syllog. Epiſtolar. Hibernic., quas vulgavit Uſſerius, ita ſcribit. *Item Arelatenſi Synodo DC. Epiſcoporum confirmante primo in loco de obſervatione Paſchae, ut uno die & uno tempore per totum terrarum Orbem à nobis conſervetur.* Et Ado Viennenſis in Chronico. *Eodem tempore & illud Sacratiſſimum Concilium apud Arelatem ſexcentorum Epiſcoporum colligitur.* Ii nimirum Epiſcopos Concilio praeſentes, & eos qui poſtea in idem conſentientes ſubſcripſerunt, una ſimul enumerant, quorum plurimi judicium Synodale, alii verò judicium Orbis conſtituunt.

VIII. Scio, Valeſium in Diſſert. de Schiſmate Donatiſt. cap. 20. nihiloſecius contendere, paucos Arelate Epiſcopos adfuiſſe: imò Auguſtini locum, ubi 200. Judices aït, omninò emendandum, ſcribendumque 20. Addit etiam, eo loci Auguſtinum

num non de Arelatenſi, ſed de Romana Synodo locutum eſſe. Sed pace Cl. Viri, nullibi legimus, interfuiſſe Romanae Synodo XX. Epiſcopos, omnibus ad unum Scriptoribus conſentientibus, novemdecim dumtaxat adfuiſſe, ut non ſemel Optatus aſſeverat, & nos paullo ſupra docuimus. Quid, quod S. Auguſtinus loquitur de 200. judicibus, quorum aliqui erant Itali, alii Gallicani, alii verò Hiſpani? Ex quibus Nationibus Epiſcopos in Arelatenſem Synodum conveniſſe tam certum eſt, quàm eſt à veritate alienum in Romana Synodo conveniſſe Hiſpanos. Sed verba ipſa Auguſtini de Caeciliano differentis lib. 1. contra Parmenian. cap. 5. deſcribamus. *Si autem*, inquit ille, *poſt dictam cauſam, prolatamque ſententiam cum Traditorem didiciſſe perhibent; uſque adeò dementes ſunt homines, ut ducentos Judices, apud quos victi ſunt, victis litigatoribus credant eſſe poſtponendos, & tamen in his omnibus, quamvis magna temeritate, Italos, Gallos, & Hiſpanos accuſant, relictis ceteris tam multis Provinciis atque gentibus, à quibus nefando ſacrilegio ſeparati ſunt, quibus utique obeſſe non poſſunt crimina Italorum, Hiſpanorum, atque Gallorum, etiamſi vera dicerentur.* Diſtinguit hoc loço Auguſtinus Concilium, & judicium Orbis. Arelate in Concilio 200. Epiſcopi Judices ex Italis, Hiſpanis, & Gallis adfuerunt: Orbis verò ſecutum judicium Synodalia illorum decreta approbavit & ſubſcripſit, dum *tam multae Provinciae, atque Gentes* ſequuntur quod 200. decreverant, ſeque ab omni Schiſmaticorum commercio ſeparant. Idipſum paucis repetit Auguſtinus ſubjungens. *Fatetur enim Parmenianus ad Arelatenſe Oppidum & Epiſcopos Judices, & partes ex Africa conveniſſe, Caecilianum ſcilicet, atque Donatiſtas; ubi omnia ſuis credidit, qui nihil victi potuerunt de Judicibus conqueri.* Tunc ſcilicet quid ad 200. Judicum ſententiam reponerent, non habuerunt: quamvis poſtmodum & illis quoque ut docebimus, Parmenianus dicam ſcripſerit.

IX. Huc etiam referas quod ſcribit Auguſtinus, Arelatenſem Synodum longè fuiſſe Carthaginenſi ſub Cypriano habita numeroſiorem. In lib. enim de Baptiſmo contra Donatiſtas

cap.

cap. 9. perſtringens Donatiſtarum Rebaptizantium diſciplinam, ad hunc modum loquitur. *Quapropter illud unum conſiderent, quod omnibus patet. Si autoritas Cypriani ſequenda eſt, magis eam ſequendam in unitate ſervanda, quam in Eccleſiae conſuetudine commutanda. Si autem Concilium ejus attenditur, huic eſt univerſae Eccleſiae poſterius Concilium praeponendum. Nam & Concilia poſteriora prioribus apud Poſteros praeponuntur, & univerſum partibus ſemper optimo jure praeponitur*. Igitur Arelatenſe Concilium ad, quod indubiè reſpicit Auguſtinus, & cujus decreto diſciplina Afrorum circa Baptiſmum cum Schiſmaticis & Haereticis omnibus iterandum, tandem abrogata penitùs eſt, longè Carthaginenſi Concilio fuit numeroſiùs, quum tamen in Carthaginenſi ſub Cypriano Epiſcopi LXXXVII. convenerint. Quam veritatem luculentiùs quoque adſtruit verbis illis, quibus Arelatenſe Concilium Carthaginenſi opponit. *Huic eſt univerſae Eccleſiae poſteriùs Concilium praeponendum*.

X. Sylveſter Pontifex vix Patrum Arelatenſium Encyclicam ſuſcepit, & eorum petitiones, ut ipſe videlicet tam Encyclicam quàm Canones & approbaret, & ad Primates Catholici Orbis, ut approbarentur, tranſmitteret, nec Paſtorali ſolicitudini defuit, nec receptae diſciplinae, qua majorum Sedium Praeſules Encyclica quaelibet ſcripta ſubjectis ſibi Eccleſiis intimare debebant. Ex quo illud eſt conſecutum, ut poſt Arelatenſium Patrum ſententiam & Pontificis approbationem Schiſmaticis ubique communio denegata ſit. Certè B. Auguſtinus in Epiſt. 162. palam oſtenſurus, cauſſam Donatianam plenario judicio in Arelatenſi Synodo fuiſſe definitam, id potiſſimum ex eo colligit, quod illorum ſocietatem omnes deinceps ſint exſecrati. *Ex eo quod*, inquit in tract. poſt Collation. cap. 4. & lib. 4. contra Creſconium cap. 25., *totus Orbis eis non communicat*. Neque captu difficile eſt, hujuſcemodi Encyclica ſcripta potuiſſe circumquaque deferri. Nam Conſtantinus, qui rabidam Schiſmaticorum inſaniam coërcere peroptabat, quemadmodum evectionem publicam Epiſcopis ad Concilium venturis indulſit, ſic Pontifici Sylveſtro Magiſtrianorum & Curſorum copiam

Digitized by Google

piam dare potuit, quorum operâ ubique terrarum haec Encyclica promulgaretur.

XI. Fateor, quod non ſemel affirmat Auguſtinus locis laudatis, Encyclicam Aſiae Populis & Orientis Eccleſiis diu fuiſſe ignoratam. Sed inſtituendae in iis regionibus promulgationi obſtitit hauddubiè civilis Principum & aperta diſſenſio. Fervebat ſcilicet bellum Licinianum, & quae in eo commiſſa eſt pugna Cibalenſis in annum 314., & diem VIII. Iduum Octobrium incidit. Odio etiam pluſquam vatiniano invicem flagrabant Maximinus & Licinius, qui tum per Aſiam & Orientem imperitabant. Quid igitur mirum, ſi quum homines de una in aliam Provinciam migrare non poſſent, in illis haec Synodalis Encyclica nequaquam fuerit promulgata? De hoc bellorum turbine conſulendi tum Euſebius in vita Conſtantini, tum Firmianus Lactantius in lib. de Mortib. Perſecut. cap. 49. Satis ad Orientalium conſenſionem huic Encyclicae praeſtitam, ubi primum innotuit, luculenter oſtendendam facit, quòd illimet Orientales in Nicaeno Concilio velut Catholicum, & Carthaginenſem legitimum Antiſtitem agnoverunt Caecilianum, quem ibi paſſi ſunt & aſſeſſorem & Judicem.

XII. Ceterum ad Encyclicae hujus magiſterium ſtabiliendum magnopere ducit ipſa Magni Conſtantini ſolicitudo, qui Chriſtianae Religionis fide diſciplinaque imbutus, eos aeterni ignis poena multari cognovit, qui tam ſollenni Eccleſiaſtico judicio intercederent; gloriam verò ſempiternam adepturos qui propter illius defenſionem corona martyrii afficerentur. His enim argumentis in inſigni epiſtola ſua ad univerſos per Africam Epiſcopos, & ad Plebem Catholicae Eccleſiae data, tolerantiam ſuadet. *Ut quidquid*, ſcribit Imperator, *inſolentia illorum pro conſuetudine intemperantiae tentaverit, feceritve, id totum tranquillitatis virtute tolerent: nihil ex reciproco reponatur injuriae: maximè quum debeat fides noſtra confidere, quidquid ab hujuſmodi hominum furore patimur, martyrii gratia apud Deum eſſe valiturum. Quid eſt enim aliud in hoc ſeculo in nomine Dei vincere, quam inconditos hominum impetus quietae Legis Populum laceſſentes*

conſtanti

conſtanti pectore ſuſtinere? Quid, ſi obſervaverit veſtra ſinceritas, citò videbitis per gratiam ſummae Divinitatis, ut langueſcentibus eorum inſtitutis vel moribus, qui ſe miſerrimae contentionis vexillarios praebent, ſciant omnes non debere ſe paucorum perſuaſione pereuntes ſempiterno letho dare, qui poſſint poenitentiae gratia ſemper vitae aeternae, correctis erroribus ſuis, integrari. Nimia equidem videri potuit & intempeſtiva haec lenitas Conſtantini. Sed in ipſis Chriſtianiſſimi Imperii ſui primordiis eximium benignitatis clementiaeque exemplum tradere voluit, quo deceſſorum Perſecutorum, & qui tum in vivis erat, Maximini crudelitas appareret exſecrabilior. Ceterum nihil praetermiſiſſe piiſſimum Principem, quod ad Eccleſiaſtici judicii aeſtimationem autoritatemque conſtabiliendam faceret, diſcimus ex ejus Literis ad Celſum Vicarium datis, in quibus ſe in Africam navigare conſtituiſſe ſcribit, quatenus furibundum illud Schiſmaticorum genus compeſceret. *Quum favente pietate divina in Africam venero, pleniſſimè univerſis tam Caeciliano, quàm iis qui contra eum agere videntur, lecto dilucido judicio demonſtraturus ſum, quae & qualis ſummae Divinitatis ſit adhibenda veneratio, & cujuſmodi cultu delectari videatur. Adhibito etiam diligenti examine, ea quae nunc aliqui exinde inlecebris mentis ignorant atque occultare ſe putant, pleniſſime ſum reperturus, atque in lucem facturus venire: eaſdem perſonas, quae res iſtiuſmodi concitant faciuntque, ut non cum ea qua oportet, veneratione Summus Deus colatur, perdam atque diſcutiam.*

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

De Concilii Arelatenſis Decreto circa Rebaptizationem, quod Orbis judicium & ſubſcriptio firmavit.

Synopsis.

I. *Quid ſibi velint phraſes illae apud Patres*: Decretum Concilii, & judicium Orbis. II. *Hiſce nominibus donatae fuerunt Encyclicae in Cauſſa Lapſorum ſub Cypriano.* III. *Similiter Encyclica Concilii Antiocheni contra Paulum Samoſat.* IV. *Id ab Auguſtino affirmatum de Encyclica Arelatenſi contra Rebaptizantes.* V. *Idem ſcripſit S. Hieronymus.* VI. *Et luculentius Euſebius Dorylenſis de Encyclica Antiochena.* VII. *Veriſſimè idipſum de Arelatenſi Decreto ſcripſit Auguſtinus.* VIII. *Potiſſimum quum agit de haereſi Rebaptizantium.* IX. *Expenditur ulteriùs Auguſtini ſententia.* X. *Conſtitutio Mediolani adverſus Donatiſtas ab Imp. Conſtantino edita.* XI. *Eadem à ſequentibus Imperatoribus confirmata.* XII. *Hinc Concilium Carthaginenſe I. ſub Grato haereſim appellat Rebaptizationem.* XIII. *Ejus Concilii Acta & Decreta.* XIV. *Laudata in eo Encyclica Arelatenſis.*

I. SAepiùs quum ſuperiores Encyclicas recenſeremus, obſervatum à nobis eſt, declarationes fidei & diſciplinae in Synodo aliqua promulgatas, accedente Epiſcoporum conſenſu & unanimi Eccleſiarum perſuaſione, in ſupremum magiſterium tranſiiſſe: & activum, paſſivumque votum Chriſtiani totius Gregis repraeſentantes, vulgaribus priſca aetate vocibus *Concilii Decretum*, & *Orbis judicium* eſſe appellatas. Id cum ex aliis monumentis in comperto eſt, tum ſanè praeclarum documentum habet in praeſenti Arelatenſium Patrum decreto, & in eo quod conſecutum eſt pleniſſimum Orbis judicium in eodem partim fidei, partim diſciplinae dogmate ſtabiliendo. Unde Augu-

Digitized by Google

Auguſtinus, qui Coetum Arelatenſem ejuſque placita alicubi Decretum Concilii, & judicium Orbis appellaverat, crebrò etiam plenarium Concilium alibi nuncupat, locumque tribuit arbitrandi, Canonem VIII. Arelatenſem, quo facultas omnis rebaptizandorum Haereticorum ſublata eſt, pariter & Decretum Concilii, & judicium Orbis poſt hanc promulgatam Encyclicam evaſiſſe.

II. Vetuſtiſſima equidem eſt haec Tractatorum Eccleſiaſticorum phraſis, ut Encyclica edicta, quibus Eccleſiarum Populorumque conſenſus accedebat, Decreta Orbis terrarum appellarentur. Decreta celeberrima, quae in cauſſà Lapſorum variis temporibus evulgavit Cyprianus, & Fiduciarium alterum, alterum Peremtorium dici voluit, necnon alia in damnatione Schiſmatis Novatiani condita, eo potiſſimum titulo firma eſſe, & nullatenus citra ſalutis diſpendium contemnenda, adſtruit B. Martyr, quòd *Orbis univerſi aſſenſu* comprobata ſint, & velut à Conciliis Carthaginenſibus prodierant, illibatè ſuſcepta. De quo idem Cyprianus diſſerit in Epiſt. 55. ad Numidiae Epiſcopum Antonianum, ubi poſt Romanae & Carthaginenſis Synodi autoritatem, conſpirans in idipſum judicium Orbis commendat.

III. Alexander etiam Epiſcopus Alexandrinus in ſua Encyclica demonſtraturus, Arium planè eſſe haereticum, cum in errores Pauli Samoſateni impegiſſe ſcribit, qui ſcilicet jam dudum in Antiocheno Concilio haereſis poſtulatus convictuſque, unius alteriuſve Encyclicae autoritate, quam judicium Orbis conſecutum eſt, fuerat communi Epiſcoporum & Eccleſiarum ſuffragio proſcriptus. Verba Alexandri de Ario ſcribentis ſunt ejuſcemodi. *Peſtiferum ſtudium Pauli Samoſateni Epiſcopi Antiochiae, qui Concilio omnium ubique Epiſcoporum, atque adeò judicio Eccleſiae ejectus eſt*. Epiſcopi nimirum qui ſive ob locorum maximam intercapedinem, ſive aliis de cauſſis non interfuerant Concilio Antiocheno, ii ſua tamen conſenſione Encyclicis praeſtita quodammodo interfuerunt, ut hac ſubinde ratione Concilii & Orbis judicium emerſerit, quod Pauli haereſim eliminavit.

navit. Unde meritò verèque Alexander ea emphaſi uſus eſt: *Concilio omnium ubique Epiſcoporum, atque adeo judicio Eccleſiae rejectus eſt.*

IV. Utitur eadem phraſeologia Auguſtinus, agens de ſententia qua declaratum fuerat, haereticos ad Catholicam communionem regreſſos nequaquam eſſe rebaptizandos. Quod quidem a Concilio Catholico Orbis terrarum decretum eſſe affirmat. Multoties id in Auguſtini ſcriptis occurrit, & praeclarum inter cetera eſt quod ſcribit lib. 6. de Bapt. contra Donatiſtas cap. 13. *Secundum Scripturarum Sanctarum autoritatem decrevit Concilium Catholicum Orbis terrarum, etiam in haereticis inventum Chriſti Baptiſmum non eſſe improbandum.* Quod quidem non aliter affirmari poteſt, niſi quia quum Encyclica à Sylveſtro Pontifice evulgata, Epiſcoporum ubique omnium conſenſione firmata ſit, dogma quod in ea declarabatur, evaſit Concilium Catholicum Orbis terrarum.

V. Eodem reſpexit S. Hieronymus in Dial. adversùs Luciferianos, ubi controverſiam illam rebaptizationis agitat. Quippe aſſèverat, Hilarium Diaconum dogmatizantem, Haereticos Arianos rebaptizandos eſſe, in judicium impingere quod Sylveſter & vetuſti Epiſcopi ediderant. *Legat & ipſius Hilarii Libellos; quos adversùs nos de Haereticis rebaptizandis edidit, & ibi reperiet ipſum Hilarium confiteri, à Julio, Marco, & Sylveſtro, & ceteris veteribus Epiſcopis ſimiliter in pœnitentiam [abſque iteratione Baptiſmi] omnes Haereticos ſuſceptos.* Scilicet Marcus Pontifex primo Romanae Synodi ſub Melchiade judicio & controverſiae examini praeſens, improbavit Donatum rebaptizantem: Sylveſter autem id tum egit, quum ſententiam Concilii Arelatenſis, ejuſdemque Encyclicam & approbavit & in Orbem vulgari juſſit. Neque enim alibi legimus, Sylveſtrum de ea contentione ſuffragium tuliſſe ſuum, praeterquam in confirmatione Concilii Arelatenſis, quae rebaptizationem improbabat, & quam ſuſcipientes veteres omnes Epiſcopi, effecerunt Orbis judicium.

VI. Luculentius has priſcorum Theologorum phraſes & diſtinctius expreſſit Euſebius Doryleenſis Epiſcopus in libello denunciativo

Digitized by Google

nunciativo haereſis Neſtorianae, quam Pauli Samoſateni propaginem eſſe aït. *Nec ignoratis*, ſcribit ille, *eam doctrinam quae adversùs Eccleſiaſticam pietatem nuper caput extulit, Ebionis eſſe & Artemae; nec aliud eſſe quam imitationem Pauli Samoſateni Antiochiae Epiſcopi, qui omnium ubique Epiſcoporum Concilio & judicio ab Eccleſia remotus eſt*. Secernit hoc loco Euſebius Concilium Antiochenum, a quo Encyclica profecta eſt, & judicium Orbis, quod in eo praeclare enituit, quod Epiſcopi ubique omnes Encyclicam & ſumma conſenſione ſuſcepiſſent, & ſubſcriptione ſua firmaſſent. Citra controverſiam igitur eſt, priſcis illis temporibus decretum Orbis, & judicium Orbis nihil aliud expreſſiſſe, quam unanimem Eccleſiarum conſenſionem.

VII. Iccirco quum tam multi Epiſcopi ex diverſis Italiae, Africae, Hiſpaniae, Brittanniae, & Galliae provinciis Arelatem confluxerint decretum edituri, quod Epiſcopi ceteri abſentes ſuffragio quilibet ſuo roboraverunt, jure optimo Auguſtinus hunc ampliſſimum Coetum appellatione plenarii & univerſalis Concilii, & judicii Orbis cohoneſtavit: quod paſſim de Nationalibus, aliiſve numeroſioribus Conciliis alibi facit, ut eruditiſſimo Sirmondo, & Patribus Benedictinis S.Mauri in ſua Opp. Auguſtini editione Tom. IX. pag. 103. eſt obſervatum. Apud Afros praeſertim id obtinuit: qui non ea tantum Concilia, quae abs Catholico Carthaginenſi Primate cum Epiſcopis totius Africae celebrabantur, titulo donabant Plenarii Concilii: ſed etiam novimus, Bagaienſem Coetum à 310. Epiſcopis Donatiſtis celebratum adversùs Maximianiſtas vocari plenarium, ipſo Auguſtino Authore lib. 3. adverſ. Creſconium cap. 53. Ceterum plenarium Concilium ab univerſali Orbis Concilio vix ac ne vix quidem ſecernere licebit, niſi ad Encyclicarum diſciplinam mentem intendamus. Quippe plenarium in Africa erat, quoties dimidia pars Epiſcoporum Africae Carthaginem conveniſſet. Abſentibus enim in eadem decreta conſentientibus, & ſubſcriptione firmantibus, plenarium Eccleſiae Africanae Concilium dicebatur. Sed quum abs frequentiore Concilio diverſorum Regnorum quidpiam ſtatuebatur, quod per Encyclicam Eccleſiis

ceteris

ceteris innoteſceret & probaretur, non jam merè Plenarium, ſed Concilium & judicium Orbis appellabatur.

VIII. Itaque quum Auguſtinus agens de haereſi Rebaptizantium, affirmat eam à Concilio Plenario & judicio Orbis fuiſſe proſcriptam, aliter intelligendus non eſt, quam de hoc Arelatenſium Patrum decreto, & de eo quod conſecutum eſt, Sylveſtri atque Orbis totius ſuffragio. Namque in ſolo Arelatenſi Concilio poſt diuturnam conflictationem Canon octavus contra Rebaptizantes promulgatus eſt, ut ipſemet S. Doctor in lib. de Baptiſmo cap. 8. aſſeverat. Donatiſtis enim autoritatem Cypriani urgentibus, qui innixus Africano Agrippini Concilio rebaptizationem probaverat, ad hunc modum reſpondet. *Hac atteſtatione ſatis oſtendit, multò magis ſe fuiſſe commemoraturum, ſi quod hac de re tranſmarinum, vel univerſale Concilium factum eſſet. Nondum autem factum erat, quia conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum. Et haec ſola opponebatur volentibus inducere novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem. Poſtea tamen cum inter multos ex utraque parte tractatur & quaeritur, non ſolum inventa eſt, ſed etiam ad Plenarii Concilii autoritatem roburque producta eſt poſt Cypriani paſſionem, ſed antequam nos nati eſſemus*. His non Nicaenum aliudve proximum generale Concilium, ſed praeſens Arelatenſe omnino indicari, clarius eſt quam ut multis oſtendi oporteat. Illud enim Concilium innuit Auguſtinus, in quo multi ex utraque parte de Baptiſmo haereticorum tractarunt. Quod utique Arelatenſe eſt, ubi ea de re & à multis qui aderant, Afris diſputatum, & generali ſententia fuit contentio omnis definita. In Nicaeno autem Concilio Afer unus interfuit Caecilianus, nulluſque ſubinde editus Canon eſt, qui ad Afros nominatim pertineat. Itaque autoritas Plenarii Concilii, quae ut loquitur Auguſtinus veritatem ad robur perduxit, ipſius eſt Arelatenſis Concilii autoritas, quod Can. 8. legem Afris impoſuit, ut quotquot haeretici in nomine Auguſtiſſimae Trinitatis baptizati ſunt, eis manus haudquaquam imponant, neque deinceps audeant rebaptizare, velut autore Donato faciebant per ea tempora Donatiſtae.

natiſtae. Equidem Nicaeni Patres id tantum de Paulianiſtis caverunt quod legitur Can XIX. . *De Paulianiſtis ad Eccleſiam Catholicam confugientibus definitio prolata eſt, ut baptizentur.*

IX. Sed Orbis judicium, quod ante Concilii Nicaeni tempora de hoc Baptiſmi dogmate & perfectum eſt & patefactum, ineluctabili opinor documento adſtruit idem S. Auguſtinus in Epiſt. 166. Propoſito in ea hujuſcemodi argumento, inde rationem orditur, quod divinis Scripturis doceamur, & Eccleſiae Caput eſſe Chriſtum, & certas quaſdam illius eſſe dotes quas ſuſcipere & profiteri debemus. Probat inſuper Chriſtum inſtituiſſe ſacrum Baptiſma & Poenitentiam, hoc inter utrumque Sacramentum diſcrimine, quod primum iterare nefas ſit, alterum oporteat. Addit veram Eccleſiam fuiſſe hactenus cum Caeciliano, idque vel ex eo potiſſimum elucere, quod calumniae & machinationes Caeciliano ab adverſariis intentatae, fuerint omnes in variis Eccleſiaſticis judiciis rejectae, atque illa quammaximè quae in traditione Felicis Aptungitani Caeciliani ordinatoris verſabatur, ut publico conſtitit documento. Secutum aït Arelatenſe Concilium, quod Donatiſtarum contumaciam ſive in rebaptizatione, ſive in Schiſmate protelando compreſſit. Notanda verba illa S. Doctoris. *Donec & ipſe Felix juſſu Imperatoris, cauſſa cognita ab Aeliano Proconſule innocens probaretur. Tunc Conſtantinus prior contra partem Donati ſeveriſſimam legem dedit. Hunc imitati Filii ejus talia praeceperunt:* Scilicet Conſtans & Conſtantius Impp. Quíd verò in ea lege potiſſimum juſſerit Conſtantinus, diſcere eſt ab eodem Auguſtino, qui fragmentum Conſtitutionis deſcripturus, haec praemittit. *Attendite quam manifeſtiſſima veritate per cor Regis quod in manu Dei eſt, ipſe Deus direxit in iſta ipſa lege, quam contra vos prolatam dicitis: Eſt autem, ſi intelligitis, prolata pro vobis. Attendite quid habeant verba Principis.* Compellatio haec ab Auguſtino repetita pondus quam maximum legis demonſtrat, noſtramque ſimul animadverſionem reddit certiſſimam. Verba legis ſunt hujuſmodi. *Nam ſi in eis qui primò initiati ſunt, idcircò Religio Baptiſmatis judicatur infirma, quod ii à quibus accipitur, peccatores putentur, toties renovari*

novari neceſſe erit traditum ſacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati Baptiſmatis adminiſtrator, & fides noſtra non ex noſtrae voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, ſed ex meritis Sacerdotum & Clericorum qualitate pendebit. Momentum hoc ſolidiſſimum, quod protulerunt Patres Arelatenſes in Diſputatione cum Afris ex parte Donati, magna utrinque animorum contentione peracta, ut Auguſtini teſtimonio vidimus, legi ſuae inſerere voluit Conſtantinus: quod ut unicuique conſideranti patet, invictè Catholicum dogma, & judicium Arelatenſis Encyclicae firmat & adſtruit. Unde ſubjungit eodem loco Auguſtinus. *Faciant mille Concilia Epiſcopi veſtri: huic uni ſententiae reſpondeant, & ad quod volveritis, conſentimus vobis*. Quod ſi Magnus Conſtantinus poſt celebratum Arelatenſe Concilium & priuſquam Nicaeni Patres convenirent, Legem adversùs Rebaptizantes tulit, non id alia de cauſſa contigiſſe arbitrandum eſt, quam quod agnoverit judicium Epiſcoporum Orbis totius, qui ſubſcribentes Encyclicae, & Synodi Canonem VIII. approbantes, firmiſſima atque immutabili lege ſanxerunt, Haereticos aut peccatores nequaquam eſſe rebaptizandos.

X. Conſtantino M. edendae celeberrimae hujus Conſtitutionis cauſſam inde opinor datam, quod Schiſmaticorum pertinacia poſt ipſum Arelatenſe Concilium ferveſcere magis videretur. Eos igitur una cum Caeciliano Mediolanum properare juſſit. *Quo cum etiam Caecilianus perveniſſet, ipſum quoque ſicut ſcripſit, exhibuit Cognitaque cauſſa, qua diligentia, qua cautela, qua proviſione, ſicut ejus indicant Literae, Caecilianum innocentiſſimum, illos improbiſſimos judicavit*. Ut prodit Auguſtinus in epiſt. 162. Magna equidem cautela, eaque Principe Criſtianiſſimo digna judicium inſtitutum eſt. Remotis enim arbitris Officialibus, utpote Gentilitiae ſuperſtitioni addictis, ſolus ipſe judicio interfuit: ac tunc demum Conſtitutionem vulgavit, quum rei aequitas poſtulare viſa eſt. Ejus autographum exſtabat tempore Collationis Carthaginenſis, in qua lectum approbatumque. Unde Auguſtinus in Brevic. Collat III. diei cap. 3. ſcripſit. *Recitatum eſt judicium Conſtantini quemadmodum ſe inter partes cauſ-*

Digitized by Google

ſam Caeciliani cognoviſſe, ad Eumalium Vicarium Africae ſcripſiſſet, quo remotis omnibus arbitris, Caecilianum innocentem, illos calumnioſiſſimos comperiſſe teſtatus eſt, commemorans etiam in Arelatenſi Oppido pro Caeciliano factum Epiſcopale judicium, cui judicio jam plurimi ex diſſenſione conſenſerunt, reliquis adhuc reſilientibus & diſcordantibus: unde ipſe de re tota inter partes coactus eſt judicare. Una cum judicio prodiit quoque Conſtitutio, cujus fragmentum adducit idem Auguſtinus lib. 3. cont. Creſcon. cap. 71. *Inſero adhuc & verba Conſtantini ex Literis ad Eumalium Vicarium, ubi ſe inter partes cognoviſſe, & innocentem Caecilianum comperiſſe teſtatur. Cum enim narraſſet in his quae ſupra locutus eſt, quemadmodum ad judicium ejus poſt Epiſcopalia judicia partes perductae fuerint. In quo pervidi, inquit, Caecilianum, virum omni innocentia praeditum, ac debita Religionis ſuae officia ſervantem, atque ita ut oportuit ſervientem, nec ullum in eo crimen reperiri potuiſſe, eidem apparuit, ſicut abſenti fuerat adverſariorum ſimulatione compoſitum.* Tempus editae Conſtitutionis ex ipſa ejus inſcriptione, quam ibid. memorat Auguſtinus, colligi facilè poteſt. Eſt autem hujuſmodi. *Ad Eumalium Vicarium de purgatione Caeciliani ſcripſit, Sabino & Rufino Coſs. IV. Id. Novembr., ideſt poſt biennium & menſes prope octo.* Quae in annum Chriſti CCCXVI. incidunt.

XI. Reliqui Imperatores Legem M. Conſtantini ſuis omnes Legibus confirmaverunt. Auguſtinus enim quum annotaſſet, Julianum apoſtatam ab exſilio revocaſſe, quos Conſtantinus & Filii Schiſmaticos ejuſdem Legis autoritate multaverant, ad rem proſequitur. *Deinde Valentinianus, legite quae contra vos juſſerit. Inde Gratianus & Theodoſius, legite quando vultis quae de vobis conſtituerint. Quid ergò de Filiis Theodoſii miramini, quaſi aliud in hac cauſſa ſequi debuerint, quam Conſtantini judicium per tot Chriſtianos Imperatores firmiſſimè cuſtoditum?* Hinc ab ejus Legis promulgatione, quae judicium Orbis confirmavit, velut Haeretici & Schiſmatici habiti ſunt Donatiſtae, iiſque appellationibus deſcribuntur in edictis ſeqq. Imperatorum: de quo ipſimet Donatiſtae conqueruntur apud Auguſtinum

num cit. Epiſt. 166. Certè quum Synodus Carthaginenſis anni 404. Legationes & preces Imperatori Honorio direxit, quatenus reprimeret Circumcelliones, & reliquam Donatiſtarum peſtem, id verbis illis poſtulavit, ut ſcil. Secta, *quae religioſorum ſupra Principum frequentibus ſanctionibus condemnata eſt*, novis Legum praeſidiis aboleatur: ut legimus in Actis illius Concilii, atque imprimis in Can. XCIII. Impetrarunt autem ſua hac Legatione Catholici tria Edicta ab Honorio, quae E. lib. 16. Cod. Theodóſ. tit. 6. Leg. 4. & tit. 5. L. 6. & 36. Imò in L. 4. tit. 6., quae omnium ampliſſima eſt, haec ſancivit Imperator. *Adverſarios Catholicae fidei extirpare hujus decreti autoritate proſpeximus: ideòque interdicendam ſpecialiter eam Sectam nova Conſtitutione cenſuimus, quae ne haereſis vocaretur, appellationem Schiſmatis praeferebat. In tantum enim ſceleris progreſſi dicuntur ii, quos Donatiſtas vocat, ut Baptiſma Sacroſanctum myſteriis conculcatis temeritate noxia iterent, & homines ſemel ut traditum eſt, munere divinitatis ablutos, contagione profanae repetitionis infecerint. Ita contigit, ut haereſis ex Schiſmate naſceretur:* Cum reliquis quae ibi ſi lubeat conſulenda. Sanctionem autem poenalem adjungit. *Quare hac Lege ſancimus, quiſquis poſt haec fuerit rebaptizaſſe detectus, Judici, qui Provinciae praeſidet, offeratur, & facultatum omnium publicatione multatus, inopiae poenam qua in perpetuum adficiatur, expendat. Ita ut Filiis eorum, ſi à Paternae Societatis pravitate diſſentiunt, ea quae fuerint paterna non pereant.* Edita notatur haec Conſtitutio *Prid. Id. Febr. Rav. Stilicone II. & Anthemio Coſſ.* Quod in annum incidit CCCCV. Aliam quoque adversùs Rebaptizantes vulgavit Honorius eodem anno Conſtitutionem, in qua & Anteceſſorum Principum eadem in Cauſſa Leges commemorat, & ſeveriùs adjungit. *Quod ſiquis audeat interdictis ſe illicitiſque miſcere, & praeteritarum innumerabilium Conſtitutionum, & Legis nuper à manſuetudine noſtra prolatae laqueos non evadat*. Fucum tamen hiſce Legibus & poenis in Rebaptizantes decretis fecerunt paullo poſtea Donatiſtae. Nam caeſo per annum CCCCVIII. Stilicone, jactare illicò coeperunt, Leges

ges contra ipſos latas non tam Honorii, quàm Stiliconis fuiſſe: quippe cujus autoritate ductus Imperator, ſuum iis nomen dumtaxat commodaverit. Unde & irritas illas eſſe dicebant, & cum aliis Stiliconis actibus publicè reſcindendas. Qua de re vide ſis Auguſtinum in Epiſt. 129., & Legem Olympio Magiſtro Officiorum datam, necnon acta Synodi Carthaginenſis ejuſdem anni CCCCVIII., quae inſuper novam Legationem ad Honorium direxit, precibuſque ſuis apud Imperatorem id effecit, ut Donatiſtae poſt mortem Stiliconis efferatiores redditi compeſcerentur, ne quid ab iis detrimenti Catholica Eccleſia capeſſeret. Atque hinc etiam nata Lex 46. Cod. Theodoſ. de Haereticis anno CCCCIX. vulgata, qua Judicibus editarum hactenus in Donatiſtas Conſtitutionum omnium executio diſtrictè injungitur. *Ne Donatiſtae vel ceterorum vanitas Haereticorum, aliorumque error, quibus Catholicae Communionis cultus perſuaderi non poterat, Judaei atque Gentiles, quos vulgò Paganos appellabant, arbitrarentur, Legum antea adverſus ſe datarum conſtituta tepuiſſe.* Conferenda etiam quae num. 51. ejuſdem tit. legitur.

XII. Huc pariter referendum eſt Concilium Carthaginenſe I. ſub Grato celebratum, quod Rebaptizationem appellavit haereſim, & velut Chriſtianae Legi & traditioni adverſantem damnavit. Decreto Synodali occaſionem dedit Conſtans Imp., qui quum ann. CCCXLVII. Eccleſiae Orientali per Sardicenſe Concilium proſpexiſſet, atque Arianorum pertinaciam fregiſſet, animum applicuit rebus componendis Africanae Eccleſiae, quae ob amplitudinem ſuam totius ſubjecti Occidentalis Imperii decus erat & ornamentum. Iccircò Macarium delegit & Paulum in Africam Legatos, tum ut pauperes pecuniarum erogatione ſublevarent, tum etiam ut Donatiſticis tumultibus facerent modum. Sed quemadmodum ſub Conſtantino Patre evenerat, efferati magis his largitionibus Schiſmatici uſque adeò turbas excitarunt, ut Donato praecipiente, Legatis duobus Catholicae partis egenis eleemoſynas diſtribuentibus vim facere auſi ſint; utque nonniſi accitis militibus comprimi ſeditio

Digitized by Google

tio potuerit. Et haec funeſta illa ſunt Macariana tempora, quae Optatus & Auguſtinus deſcribunt, & quibus Donatiſtae nunc conqueſti, nunc gloriati ſunt, diram ſe perſecutionem ſub Macario paſſos fuiſſe. Interim quum plurimi ad Catholicae Eccleſiae gremium remearent, nonnulli vero exſilio multarentur, inter quos Donatus fuit, nequiſſimus ille factionis princeps & fons atque autor malorum, juſſit Gratus Primas Carthaginenſis, ut ſingularum Provinciarum Epiſcopi primum ſub Metropolitanis convenirent, tum verò properarent Carthaginem, in plenario Concilio Eccleſiae unitatem, & Catholica dogmata à Donatiſtis impetita communi decreto confirmaturi.

XIII. Coācto igitur Carthaginenſi Concilio ann. CCCLVIII. poſt particulares memoratos conventus, ſic ad Epiſcopos Gratus praefatur. *Gratias Deo Omnipotenti & Chriſto Jeſu, qui dedit mali ſchiſmatis finem, & reſpexit Eccleſiam ſuam, ut in ejus gremium erigeret univerſa membra diſperſa: qui imperavit religioſiſſimo Conſtanti Imperatori, ut votum gereret unitatis, & mitteret miniſtros operis ſancti famulos Dei Paulum & Macarium. Ex Dei ergò nutu congregati ad unitatem, ut per diverſas Provincias Concilia celebraremus, & univerſae Provinciae Africae hodierno die Concilii gratia Carthaginem venirent. Unde conſiderantibus vobis cum mea mediocritate tractentur tituli neceſſarii.* Et mox ad rem noſtram Can. 1. *Ergò ſi vobis placet, conſideremus primum titulum rebaptizationis. Et ſanctitatem veſtram poſtulo, ut mentis veſtrae placita producatis, an deſcendentem in aquam, & interrogatum in Trinitatem ſecundùm Evangelii fidem & Apoſtolorum doctrinam, & confeſſum bonam conſcientiam .... liceat interrogari in eandem fidem, & in aquam iterum intingui? Univerſi Epiſcopi dixerunt: Abſit, Abſit. Inlicitam enim eſſe ſancimus rebaptizationem, & ſatis alienam à ſincera fide & Catholica diſciplina.* Vides, perſuaſum Africanis fuiſſe improbandam rebaptizationem, velut ſincerae fidei & Catholicae diſciplinae contrariam. Quid ita, amabo? An non quia Caecilianus decreta Concilii Arelatenſis, & ſubſecutum Orbis judicium Eccleſiis ſuis indixerat? Atque id eſt

quod innuit Gratus poſt hanc Epiſcoporum confidentium profeſſionem inquiens. *Diſcuſſus eſt titulus neceſſarius rebaptizationis, in quo plus Schiſmatis rabies deliteſcebat, & adhibita moderatione Legis vigor & autoritas conſtituta eſt.* Sive ut habet lectio altera vetuſtiſſima: *& habita moderatione, Legis vigore & autoritate fides cuſtodita eſt.* Quae autem eſſe potuit Lex & autoritas, niſi ipſemet Canon VIII. Arelatenſis, quo id cautum eſt, & cui per judicium Orbis Encyclicam Arelatenſem ſuſcipientis autoritas adjecta eſt?

XIV. Ad rem quoque concludit Gratus in Can. XIV. inquiens. *Sanè credo vos retinere, multis Conciliis à Patribus & traditionem temerariam eſſe damnatam, & rebaptizationis impietatem eſſe puniendam: quas res etiam noſtro Concilio credo jam terminum accepiſſe.* Affirmat hoc loco Gratus, rebaptizationem multis à Conciliis velut impietatem eſſe proſcriptam. Et tamen quod ex veteribus monumentis ſciamus, non alia Concilia hac de re celebrata ſunt, praeterquam Romanum ſub Melchiade, in quo Donatus ceu rebaptizans improbatus eſt, & Arelatenſe quod eundem errorem Can. VIII. proſcripſit. Et haec momenta ſunt non inania, quibus nos equidem perſuademur, nomine Plenarii Concilii & judicii Orbis, quae ſaepiùs refricat Auguſtinus, non aliud intelligi quam Arelatenſem Encyclicam judicio Eccleſiarum confirmatam.

§. VIII.

§. VIII.

De Antencyclica Parmeniani Tertii Carthaginenſis Donatiſtarum Epiſcopi.

SYNOPSIS.

I. *Uſus Antencyclicarum apud Haereticos & Schiſmaticos*. II. *Parmeniani in Enthroniſmo Encyclica quid complecteretur*. III. *Acta Conventiculi Carthaginenſis ſub Donato praetergreditur Parmenianus*. IV. *Peculiaria quae fuerint Parmeniani placita*. V. *Ea proponit in Antencyclica, quam refellit Auguſtinus*. VI. *Id ipſum rurſus praeſtitit Primianus, alter factionis Princeps*. VII. *Adverſùs Parmenianum Optatus imprimis pugnavit*. VIII. *Difficilis ejus locus explanatur*. IX. *Altera Parmeniani Tractatoria adverſùs Tychonium*. X. *Docuit in ea potiſſimum, Eccleſiam univerſalem defeciſſe*. XI. *Ipſos etiam Gallicanos lapſus inſimulavit*. XII. *Orbis etiam judicium, quod Arelatenſem Encyclicam conſecutum eſt, labefactare molitur*. XIII. *De Romanis Synodis ſub Melchiade & Sylveſtro quid affirmaret*. XIV. *Orbis conſenſionem, & ipſas Conſtantini Leges affectati partium ſtudii inſimulat*.

I. VIm & autoritatem Encyclicarum non uno jam loco aeſtimavimus ex ipſomet uſu Antencyclicarum, quibus profligatae fidei homines hoc magiſterium ſin minus evertere, ſaltem enervare apud aſſeclas ſtuduerunt, & ne à cauſſa viderentur excidiſſe, moras nectere, quaeſtiones interſerere & rixas, nihil demum eorum omittere conſueverunt, quae facili veritatis triumpho intercedere poſſent. Hoc ipſum Donatianum Schiſma vires primum accepit per Antencyclicam de electione Majorini, deque calumniis in Caecilianum velut ab Epiſcopo traditionis reo ordinatum, tum per literas id genus alias auctum mirè & dilatatum eſt. Quibus machinationibus quemadmodum Sacri Tractatores ſeſe oppoſuerint, hîc aperiendum ſu-

ſuſcipimus. Ex qua diſputatione & illud conſequetur, ut Encyclicae Arelatenſis autoritas, ejuſque magiſterium à Grato & Carthaginenſi Synodo confirmatum, luculentiùs perſpiciatur.

II. Exſilii moerore, ut multis viſum eſt, confectus Donatus, fax exitialis Africanae Eccleſiae, ultimum obiit diem, cui circa ann. CCCLXVIII. Valentiniano & Valente V. Coſs., Parmenianus ſubrogatus eſt, Sectae ejuſdem tenaciſſimus propugnator, ac tertius Donatiſtarum apud Carthaginem Epiſcopus. Is quum Enthroniſticam ſuam & Synodicam de more ad Eccleſias tranſmitteret, Encyclicos illi tractatus adjunxit, in quibus quae eſſent Catholicae Eccleſiae dotes, tum veró an Baptiſmus ab Haereticis & peccatoribus conferri poſſet, atque an eſſet iterandus, ſeduló videtur inquiſiviſſe. Hujuſcemodi Encyclicam non ad aſſeclas ſolùm, ſed ad alias quoque Eccleſias tranſmiſſam eſſe, hinc opinor in numerato eſt, quòd poſt illam contendere coeperint, excepta Donati parte, Eccleſiam univerſam defeciſſe ob communionem Traditoribus datam: apud eandem nec verum ſacrificium, nec ſincera alia ſacramenta adhiberi. Quibus equidem poſtrema Catholicorum decreta ſive in Encyclica Arelatenſi, ſive in Carthaginenſi Plenario Concilio anni CCCXLVIII. promulgata tacitè convelluntur.

III. Id quidem palam fiet, quum Acta Concilii Carthaginenſis 270. Epiſcoporum ſub Donato celebrati circa ann. CCCXXX. expenderimus. Ejus Conventiculi memoriam reſervavit Tychonius apud S. Auguſtinum in Epiſt. 48. ad Vincentium Epiſc. Donat. *Scribit enim ille Tychonius homo ut dixi veſtrae communionis, à ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris Concilium Carthagine celebratum. In quo Concilio per ſeptuaginta & quinque dies, poſtpoſitis omnibus praeteritis, limatam eſſe ſententiam, atque decretum, ut Traditoribus immenſi criminis reis, ſi baptizari nollent, pro integris communicaretur. Deuterium autem Macrianenſem Epiſcopum communionis veſtrae dicit, Traditorum plebem congregatam Eccleſiae miſcuiſſe, & ſecundùm ſtatuta illius Concilii à ducentis*

ducentis & ſeptuaginta Epiſcopis veſtris facti, feciſſe cum Traditoribus unitatem, atque Deuterio poſt hoc factum jugiter communicaſſe Donatum: nec ſolùm huic Deuterio, ſed etiam univerſis Maurorum Epiſcopis per XL. annos, quos dicit uſque ad perſecutionem per Macarium factam Traditoribus ſine Baptiſmo communicaſſe. Quorum verborum haec eſt ſententia: Donatum & aſſeclas cum Mauris Epiſcopis per annos XL. communicaſſe (nimirum ab ann. 308., quo Schiſma coeptum eſt, ad ann. 348., in quem Macarii Epocha incidit) tametſi Mauri Epiſcopi cum Traditoribus communicarent, eoſque ad unitatem reciperent abſque ulla repetitione Baptiſmi. Quamquam alii velint, annos illos XL. de Epiſcopatu Donati intelligendos eſſe, quaſi totidem annis cum Sede Carthaginenſi eam quoque opinionem tenuerit. Sat nobis ſit haec illuſtris Donatiſtarum confeſſio, quae procaces Donati ſucceſſores invictè refellebat. Nam quomodo Eccleſia Catholica Traditoribus commixta defeciſſe per Orbem affirmari poterat, ſi tandiu Donatiſtae ipſi cum Mauris ex ſuorum 270. Epiſcoporum placito citra ullum nefas communicarunt? Contraria haec & ſecum invicem pugnantia Schiſmaticorum dogmata agnoverunt ſanè Catholici: quin & agnovit Tychonius ipſe Donatiſta, ſectam ob id prudenter deteſtatus. Inſanum equidem videri debuit, Catholicis exprobrare communionem cum Traditoribus, & ſuſceptionem Haereticorum abſque novo Baptiſmate, dum idipſum ferè integra Donatiſtica factio Synodalibus decretis non tam permiſerat, quàm in Mauris Epiſcopis commendaverat. Ridiculae etiam & deſultoriae reddebantur preces antea Conſtantino porrectae, quem Judicem Traditionis imploraverant, ut ne Caeciliano Sedem Carthaginenſem permitteret, quippe qui per Felicem Traditorem in ipſa ordinatione turpiter fuiſſet commaculatus. Argumentum hoc & à Conciliis ſub Grato promotum, & plurimos ad unitatem Catholicam pertraxiſſe, probat tum inſtituta in Provinciis generalis unio, tum quod Parmenianus in ſua Antencyclica hoc telum Catholicis eripere conatus ſit.

IV. Icircò ille idem Parmenianus in hoc ſuo publico ſcripto

to tria perſuadere voluit. I. Eccleſiam in Orbem non eſſe diffuſam, ſed ad Provincias quaſdam redactam. II. Superiora Concilia in Donatiſtas celebrata omni autoritate deſtitui: ſiquidem Epiſcopi ante unionem Traditores ab innoxiis non diſcreverint. III. Quicumque ex aliis Sectis venirent, eſſe rebaptizandos. Hanc epiſtolam fuiſſe Tractatoriam, evincunt quae mox laudabimus verba Optati: fuiſſe quoque Antencyclicam adversùs judicium Arelatenſe, Romanum, & Carthaginenſe ſub Grato, ipſum argumentum demonſtrat, & quae inde conſecutae ſunt contentiones. Plurimas dediſſe Parmenianum, affirmat Optatus: ſed Auguſtinus eam potiſſimum oppugnat, quam adversùs Tychonium vulgavit Parmenianus.

V. Ad rem igitur. Novus Pſeudo-Primas Carthaginenſis, ut erat purus putuſque Donatiſta, animadvertens ubique circumferri Encyclicas Conciliorum Romani ſub Melchiade, Arelatenſis, & Carthaginenſis ſub Grato, in qua poſtrema fortaſſe contradictio Donati aperiebatur, conniventis primum, ut Mauri Epiſcopi Traditores quoſcumque citra novum baptiſma ad unitatem ſuſciperent, in ſua hac Tractatoria multis divinarum Scripturarum teſtimoniis adſtruere voluit, univerſalitatem nequaquam eſſe dotem Eccleſiae, ſed hanc intra Africam omninò conſiſtere (Loca illa in lib. 2. adv. Parmenianum diluit Auguſtinus) Tum verò graviora crimina impedire ne quis ſit in Eccleſia: irrita eſſe Sacramenta à perverſis miniſtris data. Hiſce dogmatis & Tractatoriis Parmeniani reſpondit, qui tunc vivebat, libb. VII. Optatus, quorum ipſemet argumenta proponit. Obſervat autem lib. 1. pag. 6. inconditè in Antencyclicis rem pertractari, ſeque aït ad ſex illius capita totidem reſponſa contexuiſſe: *Sed mihi videtur primo loco Traditorum & Schiſmaticorum indicandas eſſe Civitates, perſonas, & nomina: ut quae à te de iis dicta ſunt, veros autores & certos reos ſuos agnoſcant. Deinde mihi dicendum eſt, quae & ubi ſit Eccleſia, quae eſt una: quia praeter unam altera non eſt. Tertio, à nobis militem non eſſe poſtulatum, & ad nos non pertinere, quod ab operariis unitatis dicitur eſſe commiſſum.* Hic docet Optatus, Parmenianum in ſua

Anten-

Antencyclica argumentum ſumſiſſe ex adhibita ſub Macario animadverſione in rebelles ac ſeditioſos Donatiſtas, quatenus decretis Concilii ſub Grato dicam imponeret, & perinde ac ſi perſecutio ab Epiſcopis Catholicae unitatis procurata fuiſſe, decreta illorum Synodalia ſimplicioribus exoſa redderet. Proſequitur deinde Optatus. *Quarto loco, qui ſit peccator, cujus ſacrificium repudiat Deus, vel cujus oleum fugiendum ſit. Quinto, de Baptiſmate. Sexto, de inconſideratis praeſumtionibus & erroribus veſtris.*

VI. Primianus quoque poſt Macariana tempora, quibus ſollennis unio à Catholicis Epiſcopis tum in particularibus Synodis, tum in Carthaginenſi ſub Grato inſtituta eſt, proſcriptis paſſim autoribus nefariae conſpirationis, tandem quum libertatem quaecumque vellet agendi ſub Juliano Imp. adeptus eſſet, collapſum ſchiſma inſtauraturus, vulgavit Antencyclicam. De verſipelli indulgentia Juliani erga Donatiſtas ſcribit S. Auguſtinus in Epiſt. 166., ubi reſcripta contra illos emanata ſub Impp. Conſtantino & Filiis Conſtante & Conſtantio commemorat. *Quibus*, inquit, *ſuccedens Julianus deſertor Chriſti & inimicus, ſupplicantibus veſtris Rogatiano & Pontio libertatem perditioni partis Donati permiſit. Denique tunc reddidit Baſilicas Haereticis, quando templa Daemoniis: eo modo putans Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi unitati Eccleſiae de qua lapſus fuerat, invideret, & ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. Haec erat ejus praedicanda juſtitia, quam ſupplicantes Rogatianus & Pontius laudaverunt, dicentes homini Apoſtatae, quod apud eum ſola juſtitia haberet locum.* Id quod etiam repetit lib. 1. contra Parmenian. cap. 12. ubi & adjungit. *Aliorum autem Imperatorum juſtitiam legeſque, quae vehementes adversùs eos latae ſunt, quis ignorat? In quibus una generalis* (Eſt.haec Theodoſii, de qua in ſeq. Diſſert. ubi de Epocha Aſſertorum Trinitatis) *adversùs omnes, qui Chriſtianos ſe dici volunt, & Eccleſiae Catholicae non communicant, ſed in ſuis ſeparatis conventiculis congregantur, id continet, ut vel ordinator Clerici, vel ipſe ordinatus denis libris auri multentur. Locus verò ipſe, quò impia ſeparatio congregatur, redigatur in Fiſcum.* VII.

VII. In oppugnanda Parmeniani Antencyclica egregiam navavit operam Optatus Milevi in Numidia Epiſcopus ſaepè nobis in hac tractatione dictus, ſaepè dicendus. Vir cum eruditione clarus, tum ſpectata morum integritate ſanctiſſimus. Is ad argumenta propoſita ſex libris reſpondit, & cur in diſputationem cum Primiano non venerit, continuò palam facit. *Quoniam*, inquit, *& acceſſum prohibent, & aditus intercludunt, & conſeſſum vitant, & colloquium denegant; vel tecum mihi, Frater Parmeniane, ſit iſto modo collatio. Et quia tractatus tuos, quos in manibus & ore multorum eſſe voluiſti, non adſpernatus ſum neque contemſi, audias & tu humilitatis noſtrae reſponſa.* Moderatè & appoſitè Parmenianum purum germanumque Donatiſtam alloquitur Optatus. Quippe conſortia Catholicae Afrorum partis indignanter ferebat, quam maculatam omnem eſſe docuerat Schiſmatis inſtaurator, & enormis illius placiti autor, veram ſanctamque Eccleſiam apud ſolos Donatiſtas reperiri. Quod adjunctis autenticis monumentis, quae in eo opere excidiſſe dolendum eſt, nervosè refellit Optatus.

VIII. Ex hoc praeconcepto apud Donatiſtas odio diſputationum & Collationum cum Catholicis verba ejuſdem Optati explanare pronum eſt, quibus hodieque abutuntur Heterodoxi, ut viſibilem controverſiarum Judicem explodant. Agens enim de Baptiſmo nequaquam iterando ad hunc modum ſcribit lib. 5. pag. 100. *Cujus de ſacramento non leve certamen innatum eſt & dubitatur, an poſt Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterum liceat facere. Vos dicitis, licet: Nos dicimus: non licet. Inter licet veſtrum, & non licet noſtrum nutant & remigant animae Populorum. Nemo vobis credat: nemo nobis: Omnes contentioſi homines ſumus. Quaerendi ſunt Judices: Si Chriſtiani de utraque parte dari non poſſunt, quia ſtudiis veritas impeditur. De foris quaerendus eſt Judex. Si Paganus non poteſt noſſe Chriſtiana ſecreta. Si Judaeus inimicus eſt Chriſtiani Baptiſmatis. Ergò in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium: de Coelo quaerendus eſt Judex. Sed ut quid pulſamus ad Coelum, cum habeamus hic in Evangelio teſtamentum?* Non abnuit Optatus, quin Eccleſiae inſit autoritas judi-

candi

candi, velut ipſemet agnoſcit factum optimè in cauſſa Caeciliani à Conciliis Romano & Arelatenſi. Sed in hac contentione ſeponit judicium viſibilis Eccleſiae, quia nimirum ſtudiis veritas impeditur. Nam quum Parmenianus omnem Catholicam Eccleſiam Traditoribus commixtam defeciſſe affirmaret, atque unà pariter judicium Orbis per conſenſionem Epiſcoporum & Eccleſiarum floccifaceret non ſolùm,ſed commercia etiam cum illis interdiceret, id unum reſtabat, ut è fontibus divinarum Scripturarum veritas peteretur & autoritas ad Antencyclicam refellendam.

IX. Alteram quoque Tractatoriam edidit Parmenianus contra Tychonium. Is Epiſcopus erat Sectae Donatiſticae, qui hinc videns Parmenianum docere in Antencyclica, Eccleſiam veram eſſe apud Donatiſtas, & extra Eccleſiam hanc Baptiſmum eſſe nullum; inde verò percurrens, opinor, librum Optati de proprietatibus Eccleſiae, quas ille ob oculos perſpicuè & verè poſuerat, ut penes quos Eccleſia vera exſtaret, facilè dijudicaretur: partes Donatiſticas deſeruit, & docere contra Parmenianum coepit, Catholicam Eccleſiam eſſe toto Orbe diffuſam, ſicut de illa tanto antea per corda & ora Sanctorum praeviſum ac praedictum eſt. Demonſtravit etiam nullius hominis nefarium crimen praeſcribere divinis promiſſis, nec id agere quamlibet noxam quorumcumque intra Eccleſiam conſtitutorum, ut fides & Eccleſia ipſa uſque ad terminos Orbis terrarum diffuſa evacuetur. De quibus ſcribit Auguſtinus lib. 1. adversùs Parmenianum. *Tychonius enim omnium Sanctarum Paginarum vocibus circumtuſus evigilavit, & vidit Eccleſiam Dei toto Orbe diffuſam ſicut de illa tanto ante per corda & ora Sanctorum praeviſum ac praedictum eſt. Quo praecepto ſuſcepit adversùs ipſos ſuos demonſtrare & aſſerere nullius hominis quamvis ſceleratum & immane peccatum praeſcribere promiſſis Dei; nec id agere quorumlibet intra Eccleſiam conſtitutorum quamlibet impietatem, ut fides Dei de Eccleſia futura & diffundenda uſque ad terminos Orbis terrae, quae in promiſſis Patrum retenta & nunc exhibita eſt, evacuaretur. Hos ergò Tychonius, quum vehementer copioſèque diſſereret, & ora*

com-

contradicentium multis & magnis ac manifeſtis Sanctarum Scripturarum teſtimoniis oppilaret. Hinc factum eſſe aït, *ut Parmenianus quidem primò eum per Epiſtolam velut corrigendum putavit, poſtea verò ex Concilio eorum perhibet damnatum*. Atque haec eſt Parmeniani Tractatoria, quae Auguſtini tempeſtate plurimi apud Donatiſtas fiebat, & quam ut oppugnaret rogatus idem Doctor, Libros tres adversùs Parmenianum exaravit.

X. Ex hac altera Parmeniani Tractatoria, ejuſque fragmentis apud Auguſtinum reſervatis, certò diſcimus, ab eodem in prima Antencyclica tum Arelatenſe Concilium, tum judicium Orbis, & conſenſum Encyclicae praeſtitum velut illegitimum fuiſſe rejectum. Nam cum in ea conſtituerit, omnem Eccleſiam defeciſſe, & Catholicam à parte Donati ſtare: tum verò definiviſſet, omni quacumque labe infectum, eique omnes communicantes extra Eccleſiam conſtitui, illud planè ſequebatur, ut reliquae Eccleſiae, quae Traditoribus & peccatoribus erant permixtae veram Eccleſiam non facerent, nullumque iccircò & irritum judicium haberent. Nemini equidem perpendenti reſponſa Optati non obviam eſſe poteſt haec Parmeniani ſententia. Sed idipſum ex Tractatoriae fragmentis & Parmeniani objectis, quae apud Auguſtinum occurrunt, paullò latius diducamus.

XI. Eccleſiam Gallicanam, cujus judicium primi Schiſmatis autores in cauſſa Traditorum poſtulaverant, ipſam pariter cum reliquo terrarum Orbe defeciſſe, aſſeverare non dubitavit Parmenianus, apud Auguſtinum lib. 1. contra eundem cap. 2. *Gallos, & Hiſpanos, & Italos & eorum ſocios (quos utique totum Orbem vult intelligi) Traditoribus Africanis commercio ſcelerum, & ſocietate criminum dicit eſſe conſimiles*. Quia nimirum ex his aliqui Traditores aut peccatores eſſe poterant, quibus iccircò communicantes in Arelatenſi Concilio Africani Catholicarum partium Epiſcopi eandem labem contraxiſſe videbantur. Certè ubi appellat Epiſcopos Hiſpanos, Italos & Gallos, apertè innuit Arelatenſem Coetum, cum ex trium Nationum illarum Praeſulibus Concilium coäluerit. Socii autem illorum, obſervante ipſo

ipſo Auguſtino, ceteri Orbis univerſi Epiſcopi intelliguntur. Nam quum DC. numerarentur Epiſcopi, qui fecerant judicium Orbis, & quorum nonnulli traditionis ſuſpicione non vacabant, ſimul omnes jure ferendae ſententiae excidiſſe contendit. Qua de cauſſa ibid. apud Auguſtin. ſubjungit. *Legatione functi quidam fideliſſimi Teſtes ad eaſdem Provincias venerunt: deinde geminato adventu Sanctiſſimorum Dei Sacerdotum dilucidè, pleniùs ac veriùs eſſe publicatum*. Vocat Donatum Caſenſem & Socios fideliſſimos Teſtes & Sanctiſſimos Sacerdotes, eoſque aït geminato adventu cauſſam pertractaſſe, utique in Romana Synodo ſub Melchiade, & in Arelatenſi plenario Concilio. Ergò utriuſque Conventus decretis dicam ſcribit vel traditionis, vel improbae cum Traditoribus communionis. Quo ex crimine à juribus Eccleſiaſtici magiſterii autoritate Canonum excidiſſe pronuntiat.

XII. Refutatis ad hunc modum Conciliaribus placitis, progreditur ad judicium Orbis quod in Encyclica patefactum eſt, velut irritum ex legitimo autoritatis defectu dijudicandum. Quamobrem id in utraque Synodo cavendum fuiſſe aït, ut inquirerentur ac ſecernerentur à reliquis Traditores: inſuper ut in decretorum promulgatione, quatenus judicium Orbis legitimum haberetur, Primates, Epiſcopos, Eccleſias & fideles à traditione immunes declararent. Quae quum ſint praetermiſſa, inquit ille, & Traditorum numerus penè fuerit infinitus, qui verò ex Epiſcopis ſani & integri erant, ceteris communicaverint, nihil mirum ſi admirabilis illa Epiſcoporum & Eccleſiarum conſenſio flocciſiat. Hoc placito ſuo gloriabundus Parmenianus ſic ibidem concludebat. *Hinc probari conſceleratum fuiſſe Orbem terrarum criminibus traditionis & aliorum ſacrilegiorum: quia cum multa talia fuerint tempore perſecutionis admiſſa, nulla propterea facta eſt in ipſis Provinciis ſeparatio Populorum*. Hinc ad rem noſtram colligas, judicium Orbis Catholici probantis Encyclicam Arelatenſem reipſa peremtorium & dogmaticum ex ipſorummet Donatiſtarum perſuaſione fuiſſe, ſi inſtituta ſeparatio illa contigiſſet. Ut propterea diſcrimen in ſuperiori-

rioribus memoratum multò certius habeamus inter Concilii decretum, & judicium Orbis. Quod utrumque à Parmeniano in decretis Arelatenſibus improbatum fuiſſe, ex iis diſcimus quae alibi ſcribit. *Damnatos in Africa Traditores in conſortium damnationis acceptos à Provinciis tranſmarinis*. Non eſt equidem inſtituti noſtri, ejuſcemodi aſſertionum falſitatem evincere, quam vel hactenus leviter indicata commonſtrant. Sat fuerit obſervaſſe, quemadmodum ſua hac Antencyclica evertere judicia illa ſtuduerit Parmenianus.

XIII. Et Romanae quidem Synodi decretis ſub Melchiade ac Sylveſtro Encyclicae Arelatenſis promulgatori calumniam ex eo conflarunt, quòd ii praeſertim fuiſſent Preſbyteri ſub Pont. Marcellino, qui thura Idolis cremavit, & cujus proinde Acta à Donatiſtis, atque à Petiliano potiſſimum interpolata habemus. De quo Auguſtinus lib. cont. Petilian. de unico Baptiſmo cap. 16. *Quid ergò jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanae Eccleſiae quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Sylveſter traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: Sed numquid ideò etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur?* Et aliquibus interjectis, ita proſequitur: *Huc accedit, quia Melchiade tunc Epiſcopo Romanae Eccleſiae praeſidente, ex praecepto Conſtantini Imperatoris, ad quem totam illam cauſſam accuſatores Epiſcopi Carthaginenſis Eccleſiae Caeciliani per Anulinum Proconſulem detulerunt, idem Caecilianus innocens pronunciatus eſt. De quo judicio cum majores iſtorum importuniſſima pervicacia memorato Imperatori quererentur, quod non planè nec rectè fuerit examinatum atque depromtum, nihil de Melchiadis traditione vel thurificatione dixerunt. Ad cujus audientiam nec venire utique debuerunt, hoc potiùs aut ſuggerentes Imperatori, aut ut ſuggereretur inſtantes, quod apud Traditorem Codicum divinorum, & Idolorum ſacrificiis inquinatum, cauſſam ſuam agere non deberent. Cum hoc ergò nec ante ſuggeſſerint, nec poſteaquam contra eos pro Caeciliano judicatum eſt, ſaltem victi & irati objiciendum putarint; quid nunc inanes tam ſerò connectunt calumnias*

nias, quaſi & innocentia Caeciliani Melchiadis judicio decoloratione fuſcetur? &c. Hoc argumento firmitatem judicii Arelatenſis adſtruit Auguſtinus, refellitque ſimul calumniam traditionis à Parmeniano Epiſcopis illis affictam. Namque ut obſervat lib. 1. cont. Parm. dum Concilium habebatur, ipſique ad Conſtantinum appellarunt, nihil planè hoc de crimine auditum eſt, oppoſituris hauddubiè Donatiſtis, ſi veritate niteretur.

XIV. Notam etiam affectati partium ſtudii judiciis iis inurebant. Quapropter in alio fragmento Parmeniani legimus. *Per Oſium Hiſpanum adjutorium paeſtitum Caeciliano, ut ad eorum communionem ſanctorum & illibatorum numerus cogeretur, & huic impietati fidem ſervorum Dei integrâm reſtitiſſe.* Et alibi. *Cum duae partes eſſent in Africa, una Traditorum, & altera innocentium, Traditores ſibi, quam innocentes, adjungere maluerunt.* Quibus verbis Parmenianus & Orbis & Arelatenſe judicium expreſsè carpit, quaſi Judices, praeeunte Oſio, abs recti & aequi ſemita nefarie deflexiſſent. Quin etiam ipſius Conſtantini Legem, quam ſive ad illorum contumaciam reprimendam, ſive ad Eccleſiaſticorum judiciorum autoritatem defendendam vulgavit, acerbè exagitat nequiſſimus idem Parmenianus in Tractatoria adversùs Tychonium, inquiens: *quod eos* (duces ſcilicet & primipilos ſchiſmatis) *Conſtantius ad campum, ideſt ad ſupplicium duci juſſit .... & hoc eum tanquam immaniter juſſiſſe, Hiſpano Oſio ſuggerente.* Liquet igitur Parmenianum conatum eſſe ſcriptis Antencyclicis labefactare judicia non tam Conciliorum Romani & Arelatenſis, quàm Orbis totius, quae eadem tempeſtate Concilium Carthaginenſe ſub Grato revocatis ad unitatem Eccleſiis proponebat. Cetera fragmenta Tractatoriae illius vide ſis apud Auguſtinum lib. 2. cit. ubi funditus hanc cauſſam elucidat. Certè ab anno 368. & deinceps ab utraque parte frequentes prodierunt lucubrationes de notis Catholicae Eccleſiae, de Rebaptizatione, de Miniſtris Sacramentorum, eorumque virtute. Quibus contentionibus ipſas Tractatorias & Antencyclicas Literas Parmeniani occaſionem tribuiſſe, res ipſa edocet.

Mm 2

Digitized by Google

cet. Quae verò ad diſſidia inteſtina Primianiſtarum, & Maximianiſtarum, ad ſaevitiem Circumcellionum, uno verbo, quae ad integram Donatiſticam tragoediam pertinent, ab inſtituto tamen noſtro aliena, percurrat qui velit apud Viros doctiſſimos, qui teterrimi Schiſmatis hujus hiſtoriam contexuerunt.

CAPUT ULTIMUM.

DE ENCYCLICIS, ATQUE ANTENCYCLICIS IN CAUSSA ARIOMANITARUM EMANATIS.

SUblatis Perſecutoribus atque aemulis, necnon feliciter imperante Magno Conſtantino, Religio Chriſtiana non tam ubique terrarum propagari, quàm ſumma pace frui & mirum in modum florere poſſe videbatur. Sed fato quodam rerum humanarum, quae diu aut firmae aut felices conſiſtere neſciunt, tunc in deterius hominum pietas deflexit, quum ab adverſariorum incurſionibus & inſectationibus expedita augeſcere debuit. Nam dum Africana Eccleſia Chriſtianorum ſive numero, ſive amplitudine prae ceteris ſpectatiſſima diro ſchiſmate atque haereſi Donatiſtarum quaſſata, ſenſim ab avito Religionis ſplendore deſiſceret: Arius factioſiſſimus Preſbyter uſque adeò Aegypti & totius ſubinde Orbis Eccleſias immani ſuo dogmate ſuaque Secta turbavit, ut nec antea, nec poſt haec tempora tam certum Chriſtianae Religionis exitium timeri contigerit. Interim cum Encyclicae ab Alexandro Archiepiſcopo Alexandrino evulgatae, tum quae ab Arii fautoribus in hac omnium graviſſima controverſia conſcriptae ſunt Antencyclicae amplam nobis materiem ſuggerunt & diſciplinae hujus epiſtolaris illuſtrandae, & Actorum omnium diſcutiendorum, quae magnum Concilium Nicaenum praeceſſerunt. Quae enim poſt Concilium ſunt conſecuta, pro eo ac res ipſa pôſtulat, accuratiùs in Diſſert. III. expediemus.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

De Schiſmate, atque Haereſi Arii.

SYNOPSIS.

I. *Daemonis Artes adversùs Chriſtianam pietatem quae fuerint.* II. *Arius primùm ſchiſmatis, deinde haereſis patronus & autor.* III. *Qua occaſione & quo tempore in manifeſtam haereſim proruperit.* IV. *Quae fuerint errorum capita.* V. *Ex ipſius Arii teſtimoniis proponuntur* VI. *Verbi Divini creatam & voluntariam exiſtentiam docuit.* VII. *Ejus mores & placita ex Ararafio proponuntur.* VIII. *Quomodo poſtquam condemnatus ab Alexandro Patriarcha fuit, ſuam haereſim toto penè Oriente diſſeminavit.*

I. I*Nvidus ac peſſimus Daemon* (Verba ſunt Theodoriti Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 2. Arianae hujus tragoediae exordia deſcribentis) *pernicies generis humani, quum Eccleſiam tam felici curſu ferri cerneret, pati id non potuit: ſed fraudulenta conſilia excogitavit Eccleſiam quae ab omnium Conditore & Dominatore regitur, ſubmergere omni ſtudio conniſus. Videbat enim patefactum jam eſſe Gentilium errorem, & varias Daemonum fraudes deprehenſas. Et res quidem creatas à pleriſque jam non ampliùs adorari: earum autem loco Conditorem ipſum hymnis celebrari. Quocirca jam non apertè adversùs Deum Servatoremque noſtrum bellum excitavit, ſed homines nactus Chriſtianorum quidem vocabulo exornatos, verùm ambitioni & inani gloriae mancipatos, eos militiae ſuae miniſtros deſignavit: eorumque opera multos ad priorem ſuperſtitionis errorem revocavit. Non id quidem molitus ut creaturam denuò colerent, ſed efficiens ut Opifex & Conditor univerſi cum creaturis ordine conſeretur.* Atque id egit nequiſſimus terrae filius Arius Preſbyter Alexandrinus, qui primum in vocabulis ſive defendendis ſive rejiciendis ineptè occupatus, tandem aeſtu diſputationis & ſimultatum abreptus, proſiliit in haereſim.

Digitized by Google

II. Igitur antea Schiſmaticus, quam Haereticus, Arius fuit. Nam primùm ſchiſma fovit Meletii, dein verò haereſim docuit. Quod quidem an ex eo contigerit, quòd vir fervidioris ingenii contra Sabellianos imprudentiùs incaluiſſet, an potiùs quòd Alogorum impietatem, quam publicè deinde & palam evomuit, occultè ſectaretur, planè non conſtat. Ingenium ejus deſcribit Sozomenus lib. 1. cap. 15. *Cum rectae doctrinae ſtudioſus initio viſus eſſet, Melitium res novas in Eccleſia molientem adjuvit. Poſtea verò relictis ejus partibus, à Petro Alexandrinorum Epiſcopo Diaconus eſt ordinatus. Rurſus tamen Eccleſia pulſus eſt ab eodem, propterea quod cum Petrus fautores Melitii excommunicaſſet, nec eorum baptiſmum admitteret, ipſe Petri Acta reprehendebat, neque ullo modo quieſcere ſuſtinebat. Poſteà verò quum Petrus martyrium pertuliſſet, Arius ab Achilla veniam precatus, ad Diaconi officium rediit, & ad Presbyteri dignitatem promotus eſt. Deinceps quoque Alexander illum in honore habuit.* Ferebat tamen Arius perquam indignanter, Alexandrum ipſum Achillae fuiſſe in Epiſcopatu ſuffectum, in quem proinde continuò machinabatur, referente Theodorito lib. 4. Haeretic. Fabul. *Cum eſſet relatus in numerum Presbyterorum Alexandrinae Eccleſiae, & magnum Alexandrum in Pontificali Cathedra ſedentem videret, invidiae ſtimulis percitus eſt: cumque adversùs eum pugnae committendae materiam quaereret, occaſionem invenit dogmatum impietatem.* Alexandro Praeſuli moribus probatiſſimis fulgenti calumniam nullam intentare Arius potuit: quare doctrinam ejus ſuſcepit criminationibus exagitandam. Mores & indolem Arii, quibus affectata quadam ſeveritate popularibus ſuis imponebat, deſcribit Epiphanius haereſi 69. *Fuit procera ſtatura, triſtiori ſpecie, totaque corporis configuratione, ſubdoli ſerpentis inſtar, ad fraudem & fallaciam compoſita: itaut callido illo externoque habitu facilè ſimplicioribus animis obreperet. Nam Hemiphorium, & colobium indutus, in colloquiis & ſalutationibus blandus erat imprimis, atque omnium animos adulationum illecebris devinctos tenebat.*

III. Quo demum tempore è latebris cordis in apertam aliorum perniciem eruperit haereſis haec, indicat Oroſius lib.

7.

7. cap. 8. *Conſtantini filii Criſpus & Conſtantinus, & Licinus adoleſcens, Licinii Auguſti filius, Conſtantini autem ex ſorore nepos, Caeſares ſunt creati. His diebus Arius Alexandriae Urbis Presbyter à veritate fidei devians, exitiale pluribus dogma conſtituit.* Occaſionem Ario inſurgenti tribuit diſputatio Alexandri de Trinitate, quam eſſe Conſubſtantialem tuebatur. A quo Epocha ipſa aſſertorum Trinitatis, quam Patrum Chalcedonenſium Adlocutio commendat, & nos in ejuſdem Commentariis illuſtrabimus. Haereſiarcha enim in dialecticis verſatiſſimus, Sanctum Antiſtitem divinae Naturae unitatem exponentem Sabellianiſmi notavit. Ex quo & contentio ipſa & Cleri populique diviſio eſt conſecuta. Ita lib. 1. H. E. cap. 15. Theodoritus poſt laudata ſuperiùs verba, ſubjungit de Ario. *Hunc igitur nactus Daemon veritatis inimicus, ejus opera Eccleſiam miſcere & perturbare coepit. Perſuaſit enim illi, ut Apoſtolicae Alexandri doctrinae palam contradiceret. Et Alexander quidem Sacrarum Literarum veſtigiis inſiſtens, Filium ejuſdem eſſe dignitatis cum Patre, eandemque cum Deo qui ipſum genuit, habere ſubſtantiam aſſerebat. Arius verò apertè veritatem impugnans, Filium Dei creaturam & facturam vocabat. Addebat etiam fuiſſe tempus cum non eſſet, & alia nonnulla quae ex ejus ſcriptis clariùs cognoſcemus.*

IV. S. Athanaſius tunc Alexandri Epiſcopi miniſter, teſtis omnium probatiſſimus eſſe debet placitorum Arii & dogmatum. Namque in Orat. 1. cont. Arian. quum dixiſſet: *Conſcii enim ſumus, quid tum ab Arianis dictum ſit, & quomodo ab Eccleſia & Clericorum ſorte rejecti:* continuò de Arii placitis haec ſubjungit. *Non ſemper Deus erat Pater, non ſemper Filius. Nam cum omnia ſint ex nihilo, etiam Dei Filius ex nihilo emerſit: & cum omnia ſint condita, ipſe conditum quiddam & opus habere debet: & cum omnia priùs non eſſent, ſed poſtea exſtiterunt, fuit profectò cum Verbum Dei non erat. Et quia non erat antequam fieret, principium exiſtendi non habuit: tum enim exſtitit, quum Deus eum conditum voluit.*

V. Hujuſce enormis impietatis ſuae teſtem ipſum habemus Arium in Epiſtola quam Nicomedienſi Euſebio dedit, quamque

Digitized by Google

integram legimus apud Epiphanium Haer. 69. Nam quum acerbè conqueſtus eſſet, ſe ſuoſque ſocios ab Alexandro Alexandrino Epiſcopo ſacris fuiſſe abſtentum, ita proſequitur. *Idque ob eam cauſſam, quòd illi publicè iſta pronuntianti nequaquam aſſentiamur: Semper Deus, ſemper Filius, ſimul Pater, ſimul Filius. Cum Deo ingenito perpetuò Filius exiſtit, ſemper genitus ab ingenito genitus; neque cogitatione, neque momento ullo Deus Filium antecedit, ſemper Deus, ſemper Filius, ex ipſo Deo Filius.* Haec nimirum ſunt quae Haereſiarcha veritus non eſt oppugnare, ſic ex adverſo & ſentiens & praedicans. *Nos è contrario quid tandem dicimus, ſentimus, docuimus, & docemus? Nimirum Filium nec ingenitum eſſe, nec ingeniti ullo modo partum. Sed neque ex ſubjecta aliqua materia factum Verbum, Dei voluntate ac conſilio ante tempora ſeculaque ſubſtitiſſe plenè Deum Unigenitum, immutabilem. Qui antequam gigneretur, ſive crearetur, ſive decerneretur, aut fundaretur, non fuit. Neque enim non factus eſt. Nos igitur ob id inſectamur, quod diximus, principium habet Filius; Deus autem principio caret. Haec vexandi noſtri cauſſa eſt; tum quod aſſerimus, eundem ex nihilo eſſe.*

VI. Porrò quum aſſeverat, Verbum Dei voluntate & conſilio factum, novam invehit explicandi hujuſce dogmatis rationem. Quippè id ille intelligebat, Deum Patrem propter liberam voluntatem Verbi & Filii, ejuſque electionem conſenſionemque effeciſſe, ut Deus electione haberetur & eſſet. Dictum illud Arii circa Deitatem liberè conceſſam Verbo, recitat & expendit Alexander in ſua Encyclica ad Cognominem ſuum CPaum Antiſtitem paullò poſt initium. *Eſt enim in noſtra quoque ſitum poteſtate (iſtae Eccleſiae peſtes aiunt) filios Dei fieri, non aliter atque ille factus eſt. Scriptum namque eſt: Filios genui & exaltavi. At quum illis objicitur ſententia quae deinceps ſequitur: Ipſi autem ſpreverunt me, quod planè naturae Salvatoris qui eſt natura immutabilis, repugnat: tum omni exuta ergà Deum pietate & reverentia aiunt, Deum cum praeſcientia & praeſenſione praenoviſſet, neutiquam ipſum aſpernaturum, iccircò ex omnibus elegiſſe. Non enim eum aut natura aut praerogativa quidquam praeter ceteros filios habuiſſe:*

buiſſe: (nullum namque natura Filium Dei eſſe affirmant, neque quemquam eſſe qui ulla cum eo proprietate conjunctus ſit) ſed quum eſſet natura mutabilis, & propter ſingularem in vita & moribus ritè inſtituendis diligentiam ac ſtudium non ad vitia deflecteret, Deum illum elegiſſe: adeò ut Paulum & Petrum, ſi in hoc & ipſi obnixè incubuiſſent, eodem modo futuros fuiſſe aſſerant Filios Dei, quo ille fuit. Atque hoc nefandum illud eſt Arianorum ſyſtema, quod Anaſtaſius in Orat. I. paribus ferè verbis proponit. *Nam inter omnia opera ejus*, ſcribit ille, *ipſe quoque connumerandus eſt, qui & natura mutabilis eſt, ſed libero arbitrio praeditus remanet: & quia pro voluntate ſua verti mutarique poteſt, ut reliqua omnia: ideò Deum, cum praenoſceret, illum bonum fore, maturavit, ut illi hanc gloriam daret, quam poſtea ex virtute meriturus fuiſſet: itaut ob ipſius operum merita, quae Deus praeſcivit, talis evaſerit.* Et in Orat. II. adversùs Arianos idem S. Doctor ſcripſit. *Dicunt igitur ſcriptum eſſe apud Apoſtolum: ideò & Deus eum ſuperexaltavit, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen ...... Ac per Davidem quoque idem efferri. Propter hoc unxit te Deus..... Ac deinde inferunt (quaſi ſcitum aliquid dicerent) ſi ideò exaltatus eſt; ergò & gratiam accepit: & ſi ideò unctus eſt, mercedem nimirum ſuae voluntatis ſuique inſtituti adeptus eſt. Quod ſi verò voluntate fecit quod fecit, utique mutabilis eſt naturae. Talia nec dicere, nec ſcriptis prodere puduit Euſebium & Arium, eorumque aſſeclae nihil veriti ſunt ea loqui vel in medio foro, ſecuri negligenteſque interim tantae ſuae in ſuiſmet dictionibus inſaniae.*

VII. Libellus Synodicus Pappi reſervavit fragmentum libelli, quem Patricius Araraſius edidit, & Oceanum inſcripſit. Ea verò quae à nobis hactenus prolata ſunt, compendio ibi ad hunc modum exhibentur. *Meletium itaque Epiſcopum Thebaidos, qui in perſecutione ſacrificaverat, & infinitorum aliorum criminum reus fuerat deprehenſus, Sanctiſſimus Alexandriae Epiſcopus Petrus, ante acceptam martyrii coronam depoſuerat, Chriſtique Eccleſia ejecerat: itemque Arium Diaconum, tanquam qui diverſam ſubſtantiam de Deo Verbo, atque etiam iſta: Ex non entibus: & erat aliquando*

quando quum non eſſe Filius Dei, aſſereret, Diaconi munere fungi omninò prohibuerat. Petro autem in Domino defuncto Achillas ſucceſſit: qui Arium ipſa haereſi & dominandi cupiditate victum, & Meletii auſis nefariè cooperantem, deceptus Presbyterum conſtituit, & ſcholae Alexandrinae praefecit. Achilla verò non ita multò poſt ſanctè defuncto, ille Apoſtolicorum dogmatum propugnator Alexander ſucceſſit. Arius igitur quòd Alexandro praelatus non eſſet, magis jam dominandi cupiditate inſoleſcere, & abſtractis ab Eccleſia Euſojo Diacono, Aeithale & aliis quibuſdam, contra Eccleſiam & Alexandrum conventicula coepit cogere, Heterouſii doctrinam confirmare conatus. Beatiſſimus autem Alexander cum multis ante admonitionibus uſus eſſet, ad illud tandem Apoſtolicum praeceptum ſive conſtitutionem devenit, quae jubet, Haereticum hominem poſt unam & alteram admonitionem vitari: cum quidem videret, ſcripturarum Teſtimoniis omninò deſtitui.

VIII. Itaque Alexander poſt adhibitas & privatim & publicè reprehenſiones, Haereſiarcham in dies propoſiti tenaciorem & pertinaciorem effectum, imò & coetus Alexandriae habentem, ferentemque ſchiſmata, unà cum ſociis excommunicationi ſubjecit, ſolumque vertere coëgit. Verumtamen ex modica hac ſcintilla magnum ſubito incendium excitatum eſt. *Brevi ſeptingentas ferè Deo conſecratas virgines ab Eccleſia abſtractas in unum coëgit. Addunt & Presbyteros ab eo ſeptem, ac XII. Diaconos abductos. Quin etiam peſtiferum virus ad Epiſcopos uſque pervaſit.* Quod refert Epiphanius ibid. num. 3. Dein ſecedens in Palaeſtinam, haereſim mirè propagavit, atque hinc epiſtolam ſuperiùs memoratam ad Euſebium tranſmiſit cum hac Epigraphe. *Domino dilectiſſimo, Viro Dei, Fideli Orthodoxo Euſebio Arius, quem Alexander Papa injuſtè ob victricem omnium veritatem inſequitur, cujus & tu propugnator es, ſalutem.* Atque haec ſunt Arii initia, hi errores. De tumultibus autem ubique excitatis loquitur Alexander in Epiſt. ad Alexandrum CPnum, ubi inter alia ſcribit. *Et nunc quidem ad Judicum tribunalia nos trahunt per interpellationem mulierum, diſciplinam non ſervantium, quas ipſi in errorem induxerunt. Nunc Chriſtianae Religioni infa-*

miam

Digitized by Google

miam aſpergunt, dum juvenculae ipſorum per omnes vicos & compita turpiter circumcurſant. Cum reliquis, quae ibidem narrantur facinora, ſchiſmata, ſeditiones, & ſacratioris tum fidei, tum diſciplinae dehoneſtamenta & jacturae.

§. II.

De Encyclica Alexandri Alexandrini ad Orbis Eccleſias tranſmiſſa.

SYNOPSIS.

I. *Oeconomia Eccleſiaſtica uſus Alexander non minùs Eccleſiae obfuit, quam Conſtantini erga Donatiſtas indulgentia obfuerit.* II. *Synodus Alexandrina prior celebratur.* III. *Quo anno Synodus illa celebrata ſit.* IV. *Encyclicam in Orbem vulgavit adversùs Arii errores.* V. *Fuit Concilium illud verè Plenarium.* VI. *Quibus de Cauſſis plures, quàm reipſa convenerunt, non convenerint in eam Synodum Epiſcopi.* VII. *Obſtitit potiſſimum perſecutio quam Licinius commovit.* VIII. *Quid Patriarchae Alexandro Synodus in hanc rem commiſerit.* IX. *De Encyclica Alexandri quid ſentiendum ex Theodorito.* X. *Capita ejuſdem Encyclicae expenduntur.* XI. *Ejuſdem Charaĉteres.* XII. *Quae fuerit in eadem condenda Athanaſii Archidiaconi ſolertia.* XIII. *Miſſa eſt ad Romanum Pontificem.* XIV. *Laudatur à Julio Pontifice velut Magiſterium Eccleſiaſticum.* XV. *Habita in univerſo Orbe velut Regula fidei.*

I. QUemadmodum Eccleſiaſticae Oeconomiae temperamentum quod anno 321. cum Donatiſtis fuit adhibitum: ita quod Alexander tantiſper cum Ario adhiberi poſſe cenſuit, ipſo tandem effectu deprehenſum eſt intempeſtivum, turbatis non ſecùs ac Africae, ſic Orientis, ac ſubinde totius Orbis Eccleſiis. Nam quum Donatiſtae libellum ſupplicem Conſtantino Principi obtuliſſent, ut Silvanus ille qui in Concilio Cirtenſi à Traditoribus inunctus Epiſcopus fuerat, ſimul cum ceteris factio-

factionis ducibus ab exſilio revocaretur, Imperator ſpe converſionis illorum lactatus, quaecumque petierant mira clementia & humanitate conceſſit, referente S. Auguſtino in Brevic. cap. 23., quemadmodum & in Actis legimus Collationis III. diei cap. 544. Quapropter Literas ad Verinum Vicarium dedit, mandans ut facultatem redeundi exulibus faceret. *Idem Imperator* (verba ſunt Collat. 1. cap. 33.) *ad Valerium* (lege Verinum) *Vicarium de illorum exſilio ſoluto, & eorum furore Deo vindici dimittendo literas dedit, Criſpo & Conſtantino iterum Coſs. tertio Nonas Majas, ideſt poſt quartum annum & menſem fermè ſextum*. Porrò illius reſcripti ſummam habes ex Auguſtino in Epiſt. 152. ſcribente. *Eos graviter deteſtatur, & propterea dicit, ſic exſilio relaxandos, & furori ſuo dimittendos, quia jam coeperat Deus in illos vendicare*. At verò quis demum ignorat quae mala poſt ejuſmodi Conſtantini indulgentiam à Circumcellionibus potiſſimum univerſae Africae ſint illata? Itaque non aliter Alexandro Epiſcopo contigit, qui quum ſecum ſtatuiſſet Arii & ſociorum contumaciam benignitate atque indulgentia emolliri poſſe, vires fermè addidit, aut ita ſaltem lolium illud excreſcere permiſit, ut jam in frequentem Sectam ea factio coäluerit, non aliter quam Concilii celebratione & decretis comprimenda. Qua de ſua procraſtinatione & mora ipſe Alexander ediſſerit in Encyclica, quam mox perpendemus.

II. Aucto interim & Arii & Sectariorum furore, memoratus Praeſul Concilium Alexandriae indixit, in quo illi re maturiùs diſcuſſa, fuerunt abs Eccleſia proſcripti. Unde in Epiſt. ad Alexandrum CPnum inſcripta ſic loquitur. *Ac nos quidem cum ea quae vitae ipſorum ac nefariis conatibus competunt, ſerius propter ipſorum latebras deprehendiſſemus, communi omnium ſuffragio ex coetu Eccleſiae quae Chriſti Divinitatem adorat, eos ejecimus*. Et ſubinde Epiphanius haer. 69. num. 3. ſcripſit. *Quamobrem Alexander habito Presbyterorum & quorumdam Epiſcoporum qui aderant, conventu, de eo quaeſtionem habet ac diligenter examinat. Tum veritati cedere detrectantes ejicit ex Eccleſia ac tota Civitate proſcribit*.

III.

III. Quo demum anno Synodus haec celebrata ſit, plane apud Scriptores non convenit. Pagius quidem Chronico Hermani innixus eandem figi oportere aït anno Natalis Chriſti CCCXXI. Et reipſa ad hunc annum ſcripſit Hermannus. *Arius Presbyter ab Eccleſia a ſuo Epiſcopo Alexandro ejectus, multos ſuae impietati ſociat.* Sed non advertit Pagius terminum ſeu Epocham annorum Chriſti ab Hermanno ſuppoſitam. Namque ille Chronici ſui initium ita duxerat *Anno XLII. Octaviani Auguſti Caeſaris . . . . ab Urbe verò condita* 752. *Dominus noſter J.C. in Bethleem Judae naſcitur*. Qui Hermanni calculus hauddubie integro biennio antecedit vulgarem Chriſtianam Epocham Dionyſii: proindeque annus CCCXXI. Hermanni eſt annus Dionyſianae ſeu vulgaris Aerae CCCXIX, in quem Concilium hoc Alexandrinum incidiſſe arbitramur. Opinioni huic conſentiunt celeberrimorum Chronologorum ſupputationes. De eodem pariter Concilio ſcripſit Socrates lib. 1. cap. 6. *Quae quum audiret & cerneret Alexander gravi exarſit ira, collectoque multorum Epiſcoporum Concilio, Arium & reliquos qui ſententiam ejus amplectebantur, gradu movit.* Arius autem in Palaeſtinam ſeceſſit, atque Antencyclicam evulgare auſus eſt de qua §. IV. diſputabimus.

IV. Interea quum ex hujuſmodi Concilio Alexandrino atque Encyclica in eo exarata luculenter appareat, quod in ſuperioribus annotatum eſt, magiſterium ſcilicet plenarii Concilii, cui Orbis Epiſcopi ſuffragio ſuo accedant, ſummi eſſe ad Religionem conſtituendam momenti, lubet idipſum illuſtris exempli acceſſione hoc loco confirmare, quum & Epiſcopi in plenario Concilio adunati ſententiam tulerint, & hanc Encyclicis literis comprehenſam in Orbem tranſmiſerint, quae unanimi fere omnium judicio probata eſt. Quam in rem deſcribere juvat verba libelli Synodici. *Synodus Divina & Sancta, ſed particularis (ſi ita dicendus eſt eorum qui nuper & facilè reperiebantur Epiſcoporum conventus) quae Alexandriae a Beato Alexandro collecta abdicavit & Anathemati ſubjecit, tanquam in infidelitate perſeverantes, & putredinem ſive ulcus Eccleſiae afferentes, Arium, Euzoium, Achillam, Aeithalem, Lucium, Menam, Arium alium, & Helladium: ipſorumque*

que depoſitionem ubique emiſit: cui ſubſcripſerunt Epiſcopi Lybiae & Pentapolis, Syriae & Lyciae, Cappadociae & Aſiae, atque etiam Alexander Conſtantinopolis. Quae vero acciderant, ea Arius ad Euſebium Nicomediae, & alterum Palaeſtinae, huic & conſentientem & cognominem perſcribit: qui cum in impietate idem ſentirent, contra Alexandrum & Chriſti Eccleſiam multa vi & verſutia aciem inſtruunt: Unde Chriſti amans Imperator Conſtantinus Synodum congregari praecepit. Nicaenam videlicet, de qua Libelli autor ſubinde diſſerit. Nihil equidem paucis hiſce verbis afferri luculentius poteſt ad Encyclicarum diſciplinam earumque poſt judicium Orbis autoritatem commendandam. Porrò in Alexandrino hoc Concilio dogma Conſubſtantialitatis Divini Verbi cum Patre firmatum eſt, & propter inſtantem Licinii perſecutionem, quae potiſſimum in Epiſcopos ſaevitura erat per Aegyptum, opportune conſultum eſt, ut Encyclicae in Orbem Catholicum emitterentur, cujus judicio nova illa factio erat penitus conterenda.

V. Dubitandum iccirco non eſt, quin Concilium Alexandrinum & Nationale, & Patriarchale, & Plenarium potuerit jure optimo appellari. Ampliſſimarum enim Aegypti Provinciarum atque imprimis Pentapoleos ac Lybiae Epiſcopi ſimul omnes convenerunt: quod non ſemel occurrit apud S. Athanaſium. Imò Praeſules numero 100. ex provinciis illis conveniſſe, cum ex ſubſcriptionibus certum erat, tum ipſe Alexander atteſtatur in Encyclica, quae apud Socratem Hiſt. lib. 1. cap. 6. legitur. *Haec igitur dicentem Arium, & ſumma cum impudentia affirmantem, nos quidem unà cum Aegypti ac Lybiae Epiſcopis prope centum numero in unum congregatis, tum ipſum tum eos qui illi adhaeſerant, anathemate perculimus. Euſebius vero eos ſuſcepit, impietatem pietati, & veritati ſtudens miſcere mendacium*. Nihil igitur cauſſae eſt, cur hoc Alexandrinum Concilium & Patriarchale & Plenarium dicatur, perinde atque Arelatenſe, quod ex Epiſcopis Patriarchatus Romani Italis, Afris, Gallis, & Hiſpanis coaluit. Praeſertim cum major Epiſcoporum numerus nequaquam adunari potuerit ob temporum illorum periniquam conditionem, ſive ad imperium, ſive ad Eccleſiam mentem intendamus.

VI.

VI. Quod ſi cui mirum videatur frequentiorem Synodum celebratam non fuiſſe, prout & Meletianum Schiſma, & Ariana haereſis flagitare videbantur, is ſecum reputet memorata verba autoris libelli Synodici intra parentheſim haec annotantis: *Si ita dicendus eſt eorum qui nuper & facilè reperiebantur Epiſcoporum conventus*. Namque horum verborum ſenſus, niſi fallor, eſt hujuſmodi: Epiſcopos ſcilicet, qui ad hunc Patriarchalem conventum acceſſere, illos fuiſſe qui nuper poſt Meletianum Schiſma, & deinde poſt Licinianam incoeptam in univerſa fere Aegypto perſecutionem facilè reperiebantur non incommode ad Synodum properaturi. De ſchiſmate quidem Meletii agit Socrates lib. 1. cap. 6., quo autore diſcimus, jam tum Meletianos Epiſcopos plurimos Arianis adhaeſiſſe, ejus rei gratia ferme univerſam Aegyptum tumultu ac ſeditione commoventes. De incoepta verò in Chriſtianos Licinii perſecutione appoſitè agit Anonymus Valeſianus unà cum Marcellino editus & Viri Cl. notis illuſtratus. Sic enim ad ann. 319. qui Coſſ. Conſtantino V. & Licinio Caeſare ſignatus eſt, ad rem noſtram habet. *In Orientis partibus, Licinio, Conſtantino* [Conſulibus] *repentina rabie ſuſcitatus Licinius omnes Chriſtianos a palatio juſſit expelli. Mox bellum inter ipſum Licinium & Conſtantinum efferbuit. Item cum Conſtantinus Theſſalonicae eſſet, Gothi per neglectos limites eruperunt: & vaſtata Thracia & Moeſia, praedas agere coeperunt* [quae poſtrema verba ex alio MS. Codice eruerat Sirmondus; & veram ac germanam rationem edocent, cur Conſtantinus animum extruendo Byzantio applicuerit ad Gothos reprimendos, qui antiqua Sede Mareotide palude relicta, Iſtri occupantes oſtia, Provincias illas aſſiduis depraedationibus vexabant] *Tum Conſtantini terrore & impetu repreſſi, captivos illi impetrata pace reddiderunt. Sed hoc Licinius contra fidem factum queſtus eſt, quod partes ſuae ab alio fuerint vindicatae. Deinde quum variaſſet inter ſupplicantia & ſuperba mandata iram Conſtantini merito excitavit. Per tempora quibus nondum gerebatur bellum civile, ſed item parabatur, Licinius ſcelere, avaritia, crudelitate, libidine ſaeviebat: occiſis ob divitias pluribus, uxoribus eorum corruptis*. Haec fuerunt Licinianae procellae initia, quae

tandem

Digitized by Google

tandem in apertum & atrox bellum ann. 323. & 324. maximo & Syriae & Aegypti detrimento eruperunt. Clanculum Licinio favebat Arius. Quod quum non ignoraret Licinii uxor & Conſtantini ſoror Conſtantia, verſipellem hominem hinc Licinio gratum & acceptum, inde non aſpernabilem Conſtantino effecit. Qua de re plura Socrates, Sozomenus, Philoſtorgius & alii. Memorato autem anno incoepit perſecutio, eaque ut Anonymus Valeſianus aït, a corradendis Chriſtianorum opibus exordium habuit: ex quo illuſtratur Canon. II. Nicaenorum Patrum. *De his qui ſine neceſſitate, vel ſine facultatum ſuarum ablatione, vel ſine ullo periculo, vel aliquo hujuſmodi tranſgreſſi ſunt, quod ſub Licinii tyrannide factum eſt.* Certe Licinius ſpecie Chriſtiani nominis delendi, illorum divitias fiſco imprimis addixit.

VII. Praetereundum non eſt quod ad hujus rei illuſtrationem annotavit Euſebius Hiſt. lib. 10. cap. 8. ſcribens de Licinio. *Et primum quidem Chriſtianos omnes domo ſua pellit.* Narrat poſt haec crudelia in eos edicta, & ſubinde proſequitur. *Denique eo furoris proceſſit, ut Epiſcopos etiam adoriretur. Quos cum ſuis conſiliis ac facinoribus adverſos eſſe, utpote ſummi Dei famulos exiſtimaret, nondum quidem aperte, metu ſcilicet Praeſtantioris, clam tamen & ſubdole eſt aggreſſus, ex illis probatiſſimum quemque ſtructis per Praeſides ſuos inſidiis interemit.* Docet hîc Euſebius, Licinium metu Praeſtantioris, id eſt Conſtantini, clam perſecutionem coepiſſe adversùs Epiſcopos, quos magnam apud Conſtantinum exiſtimationem obtinere noverat. Iccirco recte advertit Sozomenus H. l. 1. cap. 7. *Licinius verò qui antea Religionem Chriſtianam coluerat, poſt cladem illic acceptam animo mutatus, multos Sacerdotes qui in ſuis partibus degebant, graviter afflixit . . . . Etenim ob diſſidium quod ipſi erat cum Conſtantino, Chriſtianis ſupra modum erat infenſus, ex eorum calamitatibus maximum dolorem Conſtantino allaturum ſe eſſe ſperans, ſimul etiam exiſtimans, Eccleſias Chriſtianorum id unum optare ac ſtudere, ut illum ſolum Imperatorem haberent.* Recte proinde & ſcite dictum ab Autore Libelli Synodici, Alexandrinum Concilium ex his Epiſcopis coactum, qui tunc facilè convenire poſſent, quando Licinius tyrannidem in Aegypto exer-

cens

Digitized by Google

cens, coetus ſanè omnes Chriſtianorum odiſſe & interdicere debuit. Adde quod qui Synodo interfuerunt Epiſcopi & Metropolitani ſatis pro reipſa conſenſionem Suffraganeorum ſuorum repraeſentabant, ut Plenarium dici haberique Concilium poſſet. Non aliter atque in pleriſque Africanis Conciliis evenit: quippe etſi medietas dumtaxat Afrorum Praeſulum Carthaginem conveniret, quum nihilominus ceteri ſubinde voto ſuo ac ſubſcriptione decreta firmarent, cauſſa non erat, cur Concilia eadem & Nationalia, & Plenaria non dicerentur.

VIII. Edito interim Plenarii Concilii decreto pro Verbi Conſubſtantialitate atque Aeternitate confirmanda, Epiſcopi ad Sedes quiſque ſuas regreſſuri, id muneris Alexandro mandarunt, ut omnium nomine Orbi univerſo patefaceret tum novam Arianorum haereſim, tum editam pro vetere traditione & fide ſententiam. Quamobrem Alexander Encyclicas edidit plurimas, quarum aliquas pro inſtituto noſtro expendemus, illud primo loco demonſtraturi, has Epiſtolas reipſa ab Alexandro eſſe vulgatas. II. Ad omnes generatim univerſi Orbis Eccleſias unam imprimis fuiſſe tranſmiſſam, de qua hoc loco ſumus acturi. III. Ad praecipuas Sedes alteram eamque Tractatoriam & Encyclicam fuiſſe directam. IV. Euſebii Nicomedienſis Antencyclicam ad examen revocabimus. V. Confectos ſubinde ejuſcemodi Literarum Tomos pro ſtudio utriuſque partis fuiſſe. VI. Tandem rationem inveſtigabimus, propter quam ex ejuſcemodi Literarum conflictatione neceſſitas Oecumenici Concilii celebrandi emerſerit.

XI. Ac de Encyclicis quidem ab Alexandro exaratis appoſitè loquitur Theodoritus Hiſt. Eccl. lib. 1. c. 3., ubi enarratis tum Alexandrini Concilii decretis, tum Arii ſociorumque contumacia, ſubjungit. *Tunc igitur Alexander Alexandrinae Antiſtes Eccleſiae cum Arium dominandi cupiditate abreptum, eos quos ad impietatem ſuam traduxerat congregare, & privatos conventus agere cerneret, Eccleſiarum Praeſidibus blaſphemiam illius per Literas indicavit*. Similiter Epiphanius ibid. num. 4. ubi narrat pertinaciſſima Arii tentamenta & ad rem noſtram ſcribit. *Quae mox ut ad aures Alexandrini Epiſcopi perlata ſunt, Encyclicas ad ſingulos Epiſco-*

Nn poo

pos Literas dedit, quae hodieque ſtudioſorum in manibus verſantur, numero LXX. Scripſit inter alios ad Euſebium Caeſareae Epiſcopum, qui adhuc ſupererat, & ad Macarium Hieroſolymorum, Aſclepium Gazae, Monginum Aſcalonis, Macrinum Jamniae Epiſcopum & alios. Item in Phoeniciam ad Zenonem quendam antiquum Tyri Epiſcopum & alios. Scripſit & in Coelen Syriae. Iis gemina ſunt quae ſcribunt Socrates, Sozomenus ceterique priſci Hiſtorici. Quocirca de promulgatione Encyclicarum locus dubitandi non remanet.

X. Jam verò Encyclicae ipſae Alexandri expendendae ſunt ex quibus velut ab exemplaribus tota haec Epiſtolaris diſciplina mirificè illuſtrari poteſt. Non ignarus itaque Alexander, Arium poſt publicas admonitiones ac latam Synodalem ſententiam, fultum nihilominus patrocinio Imperatricis Conſtantiae, & utriuſque Euſebii, Nicomedienſis vid. & Caeſarcenſis, animatum etiam a ſuorum gregalium coetibus, quos in Palaeſtina profugus habebat, nequaquam à propoſito deſtiturum, atque haereſim quam vulgatis etiam libris tuebatur, non facilè ejuraturum: univerſis per Orbem Epiſcopis & Eccleſiis Encyclicam tranſmiſit, quatenus illorum judicium Plenarii Concilii ſui decretis accederet. Denunciativa illa eſt errorum Arii, & ſimul Tractatoria: idque agit fere unum, ut haereticales propoſitiones, in aliis pridem haereticis condemnatas, Evangelicis nonnullis locutionibus palam adverſari & repugnare demonſtret. Primordia haereſis hujus quum narraſſet Socrates, ſimulque praeſtitam ab Euſebio Nicomedienſi ſuborienti impietati defenſionem, haec addit lib. 1. Hiſt. cap. 6. *Quae quum audiret & cerneret Alexander, gravi exarſit ira: & collecto multorum Epiſcoporum Concilio, Arium & reliquos qui ſententiam ejus amplectebantur, gradu movit, & Epiſcopis per ſingulas Urbes conſtitutis ſcripſit in hunc modum.* Ex his diſcimus, Alexandrum imprimis caviſſe, ut Arius univerſa Aegypto excederet. Inſuper tria Concilia fuiſſe ſub ipſum tragoediae hujus exordium celebrata. I. Quod cum vicinarum Eccleſiarum Preſbyteris habitum eſt, & in quo Arius & ejuſdem opinionis conſortes, poſt iteratas monitiones ob pertinaciam ab Eccleſia depulſi ſunt. II. Idemque Plenarium, in quo, quum Arius in

Palae-

Palaeſtinam digreſſus ciëre turbas populoſque ſeducere non deſiſteret, ea provincia Alexandro data eſt, ut Encyclicas in Orbem emitteret. III. Quod in annum CCCXXIV. incidit, & cui Oſius Cordubenſis interfuit. Porrò generalem hanc Encyclicam, praeter Socratem, recenſuerunt pariter ediderunteque Gelaſius lib. 2. c. 3. cum ſuis ſubſcriptionibus, Epiphanius Scholaſticus Hiſt. Tripart. lib. 1. cap. 13., & noviſſimè Monachi Benedictini inter Opera S. Athanaſii Tom. 1. pag. 396., ubi & obſervant in MSS.Codd. deſiderari pariter ſubſcriptiones Epiſtolae factas, quarum ipſe meminit Alexander. Vitium hoc fuit Librariorum medii & poſterioris Aevi, qui hujuſcemodi ſubſcriptiones nihili eſſe arbitrati, facilè praetermiſerunt incredibili Priſcorum monumentorum detrimento. Jacturam eandem paſſa eſt haec qua de agimus Encyclica, cujus ſubſcriptiones ſi ad nos uſque perveniſſent, magni fortaſſe momenti eſſent ad controverſiam hanc penitùs elucidandam; praeſertim cum de Alexandro verba faciens Sozomenus lib. 1. Hiſt. cap. 15. generatim ita pronunciet. *Cunctis ubique Epiſcopis ſcripſit, ne cum illis communicarent.*

XI. Characteres verae Encyclicae ii potiſſimum occurrunt. Imprimis ex Epigraphe, quae eſt hujuſmodi. *Dilectis & Cariſſimis ubique Catholicae Eccleſiae Comminiſtris Alexander in Domino ſalutem.* Quum enim judicium Orbis praeſtolari oporteret, atque è re Catholicorum eſſet, ut Comminiſtri omnes ſuam in hac controverſia ſententiam exprimerent, totius rei ſumma debuit denunciari. Alter Encyclicae character eſt, ut omnia collineent ad unitatem doctrinae & profeſſionis ſtabiliendam; quod per Epiſcoporum ſubſcriptiones & vota, atque Eccleſiarum in dogmate conſenſionem perficitur. Hoc de ſcopo Encyclicae ſuae ipſo initio ſic loquitur Alexander. *Cum unum ſit Catholicae corpus Eccleſiae, mandatumque ſit in Sacris Literis, ut pacis & concordiae vinculum conſervemus, conſentaneum eſt, ut quaecumque apud ſingulos geruntur, nobis invicem per Literas ſignificemus: quo ſcilicet ſeu patiente, ſeu gaudente uno membro, ipſi viciſſim aut compatiamur, aut collaetemur.* Quibus nihil manifeſtiùs ad Encyclicae hujus ſcopum & conditionem patefaciendam. Tertius Encycli-

Digitized by Google

carum character erat, ut novitia quaevis placita, ne iis rudiores inficerentur, Praeſules Eccleſiarum ſuo quiſque Populo & Clero denunciarent. Hinc Alexander ſingulas haereticales Arii propoſitiones enumerat, poſtulatque ab Epiſcopis Orbis ut haereticum hominem ſacris interdicant, caveantque ne quis uſpiam literas ejus communicatorias ſuſcipiat. Ab ipſo enim Apoſtolico aevo & exemplo manavit, ut nomina Haereticorum diſtinctè in Encyclicis cenſerentur. Poſthaec Alexander ut Catholicae doctrinae traducem & ſucceſſionem contra novitates Arianorum commonſtraret, priſtinas haereſes ac jam pridem abolitas opinationes in memoriam revocat, velut fuerant Alogorum, Artemonis, Pauli Samoſateni aliorumque: Et id vehementer expoſcit à Catholicis Lectoribus, ut ſimul comparent Ariomanitarum impietatem, & an non ii multò ſceleſtiores ſint, ſuoptè examine dijudicent. In quo ſatis liquidò apparet, hunc potiſſimum fuiſſe Encyclicarum uſum, hunc ſcopum, ut Divinae & Apoſtolicae traditiones illibatè cuſtodirentur. Quartum denique Encyclicarum documentum erat accurata dogmatis tractatio, quam in hiſce Literis ſuis Alexander inſtituit. Quamobrem ſub epiſtolae finem ita omnes compellat. *Nos verò qui Chriſtiani ſumus, eos omnes qui adversùs Chriſtum & loquuntur & ſentiunt, non ſecus ac Dei hoſtes & corruptores animorum averſari debemus, ac ne ave quidem hujuſmodi hominibus dicere, ne ſceleribus eorum communicemus.*

XII. Equidem ſi ad nos uſque perveniſſent ſubſcriptiones, fortaſſe inter eas nomen Athanaſii Alexandrinae Eccleſiae Diaconi legeremus, quemadmodum in hoc Encyclicarum genere uſuveniebat, ut quicumque Epiſtolam ſuſcepturi erant, veritatem noſſent & autoritatem. Athanaſium certè in his ſcribendis Epiſtolis egregiam navaſſe operam, teſtatur ipſemet in Apologia ad Conſtantium; atque inde in ipſum excitatas fuiſſe ait Arianorum iras & machinationes. Verba S. Doctoris haec ſunt. *Cum enim Arius, unde Ariomanitarum haereſis conflata eſt, ab Eccleſia per Beatum Epiſcopum Alexandrum ejectus eſſet, Euſebiani diſcipuli pariter & ſocii impietatis, ſemetipſos ejectos eſſe arbitrantes,*

tes, multis adhortationibus ſcripſerunt, ne Arium extra Eccleſiam relinqueret. Alexandro autem ob pietatem in Chriſtum, hominem impium non recipiente, in Athanaſium ejus Diaconum iras convertunt; quia eum aſſiduum eſſe apud Alexandrum & in pretio haberi curioſè animadverterent. Idque non immeritò: ſiquidem non tam ob fidei zelum, quàm ex proprio Diaconi munere in hiſce Literis promovendis totus incubuit Athanaſius, imprimis ut ab omni falſitatis ſuſpicione immunes deferrentur. Eaque de cauſſa quoties Epiſcopus in Concilio diſputatorem, aut concionatorem in Eccleſiis agebat, nunquam non aſſidere conſuevit Archidiaconus, qui aliquando ſi quid perperam diceretur, emendabat. Sic Meletius Antiochenus Epiſcopus ab Arianis electus quum in Enthroniſtica ſua concione fidem ὁμοούσιον tueretur, os ei publicè & ex officio obturare molitus eſt Archidiaconus, referente Epiphanio haer. 69. Prodit Hieronymus in Epiſt. 61., Johannem Hieroſolymitanum, quum audiret Epiphanium, quem ad ſermonem quadrageſimali tempore in ſua Eccleſia habendum accerſiverat, contra ineptias Origenianas quibus ille favebat, declamare, ei per Archidiaconum ſilentium indixiſſe. *Nos hic eramus*, ſcribit Hieronymus, *cuncta novimus quando contra Origenem in Eccleſia tua Papa Epiphanius loquebatur, quando ſub illius nomine in vos jacula torquebantur. Tu & chorus tuus canino rictu naribuſque contractis, ſcalpentes capita, delirum ſenem loquebamini. Nonne ante ſepulchrum Domini miſſo Archidiacono praecepiſtis ut talia diſputans conticeſceret?* Sed de his ad totius rei Epiſtolaris materiem elucidandam paullò infra accuratiùs diſſeremus.

XIII. Neque verò praetermiſit Alexander Encyclicas ſuas ad ſupremum Eccleſiae Hierarcham tranſmittere, quatenus Orthodoxae doctrinae unitas in Capitis & membrorum conſenſione eluceret. Authenticae Alexandri Literae exſtabant adhuc Liberii aevo, quibus Pontifex adſtruere ſatagit, Arium cum Sociis per Encyclicas denunciatum, & ceu haereticum ubique terrarum fuiſſe damnatum. Epiſtola Liberii legitur cum ad calcem operum Luciferi Calaritani, tum in Fragmento Hiſtori-

Digitized by Google

co S. Hilarii, ubi ad rem ſcribit. *Manent Literae Alexandri Epiſcopi olim ad Sylveſtrum ſanctae memoriae deſtinatae: quibus ſignificat ante ordinationem Athanaſii undecim tam Presbyteros quàm etiam Diaconos, quòd Arii haereſim ſequerentur, ſe Eccleſia ejeciſſe. Ex quibus nunc quidam extra Eccleſiam Catholicam foris poſiti dicuntur ſibi conciliabula inveniſſe, quibus aſſeveratur etiam Georgius in Alexandria per Literas communicare*. Itaque Liberius receptam probatamque à Sylveſtro Encyclicam Alexandri, ea fuiſſe praeditam autoritate ſentit, ut ii quos Haereticos declaraverat, ejuſmodi reipſa haberentur & eſſent: eadem mente aſſeverat viventes aliquot Arii ſocios extra Eccleſiam eſſe: ac Georgio per ea tempora Sedem Alexandrinam occupanti dicam imponit, quòd cum iis communicaret, quos Encyclica declaraverat excommunicatos.

XIV. Ejuſdem ponderis eſt argumentum quod in hanc rem ex Epiſtola Julii ad Orientales ducitur. Allegabant illi pro Secta ſua Piſti ſuffragium. Sed quum ad id defenſores Athanaſii reponerent, Piſtum unà cum Ario per Encyclicas ab Alexandro Epiſcopo damnatum pridem fuiſſe, rem ita dijudicat Pontifex in memorata Epiſtola Tom. 1. Conciliorum pag. 743. *Hunc autem Piſtum Athanaſii Presbyteri ſupervenientes, docuerunt Arianum eſſe, & eo nomine ab Alexandro & Synodo Nicaena ejectum, graduſque Ordinis ſui à quodam Secundo, quem Magna Synodus ut Arianum rejecerat, accepiſſe*: Concluditque ſe pariter velut haereticum Piſtum exiſtimare. Liquet, opinor, ex his Encyclicas Alexandri & Pontificis Sylveſtri & Nicaeni Concilii ſuffragio probatas fuiſſe, atque in ea ſententia verſatos eſſe Antiſtites, ut Encyclica ſtatuta omninò ſervarentur.

XV. Judicium hoc Alexandri, ſi Epiſcopos aliquos Aulae & Euſebii Nicomedienſis aſſentatores excipias, ab univerſo Chriſtiano Orbe ratum firmumque habitum fuiſſe, certò certius videtur. Neque enim quorumdam diſſenſio & contradictio ceterorum Epiſcoporum conſenſui officere potuit: cum non paucorum refragantium pertinacia ob oculos habenda ſit in Eccleſiaſticis decretis aeſtimandis, ſed majoris & praeſtantioris nu-

meri

Digitized by Google

meri Epiſcoporum Eccleſiarumque fides & unanimitas, atque in eadem profeſſione tenenda conſtans ſententia. Quam judicandi rationem ſequitur & commendat Liberius in ſua epiſtola pro cauſſa Athanaſii defendenda ad Conſtantium data, quam Lucifer Calaritanus, Pancratius Preſbyter & Hilarius Eccleſiae Romanae Diaçonus eidem Imperatori obtulerunt, legiturque in Fragmentis Operis Hiſtorici S. Hilarii. Querebatur nimirum irreligioſus Princeps de Liberio, quaſi Epiſtolas contra Athanaſium ab Epiſcopis ſcriptas ſuppreſſiſſet: ideòque reſpondet Pontifex, ſe & eas legiſſe, & quoniam longè plura Epiſcoporum ſuffragia pro Athanaſii Orthodoxia invenerat, facere nullo modo potuiſſe, ut ab illorum votis tantiſper diſcederet. *At ſatis omnibus clarum eſt*, inquit Liberius, *nec quiſquam negat, nos Orientalium Literas intimaſſe, legiſſe Eccleſiae, legiſſe Concilio, atque ad haec etiam Orientalibus reſpondiſſe: qui fidem & ſententiam non accommodavimus noſtram, quod eodem tempore ſeptuaginta quinque Epiſcoporum Aegyptiorum de Athanaſio ſententia repugnabat; quam ſimiliter recitavimus, atque inſinuavimus Epiſcopis Italis. Unde contra divinam Legem viſum, eſt etiam cum Epiſcoporum numerus pro Athanaſio major exiſteret, in parte aliqua commodare conſenſum*. Itaque Pontifex quoties Encyclicam ſuſciperet aliquam, recitare eam & Eccleſiae, & Concilio debebat: eamque partem ſequi & probare, quam major conſentientium numerus praeſtabat ſecuriorem. Iccircò quum Liberius ſive blanditiis, ſive metu à priſtina mentis firmitudine inflexus & ab hac judicii Eccleſiaſtici prudentia declinans, condemnationi Athanaſii ſubſcripſit, tam dirae in eum querelae & criminationes ſunt à Catholicis excitatae. Quod ſi ea fuit Praeſulum Romanae Cathedrae ſolicitudo, ut Encyclicas Eccleſiae & Concilio, ſcilicet Epiſcopis per univerſum Occidentalem Patriarchatum diſperſis intimarent: ſi Alexandrina contra Arium Encyclica reipſa ad Sylveſtrum fuit tranſmiſſa Liberii Pontificis teſtimonio, quis demum revocabit in dubium, eandem & Italis & Occidentalibus generatim Epiſcopis fuiſſe intimatam? Si pro Eccleſiaſtica conſuetudine debuit Sylveſter, quid ipſe, quid Eccleſiae per Eu-

 ropam

ropam diſperſae ſentirent, Alexandro reſcribere, atque interim authenticum & ſubſcriptum Encyclicae exemplar in Archivis Romanae Eccleſiae recondere, prout feciſſe eum aſſeverat Liberius, quis non planè perſpiciat, & pro certo numeratoque non habeat, huic Alexandri Encyclicae Epiſcopos pleroſque conſenſiſſe, atque adeò firmum & immutabile judicium Orbis acceſſiſſe?

§. III.

De Encyclica Tractatoria, quam Alexander inſcripſit Alexandro CPno, & ceteris Majorum Sedium Epiſcopis.

Synopsis.

I. *Proponitur Tractatoria Alexandri Alexandrini.* II. *An revera inſcripta fuerit ad Alexandrum CPnum.* III. *Hic Alexander non erat Epiſcopus, ſed Presbyter Metrophanis Archiepiſcopi CPni.* IV. *Cur Alexandro tunc Presbytero inſcripta fuerit.* V. *Partes illius Tractatoriae quae fuerint.* VI. *Laudat magiſteria Encyclicarum, quae adversùs ſimiles haereſes jamdudum prodierant.* VII. *Eas potiſſimum eſſe aït remedium adversùs haereſes.* VIII. *Alias ad aliarum Sedium Epiſcopos Tractatorias eodem tempore exaravit.*

I. PRogredimur ad alteram Alexandri Encyclicam diſcutiendam, quae & Tractatoria ſeu Dogmatica fuit, & ad Epiſcopos praecipuarum Sedium tranſmiſſa. Nam duae ex multis quas in hac controverſia exaravit, ſuperſunt Alexandri Epiſtolae, quarum priorem nuper expendimus, alteram nunc ſumus expenſuri, quam ad Alexandrum CPnum inſcriptam habemus. Prima generali inſcriptione ad univerſum Catholicum Orbem

Orbem directa eſt, & ſtrictiore preſſioreque ſtylo Ariomanitarum inſaniam patefecit: haec verò & veritatem divini Conſubſtantialis Verbi, & oppoſitos Arianorum errores Tractatorio & Dogmatico ſtylo ob oculos ponit. De hac igitur non inutiliter diſſerendum ſuſcipimus, quum & idipſum ab Epiſcopis aliis contra alios errores uſurpatum occurrat, & ad ſtrictiorem copioſioremve Epiſtolarum ſtylum dijudicandum imprimis conducat. Atque interim illud ex hac diſputatione conſequetur, ut quod reipſa contingit, ſi unius ejuſdemque Encyclicae aut Fragmenta diverſa, aut variae inſcriptiones laudentur, pro certo habeamus, id ex eo evenire, quòd Encyclicae autor eam pro Epiſcoporum vel majorum Sedium, vel doctrina praeſtantiorum conditione vario ac multiplici ſtylo exararit. Certè Alexandrum Epiſtolas plurimas edidiſſe, teſtatiſſimum faciunt Epiphanius & Socrates, illarumque cenſum exhibebimus, quum de Tomis Encyclicis in hac Catholicos inter & Ariomanitas contentione editis dicemus. Ex his autem reſervavit unam Theodoritus, eamque ut eſt in vulgata editione, ad Alexandrum inſcriptam. Textum itaque Theodoriti deſcribamus, poſtea quis ille ſit Alexander inquiſituri.

II. Ac Theodoritus quidem lib. 1. Hiſt. cap. 3. poſtquam indicaſſet, quibus Alexander Encyclicas Literas dederit, haec ſub finem addit. *Sic igitur Alexander ad Gentilem ſuum ſcribit*. Graecus textus habet. Γράφει δὲ ὁ τῆς Ἀλεξανδρέων Ἀλέξανδρος πρὸς τὸν ὁμώνυμον ταῦτα. Caput verò quartum hanc habet Epigraphen. *Epiſtola Alexandri Alexandriae ad Alexandrum CPnum*. Et ad hunc quidem modum vulgata Theodoriti editio: quum tamen verba illa Κωνςαντίνου πόλεως in vetuſtis MSS. Codd. deſiderentur; unde Robertus Stephanus eadem in Graeca Theodoriti editione praetermiſit. Hinc gravis inter eruditos Criticos diſſenſio. Sunt qui tum ex MSS. Codd. Theodoriti, & Graeca Stephani editione fateantur quidem Encyclicam hanc Epiſtolam alicui Alexandro fuiſſe inſcriptam, non tamen Alexandro CPno, quia titulus Epiſcopi adſcriptus, nequaquam huic Byzantino Alexandro poterat attribui. Neque verò ita ſcripſiſſe aut Alexandrum

Digitized by Google

xandrum Alexandrinum, aut Theodoritum ipſum opinabimur, quum & Urbs illa non Conſtantinopolis, ſed Byzantium per ea tempora appellaretur, & multo iccircò veroſimilius ſit, Capitis titulum ab indoctis Librariis fuiſſe excogitatum. Adde quod tunc Byzantii Epiſcopus vivebat Metrophanes, ut ponderoſiſſimis argumentis evincunt Stephanus Baluzius in Addition. ad lib. V. cap. 3. Petri De Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii, Antonius Pagius in Crit. Baronii, aliique complures. Ii verò contendunt Alexandrum hunc fuiſſe Theſſalonicenſem Epiſcopum, ad quem, quod celeberrimam Eccleſiam ab Apoſtolis fundatam obtineret, Epiſtolam hanc direxit Alexandrinus Antiſtes. Et ſi conjectaneis agendum hîc foret, momenti plurimum huic opinioni tribueret conſuetudo illa ſequioribus temporibus confirmata, ut Primates Orientis perſaepe Theſſalonicenſem Epiſcopum de rebus graviſſimis per literas conſulerent. Ipſe Athanaſius Euſebianorum calumniis preſſus Literas ad Alexandrum Theſſalonicenſem dedit, quae leguntur in II. ejuſdem Apologia. Cauſſa verò in promtu eſſe videtur, quod Apoſtolica Sedes commercia literarum cum Theſſalonicenſi Antiſtite nunquam non frequentarit, quem poſtea ſuum in Oriente Vicarium conſtituit. Et per ea jam tempora debuiſſe Orientales ſuarum controverſiarum admonere Theſſalonicenſes Praeſules, indicat ille idem Alexander Theſſalon. in Epiſtola ad Dionyſium Comitem pro Athanaſio data, quae ibid. pag. 798. legitur. *Clarè video, Athanaſio calumniam ſtrui: omnes enim quos recuſavit, neſcio quo modo, ille emittere voluerunt, nullo nobis ejus rei indicio facto*. Quae poſtrema verba ſatis edocent, diſſenſiones Orientalium ad Theſſalonicenſis Cathedrae conſilium deferri oportuiſſe. Sic actum ab Aegyptiis Epiſcopis, qui in Epiſtola ad eundem Dionyſium, ibid. pag. 797., ſe Theſſalonicenſi Praeſuli eadem denunciaviſſe affirmant. *De iiſdem rebus etiam Dominis noſtris Epiſcopis Orthodoxis ſignificavimus, quibus certior factus Alexander Epiſcopus Theſſalonicenſis ſcripſit ad Dionyſium*. Eutyches etiam condemnatus in Synodo CPna ſub Flaviano, appellavit ad Theſſalonicenſem Antiſtitem, ut in Act.

I.

1. Chalcedon. legitur. Et quum Neſtorius exterritus ſententia Alexandrini Concilii Sermonem dixiſſet illum, in quo faſſus eſt Virginem dicendam eſſe Deiparam, Johannes Antiochenus literas de hac reſipiſcentia Neſtorii ad Theſſalonicenſem Praeſulem dedit, vel ut Neſtorio adſtipularetur, vel ut idipſum Caeleſtino Romano Pontifici perſuaderet, cujus Rufus tunc Epiſcopus Theſſalonicenſis vicariam autoritatem per Orientem exercebat. His & ſimilibus conjectationibus ducti non ſine quadam veri ſpecie opinioni Virorum doctiſſimorum accedere poſſemus, & tueri Alexandrum Alexandrinum eodem animo ac mente literas ad Alexandrum cognominem ſuum Theſſalonicenſem Antiſtitem dediſſe, ut ſententiam contra Arium latam & ipſe per Illyricum mitteret, & Sylveſtro Pontifici Romano probaret.

III. Sed quum diſputationis cardo in titulo Epiſcopi vertatur, quem eo Capiti Librarius & exſcriptor Theodoriti affinxit, Alexandrum CPnum vocitans Epiſcopum, quumque ex communi ſententia Epiſcopatum Byzantii uſque ad Concilium Nicaenum rexerit Metrophanes, cujus Preſbyter erat Alexander, ad hunc Encyclicam ab Alexandrino Antiſtite directam fuiſſe, non perperam opinamur. De Metrophane uſque ad Concilium Nicaenum ſuperſtite fidem faciunt Acta ipſa Metrophanis apud Photium Cod. 256. pag. 1411. Produnt enim, Conſtantinum Encaenia CPnae Urbis celebraturum, Nicaenos Patres ea quoque mente advocaſſe, ut viderent Metrophanem: *Quem Patrem ſuum Imperator appellabat &c. Inviſentibus autem Epiſcopis clariſſimum Metrophanem die Dominica, & Imperator praeſens inter alia dixit: Video, te Pater Maxime venerande, & morbo defeſſum, & creari atque deſignari nobis poſt te gregis Paſtorem poſtulo. Ille ad Imperatorem alacri vultu converſus: annuo, inquit, in Domino, quia nunc Spiritus Sanctus, ò Fili, per linguam tuam loquitur. Mihi enim hac de re ſolicito indicavit Dominus ante ſeptem hos ipſos dies, & dignitatem ſacram ſuſcepturum Sacerdotii dignitate parem Alexandrum, & dignum, ut verè loquar, electione & Sancti Spiritus denuntiatione. Ad haec verò hunc veluti Filius Paulus Lector excipiet.*

Digitized by Google

piet. *Reſpiciens autem ad Alexandrum Alexandriae Epiſcopum*: *Et tu*, *inquit*, *Frater egregium ſucceſſorem tui relinques*; *& manu Athanaſii Archidiaconi apprehenſa*, *en*, *inquit*, *ſtrenuus Chriſti miles*, *hic te ſequetur*, *qui non ſolùm cum Fratre meo Alexandro contra Arii haereſim decertavit*, *ſed & cum illo magna certamina & multa ſubibit*. Pergunt Acta deſcribere exceſſum Metrophanis, & Alexandri electionem ad Epiſcopatum CPnum. Id quod ab Euſebio confirmatur ſcribente lib. 3. de vita Conſtant. cap. 7. *Aberat quidem Synodo Regiae Urbis Antiſtes ob ſenilem aetatem*, *ſed praeſto erant Presbyteri qui vices ejus implerent*. Qui ſanè locus tametſi à Baronio aliiſque de Sylveſtro Pontifice intelligatur, eo quod tunc Byzantium nondum eſſet Urbs Regia, rectiùs nihilominus de Metrophane ſumi poteſt, quum Euſebius XIII. poſt Concilium Nicaenum annis vitam Conſtantini publicarit, quando ſcilicet jam vulgò Regia Urbs CPolis dicebatur. Quo circa Nicetas lib. 5. Theſaur. cap. 6. Euſebii mentem his verbis explicuit. *CPnum Pontificem à Synodo abfuiſſe ſcribit Euſebius*, *propter ſenium*: *at nomen ejus ſupprimit*, *cujus loco Preſbyteri quidam comparuerunt*. *At verò ex Synodi Actis conſtat*, *Metrophanem CPnum id temporis Epiſcopum fuiſſe*, *qui decrepitam ob aetatem in Synodo conſidere non potuerit*, *cujus tamen vicem Alexander ſupplevit Presbyter*, *cujus opera & miniſterio Synodicae Literae in Europam tranſmittebantur*.

IV. Haec Nicetae verba de Alexandro, cui Paulus Lector adjunctus eſt, noſtram illam conjecturam apprimè confirmant, qua quum de Literis Conſtantini contra Donatiſtas ageremus, ſuſpicati ſumus Melchiadi ſimul & Marco cauſſae judicium & diſcuſſionem fuiſſe demandatam: adeòut Imperator Pontifici Marcum Preſbyterum adjunxerit ex Eccleſiaſtica conſuetudine, qua in Synodicis efformandis Preſbyteri quos ſequior Aetas Primicerios appellavit, Epiſcopis ſuis adſtabant, non aliter ac Leoni M. adfuit S. Proſper. Diſcimus etiam morem hunc in Eccleſia CPna jam tum viguiſſe, ut huic Preſbytero Lectores Exceptores adeſſent: quum in eo munere Alexandro inſervierit Paulus, qui eidem in Epiſcopatu CPno poſtea ſucceſſit: Nam

Nam ex laudatis Actis Metrophanis pag. 1411. docemur, Alexandrum Concilii Nicaeni decreta per varias Provincias denunciaturum, *tuliſſe ſocium itineris beatiſſimum Paulum* tunc Lectoris & Subſcriptoris CPnae Eccleſiae fungentem officio. Graecè. καὶ ὑπογραφέως τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν Ἐκκλησίας. Clarius officium Pauli Subſcribae & Notarii in evulgandis Encyclicis indicat Gelaſius ſub finem libri 2. Actor. Nicaen. ubi praecipuos Nicaenae Synodi Patres recenſet, & Provincias quae poſt Synodum decretis ſubſcripſerunt. Ad rem noſtram. *Alexander CPli tunc ſolùm Presbyter, poſtea verò Eccleſiae illius Epiſcopatum ſortitus, cum Paulo tunc Lectore atque ipſius Notario, Eccleſiis omnium Cycladum Inſularum*. Paulus itaque Alexandri in itinere ſocius & Notarius totidem Encyclicae Nicaenae exemplaria conficere, ſuaque ſubſcriptione communire debuit, quot in ſingulis Cycladum Inſularum quas perluſtrabant, Eccleſiis erant neceſſaria. Sed de his poſtea. Interim veroquamſimillimum eſt. Alexandrum Alexandrinum, ut ſtrenuum fidei pugilem Euſebio Nicomedienſi Patrono & Defenſori Arii opponeret, ſuam Tractatoriam Encyclicam ad hunc Alexandrum CPnum tranſmiſiſſe, quam noverat Synodicas Literas ceteraque Byzantinae Eccleſiae placita nomine Metrophanis moderari, ut propterea non alteri quam Alexandro CPno Preſbytero inſcripta fuerit Antiſtitis Alexandrini Encyclica.

V. Nobiliſſima eſt haec Alexandri Tractatoria & Dogmatica Epiſtola, in qua ſingulas Arii propoſitiones & accuratè cenſet & invictè refellit. Eam graviſſima hac animadverſione exorditur. *Improborum hominum voluntas dominationis & pecuniae avida, majoribus Eccleſiis ſemper inſidiari ſolet, dum illi per varias occaſiones Eccleſiaſticam pietatem oppugnant*. Erant ſcilicet Majores Eccleſiae, eaeque Matrices & Originales à Tertulliano appellatae, quas improbus Religionis inimicus Daemon, quod in iis Sacrorum Dogmatum & revelatae divinitùs veritatis Depoſitum cuſtodiretur, magis ac magis ſtuduit labefactare. Quocirca Arii primum Schiſmatici, dein haeretici acta omnia & propoſitiones ſingillatim omnes enumerat Alexander, & ſolidiſ-

ſimis

Digitized by Google

ſimis Bibliorum teſtimoniis ac divinae traditionis rationibus oppugnat.

VII. Inter alia argumenta, quibus in ſua hac Encyclica utitur S. Praeſul, illud poſtremo loco habendum non eſt, quod petebatur ex aliis jam pridem evulgatis Encyclicis, ſimilia hiſce dogmata tam perſpicuè & diſertè condemnantibus, & vulgò ita cognitis receptiſque, ut illarum teſtimonia deſcribere ſupervacaneum eſſe affirmet. Sic enim apud Theodorit. ibid. pag. 15. *Plura cum poſſim dicere, Fratres chariſſimi, conſultò praetereo, quippe qui importunum eſſe ducam, Doctores qui nobiſcum conſentiunt, pluribus admonere. Ipſi enim à Deo docti eſtis: nec ignoratis, eam doctrinam quae adversùs Eccleſiaſticam pietatem nuper caput extulit, Ebionis eſſe, & Artemae: nec aliud eſſe quam imitationem Pauli Samoſateni Antiochiae Epiſcopi, qui omnium ubique Epiſcoporum Concilio ac judicio remotus eſt.* Ebion ſcilicet in Encyclicis Johannis Apoſtoli, Artemas in Encyclica cujus Fragmentum ſuo loco deſcripſimus, & Paulus Samoſatenus in Encyclica Concilii Antiocheni damnati fuerant: quibus judicium Orbis per Epiſcoporum ſubſcriptiones acceſſerat. Imò Alexander paullò infra pag. 17. ſimul Eccleſiarum conſenſum, & teſtimonia Scripturarum velut duo Theologica loca commendat, eorumque audaciam carpit, qui utrumque aſpernabantur. *Qui nec ullos ex antiquis ſibi comparari volunt: nec eos quibus nos ab ineunte aetate Magiſtris uſi ſumus, exaequari ſibi patiuntur. Sed nec ullum ex omnibus, qui hodie ſunt Collegae noſtri ad mediocrem ſcientiam perveniſſe cenſent: Solos Sapientes ac nihil poſſidentes, ſolos dogmatum inventores ſe eſſe jactantes, ſibique ſolis ea revelata eſſe, quae nemini unquam eorum, qui ſub Coelo ſunt in mentem venerint ...... Non illis pudorem incuſſit veterum Scripturarum perſpicuitas religioſa: nec Collegarum noſtrorum conſentiens de Chriſto doctrina audaciam illorum adversùm illum repreſſit.* Adjungit etiam. pag. 19. nitidiſſimam profeſſionem fidei, & omnium Symboli articulorum congruentem explanationem.

VII. Inſuper non id tantùm agit ut Eccleſiaſtici judicii autoritatem, quod in Epiſcoporum conſenſione poſitum eſt, ſuis

ratio-

rationibus commendet, ſed praeter Conciliaria decreta potiſſimum profligandarum haereſeon remedium in Encyclicis verſari aſſeverat. De quo pag. 21. ſcribit. *Nam cum multa à me Praeſidia comparata ſint ad ſanandos eos qui laeſi ſunt, tum illud praecipuè remedium excogitatum eſt ad curandam multitudinem, quae ab illis decepta eſt: ut Collegarum noſtrorum conſenſui obtemperent, & per hoc ad poenitentiam redire feſtinent.*

VIII. Ejuſdem ſtyli ac ponderis Tractatorias alias ad Epiſcopos praecipuarum Sedium direxit Alexander, annotante id Theodorito, quae ad calcem memoratae Encyclicae haec ſuis verbis adjecit. *His conſona ſcripſit ad Philagonium Antiochenſis Eccleſiae Antiſtitem & ad Euſtathium, qui tunc temporis Berroënſem regebat Eccleſiam, & ad illos quotquot Apoſtolicae doctrinae defenſores erant.* Sed & ad alios Literas ſuas dediſſe teſtatur Epiphanius ſupra nobis laudatus. Id omne verò quemadmodum ab Alexandro tam brevi, atque uno eodemque tempore praeſtari potuerit vix ac ne vix quidem perſpiciemus, niſi & Lectorum Scribarumque, & Archidiaconi ſui Athanaſii officia altiùs quàm à nobis alibi, aut ab aliis Scriptoribus factum ſit, inveſtigemus, quò & univerſae hujus Epiſtolaris diſciplinae, & hujus potiſſimum controverſiae rationes penitiùs introſpiciantur.

§IV.

§. IV.

De Officio Lectorum in Chartis Eccleſiaſticis deſcribendis.

SYNOPSIS.

I. *Scribae Eccleſiaſtici è Clero aſſumti.* II. *Qui fuerint Exceptores, & an ab eorum notis profluxerit ars Notariorum.* III. *Uſus Notariorum Eccleſiaſticorum.* IV. *Lectorum delectus in Eccleſia Veteri.* V. *Dignitas Primicerii Lectorum quae fuerit.* VI. *Ejuſdem crebra mentio in Veteribus Eccleſiaſticis monumentis.* VII. *Lectorum diſtinctio, & multiplicitas unde profluxerit in Eccleſiis.* VIII. *Ex ordine Lectorum plerumque adlecti ſunt Archidiaconi.* IX. *De notis quae à Lectoribus adjungebantur Codd. MSS.* X. *Potiſſimum in Chartis Eccleſiaſticis.* XI. *Erant qui deſcriberent, & qui deſcriptos Codices recognoſcerent.* XII. *Lectores plerumque erant & Notarii.* XIII. *Lectorum varii ordines, variaque Miniſteria.* XIV. *Qui dicerentur Scriptores Minores, qui verò Majores.* XV, *Duo ſemper Eccleſiaſticarum Chartarum exemplaria deſcribebant.* XVI. *Id quoque de Actis Conciliaribus & Canonibus fieri conſuevit.* XVII. *Cuſtodia ejuſcemodi Chartarum Romae Bibliothecario, CPli autem Cartophylaci data eſt.* XVIII. *In ipſis Conciliis ſinguli penè Epiſcopi ſuos Lectores Notarios habebant.* XIX. *Ii Lectores Chartis publicis etiam pro Epiſcopis ſuis ſubſcribebant.* XX. *Quid ad rei ſummam tota haec diſquiſitio conferre poſſit.* XXI. *Qui è Lectoribus eſſent Antiquarii, qui Librarii, qui Exceptores.* XXII. *His Lectorum officiis Monachi poſtea ſucceſſerunt.*

I. REvocandae hùc demum nobiliſſimae diſquiſitioni de Eccleſiaſticis Scribis locum fecere opportunum & controverſiae ab Alexandro Alexandrino Epiſcopo agitatae celebritas, & Magni Athanaſii tunc Archidiaconi incredibilis ac mira ſolicitudo in Tractatoriis & Encyclicis dictandis, atque in iiſdem excipiendis Clericorum Alexandrinorum, ac imprimis Lectorum

ctorum ejus Eccleſiae labores. Et id genus quidem Scriptore exceptoreſque ex Laïcorum ordine haudquaquam eſſe poterant, ſive ob Arcani diſciplinam, librorum praecipuè Ritualium, ne ſcilicet Gentium ludibrio facilè exponerentur, ſive ob miniſterium Euchariſticum & Eccleſiaſticum, quod ex Pſalmis, Prophetiis, libriſque Novi Tti actitabatur, ſive denique ob Homilias & Patrum opera, ob Acta Sanctorum & ſimilia, quae publicè ad inſtructionem fidelium non aliter quam à ſanctioribus Viris praelegi ac recitari debebant. Adde quod Epiſcopi omnes pro fidei unitate & animorum concordia ſaepè Communicatorias, Pacificas, Paſchales aliaſque Eccleſiaſticas Epiſtolas ad invicem frequentabant aſſervabantque, non facilè id acturi ſine Scribarum Eccleſiaſticorum ope & induſtria. Quod ad Lectores Clericos pertinuiſſe multipliciter ſumus demonſtraturi.

II. Viri quicumque erant ſive Literis, ſive dignitate praeſtantes, ſuos Exceprores ſeu Notarios habebant. Ejuſmodi fuit Cicerone dictante Tyro Libertus, qui ut Ciceronis dicentis velocitati excipiendo par eſſet, notas invenit, literas ſcilicet variis cifris notatas quae verbum integrum indicarent. Qua in re Petrus Diaconus de Notis Liter. ſcripſit. *Notae dictae ſunt eo quod verba vel ſyllabas praefixis characteribus notent, ut ad notitiam legentium revocent: quas qui ſcribunt, propriè Notarii appellantur*. Iccircò hae notae dicuntur *ſigna verborum* à S. Hieronymo ad Julianum & in Epiſt. ad Principiam. Primùm autem eaedem ad placitum ſcribentium fuerunt, obſervante Valerio Probo in Opuſc. de Notis Romanorum interpretandis. *Apud veteres cum uſus Notarum nullus eſſet, ſcribendi facultatem maximè in Senatu qui aderant, ſcribendo ut celeriter comprehenderent, quaedam verba atque nomina ex communi conſenſu primis literis notabant: & ſingula quid ſignificarent, in promtu erat. Quod in nominibus, praenominibus, Legibus publicis, Pontificumque monumentis, juriſque civilis libris etiam nunc manet. Ad quas Notas publicas acceſſit & ſtudioſorum voluntas, ut unuſquiſque familiares ſibi notas pro voluntate ſignaret*. Verumtamen quum id & haeſitandi paſſim

Digitized by Google

& errandi legentibus cauſſa eſſet, ignaris ſcilicet Notarum ejuſmodi, tandem & artem & magiſtros & tyrocinia invexerunt, quibus exſcriptores citra confuſionem regerentur. De Arte Notaria ejuſque inventione ſic Petrus Diaconus ibidem. *Vulgares Notas Ennius primus mille & centum invenit, ad hunc ſcilicet uſum ut quicquid per contentionem praeſentium diceretur, Librarii complures ſcriberent ſimul adſtantes diviſis inter ſe partibus, quot quiſque verba & quo ordine excipere. Dehinc Tullius Tyro Ciceronis Libertus notas praepoſitionum commentus eſt. Poſt hunc Philargyrus Samius & Aquila Moecenatis Libertus alias addiderunt. Deinde Lucius Annaeus Seneca contractis omnibus, digeſto & aucto numero opus in quinque millia extendit*. Scholae igitur inſtitutae ſunt, in quibus artis ſcribendi notandique tyrocinia pueris tradebantur.

III. In Chriſtiana Eccleſia vetus eſt Notariorum Eccleſiaſticorum inſtitutio, & officium in Libris Chartiſve Sanctioribus deſcribendis. Diſciplinae ſeu primordia ſeu veſtigia elucent ex Anaſtaſio Biblioth. in Clemente. *Hic fecit ſeptem regiones dividi Notariis fidelibus Eccleſiae, qui geſta Martyrum ſolicitè & curioſè unuſquiſque per regionem ſuam diligenter perquirerent*. Quod in Antero repetit. *Hic geſta Martyrum diligenter à Notariis exquiſivit & in Eccleſia recondidit*. Diligentiùs in hanc rem incubuit Fabianus Pontifex, Notariiſque praepoſuit Subdiaconos, ne incuriae aut fraudis labe ſcripta haec deformarentur: *Hic regiones diviſit Diaconibus, & fecit VII. Subdiaconos, qui VII. Notariis imminerent, & geſta Martyrum in integro colligerent*.

IV. Id muneris obibant plerumque Lectores: quumque res haec ad publicum fidei & Sacramentorum exercitium purè atque illibatè retinendum ſpectaret, non ſine praevio ac diligenti examine huic Scribarum ordini cooptabantur. De quo illuſtre eſt teſtimonium Cypriani in Epiſt. 29., quam in receſſu ad Clerum Carthaginenſem dedit, & in qua de Saturi Lectoris electione ita ſcribit. *Feciſſe me autem ſciatis Lectorem Saturum, & Hyppodiaconum Optatum Confeſſorem, quos jam pridem communi conſilio Clero proximos feceramus; quando aut Saturo die Paſchae*

Digitized by Google

chae ſemel atque iterum lectionem dedimus; aut modo cum Presbyteris Doctoribus Lectores diligenter probaremus. Duo hinc docemur, primùm ordinationem Saturi in Lectorem, ejuſque gradus exercitium in Eccleſia praeceſſiſſe: alterum, Lectorem jam conſtitutum denuò ad accuratum examen veniſſe. Quorſum haec, amabo, nova & ſolers inquiſitio, novum in hoc miniſterio examen? Annon ante ordinationem jam illi probati fuerant, & communi ſuffragio commendati? Pellucidè id affirmat verbis illis Cyprianus: *quos jam pridem communi conſilio Clero proximos feceramus*. Non aliud igitur poſt ordinationem examen intelligendum eſt, quam quod ad miniſterium Scriptoris Sacrorum Librorum ob rei gravitatem praemitti conſuevit.

V. Imò Primicerium Lectorum electum fuiſſe Saturum, quatenus Lectoribus Librariis praeeſſet, conjicere poſſumus. Nam quum ſcribat, ſe poſt ordinationem Saturi accerſiviſſe Doctores Preſbyteros, diligenter Lectores ſingulos probaſſe, ſolum autem nominet Saturum, non obſcurè docet, hunc ceteris fuiſſe praepoſitum, ut pro ea quae ſummi ponderis erat, nitida Chartarum Eccleſiaſticarum ſcriptione Lectoribus librariis praeeſſet. Quod ex Epiſt. 32. poteſt confirmari, in qua de Encyclicis in cauſſa Lapſorum, Libellaticorum & ſimilium per ea tempora diſceptationum emanatis. Eas ſe in Archivo Eccleſiae Carthaginenſis recondidiſſe Saturi diligentia cuſtodiendas, aït, eidemque mandat ut exemplaria, à Lectoribus equidem ſub ipſo conſtitutis deſcribenda, cupientibus & poſtulantibus traderet. *Et ſi exempla*, inquit S. Praeſul, *Epiſtolarum tranſcribere, & ad ſuos perferre voluerint, facultatem tranſcriptionis accipiant. Quamvis & Saturo Lectori Fratri noſtro mandaverim, ut ſingulis deſiderantibus deſcribendi faciat facultatem*. Lectores igitur fuerint oportet ſub Saturo, ad quem pertinebat exemplaria poſtulantibus tradere, eademque cum autographis Archivorum Carthaginenſis Eccleſiae collata propria ſubſcriptione communire.

VI. Indubia ferè ſunt Veterum de Primiceriis Lectorum te-

Digitized by Google

ſtimonia. Occurrit in Actis Martyrum Ciballitanorum apud Petrum de Natalibus, Prior & Primicerius Lectorum. *Praeſes dixit: quod officium geris? Pullio reſpondit: Primicerius Lectorum. Probus Praeſes dixit: Quorum Lectorum? Pullio reſpondit: qui eloquentiam divinam Populis legere conſueverunt.* Mentio quoque Primicerii Lectorum fit in Concilio Chalced., Tom. II. Hard. Act. XIV. pag. 579. ubi ſic. *Primicerius Lectorum qui vocatus legit Libellos Eccleſiaſticos quos attulerat.* Et S. Remigius Epiſcopus Remenſis in Epiſt. ad Fulconem Tungrenſem Epiſcopum ſcribit. *Primicerius Scholae clariſſimae militiae Lectorum.* Gradum hunc diu ſervavit Eccleſia Orientalis: quippe apud Codinum de officiis Eccleſiae CPnae pag. 6. inter dignitates illius Eccleſiae annumeratur Primicerius Lectorum. Sic & apud Latinos gradus erat, & *Lectoria dignitas* appellabatur. Inter alia monumenta id prodit Hiſtoria Epiſcop. Antiſiodorenſium cap. 19. *In majori, ſcilicet Cathedrali, Eccleſia, praeter alia quae ibi providè fecit, vel liberaliter contulit, Lectoriam & Succentoriam, per quas totum in legendo cantandove ſervitium diſponatur .... redditibus ampliatur.* Et in Tabulario Epiſcoporum eorumdem Charta exſtat anni 1213. quae ſic habet. *Hugo Altiſſiodorenſis Archidiaconus P. L. I. ſalutem. Noveritis univerſi ...... quod cum ad officium Archidiaconalis ſpectaret Eccleſiae noſtrae providere Lectorem, qui totum legendi officium ordinaret, nec inveniretur propter redditum paucitatem, qui onus vellet ſubire Lectoris, quoniam laborem ſtipendia non ſequebantur condigna; unde Eccleſiae ſervitium non modicum turbabatur.* Neque enim leve onus erat praeter lectionum ordinem in Eccleſia recitandarum, ceteris etiam Lectoribus imminere, qui Codices Sacros pro Eccleſiae uſibus opportunos deſcriberent.

VII. Atque hoc multiplex Lectoris officium in cauſſa fuit ut in majoribus Eccleſiis ex inferiori Clero plurimi eligerentur Lectores, quorum alii publicè in Eccleſiis legerent, alii res Eccleſiaſticas deſcriberent, & ab Epiſtolis Antiſtiti eſſent. Cornelius Pontifex in Encyclica ad Fabium Antiochenum, de qua in ſuperioribus occaſione Novatianorum actum eſt, quum Romanae

manae Eccleſiae Clericos cenſet, plures fuiſſe ſcribit Lectores, apud Euſebium H. E. lib. 6. cap. 43. Neque id immeritò, quum Pontifex totius penè Orbis Epiſcoporum reſcriptis ſatiſfacere deberet. Perduravit deinceps apud utramque Eccleſiam major Lectorum numerus, de quo Juſtinianus Imp. Novel. 3. ſcripſit. *Sancimus ne quando in Sacroſancta majori Eccleſia ultra LX. Presbyteros, Diaconos verò centum, Subdiaconos XC., Lectores autem ultra CX.* In Diplomate etiam Heraclii Imperatoris de certo quodam ac definito numero Clericorum magnae Eccleſiae, quod exſtat Tom. 1. juris Graeco-Romani, haec leguntur. *Religioſorum Presbyterorum Catalogus ad LXXX., Diaconorum ad CL. . . . . Subdiaconorum ad LXX. . . . . , Lectorum ad CXL.* Frequentior autem hic numerus & crebra mentio Lectorum iis qui ſacram eruditionem primis labiis attigere, anſam quidem praebuit affirmandi ex inferiori Clero olim fuiſſe tantummodo Lectores & Acolythos, quòd minimè advertant, in omnibus planè Eccleſiis neceſſarios fuiſſe Lectores, ſecus ceteros Clericos: ut propterea illorum aſſidua mentio non id innuat, eos fuiſſe tantum in Clero minori, & non alios: ſed hos ob providam Sacrorum Librorum curam & ſcriptionem in omni penitùs Eccleſia eſſe debuiſſe.

VIII. Itaque quum tanti momenti apud Epiſcopos & Eccleſias eſſet gradus Lectorum, inde conſecutum eſt, ut hic Clericalis ordo quoddam velut primum tyrocinium illorum eſſet, qui ad Archidiaconi dignitatem erant eligendi. Athanaſius Clericatum ſuum ab ordinatione Lectoris exorſus eſt, ſuoque Alexandrino Epiſcopo velut Notarius & Scriptor inſerviit. Narrat id Sozomenus lib. 2. Hiſt. cap. 22., ubi & ludum prodit ab Athanaſio puero cum aliis coaetaneis inſtitutum, in quo ipſe perſonam gerens Epiſcopi, ceteriſquè mandans, ut vel Preſbyterorum vel Diaconorum vices adimplerent, ſollennem baptiſmi ritum exercebat, ipſo ſpectante Alexandro Epiſcopo, qui & ludentes pueros acceſſivit, atque ut à parentibus Eccleſiae miniſterio addicerentur, ac imprimis Athanaſius, curavit. Haec Sozomenus, qui ad rem noſtram ſubjungit. *Nec multò poſt Athanaſium*

naſium in Contubernium ſuum adſcivit, eumque Notarium deinceps habuit. Inter S. Athanaſii opera vita ejus ex monumentis Eccleſiaſticis concinnata legitur, cujus Autor ſimiliter ſcribit. *Athanaſium Epiſcopum illum & reliquos pueros qui in ludo Presbyteri fuerant & Diaconi, ad Eccleſiae uſum educari & in literarum ac pietatis ſtudiis rectè inſtitui praecepit. Quod ne parentes negligerent, accerſitos eos ad ſe, juramento ad eam rem obſtrinxit. Imprimis verò delectatus Athanaſii indole, probitatem quandam ac gravitatem praeſeferente; poſtquam brevi tempore praeclaros in ſtudiis progreſſus ille feciſſet, ad interiorem ſui converſationem & convictum domeſticum eum admiſit*. Quae porrò eſſet interior illa converſatio & Athanaſii cum Alexandro contubernium, idem autor hiſce verbis exponit. *Uſus eſt autem initio ejus opera in ſcribendo & perlegendo*. Addit etiam gradus hujus & miniſterii dignitatem. *Quod munus Lectorum & Amanuenſium eſſe ſolet*. Habent idipſum excerpta Photiana Cod. 258., & Lippomanus in vita S. Athanaſii.

IX. Obſervare ſubit in verbis Anonymi illius Scriptoris, qui Athanaſii prima ſub Alexandro tyrocinia in ſcribendo & perlegendo fuiſſe aït, Priſcorum Antiſtitum diligentiam & ſolicitudinem, qua ne Codices vitio aut incuria Amanuenſium foedarentur erroribus, vel ipſi poſt ſcriptionem relegebant, vel Primicerio Lectorum tradebant relegenda; quod Alexander Alexandrinus cum Athanaſio ſuo praeſtare voluit. Iccircò meliores notae Codices vel ad calcem vel ad marginem Operis habent ferè annotatum: *Recognovi, Relegi*, unà cum nomine adſcripto ejus qui relegerat. De hac perfectiore & ab omni labe expurgatorum Codicum nota diſſerit Johannes Goodvvinus in Praefat. ad Editionem Caeſaris ad uſum Delphini, additque in Thuano quodam MS. Codice operum Caeſaris ad marginem lib. 2. de Bello Gallico haec verba exſtare. *Julius Celſus Conſtantinus V.C. legi*. Et ad librum 3. *Flavius Licorius Firminus Lupicinus legi*. Codex non abſimilis exſtat in Bibl. noſtra Taurin. Hi ſiquidem ſcriptionem ſuam cum aliis optimae notae Codicibus contulerant, ejuſque rei annotatione certum reddebant integri atque incorrupti operis documentum.

Digitized by Google

tum. Equidem Julius Celſus quingentos circiter annos poſt Chriſtum natum ſcripta Caeſaris recenſuerat, quorum approbationem adjunxit. Hoc in argumento pari eruditione ac labore verſatus eſt Frid. Lindenbrogius ad celebrem editionem operum Terentii Pariſ. 1602. in 4. cujus in Praefatione obſervat, haſce notas occurrere in melioribus MSS. Codd. qui Romae, Florentiae aliiſque in Bibliothecis aſſervantur. Inter alia obſervat in Terentio Vaticano hanc legi notam. *Hordogarius ſcripſit, & Calliopus Scholaſticus recenſuit*. Quod quidem ad ſingulas ferè Comoedias repetitum eſt. Codex autem ab hujus rei antiquariae peritis aevo Caroli Magni exaratus cenſetur. Alium quoque Horatii Codicem obſervat ſic annotatum. *Vettius Agenius Baſilius Maurotius V. C. & inl. ex commendatione Dom. Exconſ. Ord. legit, & emendavit Horatium*. Similiter *Nicomachus Dexter & Victorianus VV. CC.* recognoverunt Titi Livii opera. Et ad Priſciani Codicem. *Flaccus Theodorus memorialis Sacri Scrinii Epiſtolarum, & adjutor viri magni Quaeſtoris S. Palatii, Priſcianum legi*. Huic gemina eſt alteriùs Codicis annotatio. *Criſpus Salluſtius Mileſiarum libros & Apologeticum Apulei legi, recognovi, & emendavi*. Sed de his hactenus. Sat enim percipi poteſt, quae fuerint Athanaſii prima ſub Alexandro tyrocinia in ſcribendo, & in iis quae ſcripſerat, coram Epiſcopo relegendis.

X. Quod ſi ea fuit in ſecularis Literaturae ſcriptis impenſa ſolicitudo, quanto magis in Eccleſiaſticis Chartis deſcribendis, ubi quaecumque fraus, adulteratio, & labes non ſine graviſſimo rei Chriſtianae incommodo admitti poterat. Qua in re laudandus hoc loco venit antiquiſſimus Codex Baſilicae Vaticanae Seculo V. aut ineunte aut deſinente exaratus, in quo opuſcula ſeu libri S. Hilarii de Trinitate leguntur, & hac clauſula notantur. *Contuli in nomine D. N. J. C. apud Kaſulis conſtitutus, anno quartodecimo Traſimundi Regis;* qui erat DX. Chriſti annus. Quo ſcilicet tempore imprimis collatio haec neceſſaria erat, imperitantibus tum per Italiam Gothorum Regibus Ariana impietatè infectis, quam libri illi validiſſimè oppugnabant.

bant. In Bibliotheca pariter S. Emmerami Monaſterii Ratiſponenſis Codex aſſervatur S. Auguſtini, continens tractatum in Epiſtol. S. Johannis, & ſub finem ſic annotatus. *Librum hunc pro remedio animae meae ego in Dei nomine Baturicus Epiſcopus Franxhonofurth ſcribere praecepi. Scriptus eſt autem diebus ſeptem, & in octavo correctus in eodem loco, anno VII. regiminis Epiſcopatus mei, & octingenteſimo vigeſimo tertio Dominicae Incarnationis per Hellenhardum & Dignum, Hildoïno ortographiam praeſtante*. Iccircò in Chartis Diplomatum, Donationum & ſimilium documentorum ferè ſemper adjunctum eſt: *Recognovi*.

XI. Sed in ſuſcepto argumento preſſius differentes, exempla primi Clericalis tyrocinii proferamus alia, ex quibus hoc Lectorum munus in Chartis Eccleſiaſticis deſcribendis quoddam primum eorum rudimentum fuiſſe evincamus, qui ad altiora erant provehendi. Paulus qui poſtea & Preſbyter CPnus, & dein ejuſdem Urbis Epiſcopus, ac tandem Martyr fuit, quum adhuc in adoleſcentia ageret, ordinatus Lector ſub Epiſcopo Alexandro, & Scriptor & Notarius fuit. Ideòque Nicaena Synodus inter alios Epiſcopos, quos ad Conciliaria decreta apud Eccleſias Orbis promulganda deſtinavit, Alexandrum quoque delegit, eique ut autentica exemplaria diſpergerentur, Paulum Lectorem & Notarium adjunxit. Quod habent Photiana excerpta Vitarum Metrophanis, Alexandri, & Pauli, Cod. 256.. *Alexander verò Thracibus ſimul & Illyricis communionis paciſque Eccleſiarum nuncium, ut praeſcriptum erat, tulit, ſocium itineris habens Beatiſſimum Paulum tunc Lectoris & ſubſcriptoris CPnae Eccleſiae fungentem officium*. Neque verò ab Epiſtolis tantùm Alexandro Paulus fuit, ſed & Lectorum ſcribentium Praeſes & Primicerius, cujus erat Codicum integritatem cognoſcere & atteſtari. Unde Nicaenorum decretorum exemplaria, quae ab Alexandro in Provinciis & Eccleſiis relinquebantur, Paulus ſubſignabat. Ex quo more illud ſanè profluxit, ut in vetuſtiſſimis Codicibus MSS. ſaepiùs annotationes, vel emendationes occurrant alia manu exaratae. Quod procul dubio à Lectorum Primiceriis factum eſt, ad quos & recognoſcere & ſi opus foret, emen-

Digitized by Google

emendare Codices ipſos pertinuit. Qua in re omnium loco eſſe poteſt inſigne teſtimonium S. Gregorii Nyſſeni in epiſt. 12. ex his quas ope MSS. Codd. imprimis Bibliothecae Vaticanae, Vir praeſtantiſſimus mihique amiciſſimus Laurentius Zachagnius Romae anno 1697. in Tom. 1. Collectaneorum Sacrorum me potiſſimum & ſuadente & probante vulgavit. Verba S. Doctoris pag. 382. ſunt ejuſcemodi. *Quum rerum ferè omnium, quae poſſeſſores ſuos felices faciunt, pauperes nos Cappadoces ſimus, prae ceteris tamen eorum penuria laboramus, qui deſcribendis libris operam navant; idque ſanè cauſſa fuit cur tam ſerò te literis alloquar. Nam cum ante multum temporis haereſeos confutationem elucubraſſem, hominis, qui illam tranſcriberet, copia non erat;* [*tanta*] *Librariorum penuria nobis eſt, quae ſanè in eam opinionem nos haud immeritò poteſt* [*abducere*] *ut Sacerdotes vel ad ſcribendum infirmi atque imbecilles eſſe videamur. Quoniam verò nunc Dei munere nobis adeſt & qui deſcribat, & qui ab aliis deſcripta corrigat, miſi vobis non muneris loco, quemadmodum Iſocrates ait, tractatum iſtum.* Ex quibus duo facilè colligas, alterum uſque adeò ad ſcriptorum Eccleſiaſticorum diſciplinam neceſſarios fuiſſe Exceptores librarios Notarioſque, ut Gregorius ob illorum defectum vel à literis ad Collegas ſuos conſcribendis ſibi temperandum eſſe duxerit; alterum verò fuiſſe ex eo Notariorum ordine & qui deſcriberent, & qui ab aliis deſcripta pro munere ſuo recognoſcerent atque emendarent.

XII. Eadem fuerunt prima Chryſoſtomi rudimenta ſub Meletio, cujus Diſcipulus, Lector, & Notarius erat. De quo Marcellinus Comes. *Johannes Antiochiae natus, ibique à Meletio ejuſdem Civitatis Epiſcopo eodemque Confeſſore Lector Eccleſiae ordinatus eſt, per ſingulos officii gradus aſcendit.* Similiter Palladius in Hiſtoria Lauſiaca prodit Evagrium Ponticum, de quo infra, in eo Clericalis tyrocinii curriculum explevìſſe, ut Caeſareenſis Eccleſiae Lector ordinatus pro Notarii munere Magno Baſilio inſerviret. Huc referas quod in martyrio S. Geneſii Arelatenſis, apud Surium 25. Auguſti legitur. *Sanctus itaque Geneſius in juventutis flore primaevo provincialis militiae tyrocinium ſuſcepit,*

eam

Digitized by Google

eam officii partem ſtudio & arte complexus, quae Patronorum verba, vel nova ſignorum velocitate vel dexterae, ſonum vocis aequaret, ſpiritalem futurae gloriae imaginem praefigurans, & qui praecepta divina celeritate audiret, ea fidelibus notis piae mentis exciperet. Et Ennodius quoque in vita S. Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi: *Notarum in ſcribendo compendia & figuras varias verborum multitudinem comprehendentes brevi aſſecutus, in Exceptorum numero dedicatus enituit.*

XIII. Jam verò ad miniſteria Lectorum progrediamur. Et ex his quidem Primicerius acta omnia Eccleſiaſtica colligere, relegere, atque in Scriniis recondere debuit. Quae munera fuerunt Saturi Carthaginenſis Eccleſiae Lectoris & Primicerii. Eam ob rem in Vita Julii I. Pont. apud Anaſtaſium legimus. *Hic conſtitutum fecit, ut nullus Clericus cauſſam quamlibet in publico ageret, niſi in Eccleſia, & notitia quae omnibus pro fide Eccleſiaſtica eſt, per Notarios colligeretur, & omnia monumenta in Eccleſia per Primicerium Notariorum confecta celebrarentur.* Ideſt certa, emendata, ac ſincera declararentur Primicerii ſubnotatione. Atque indidem profluxit, ut ex eorumdem Lectorum ordine conſtituerentur Scriniarii, qui publica Eccleſiaſtica ſcripta curarent, atque inſtrumenta, donationes & ſi quae erant id genus alia deſcriberent. Lectores autem fuiſſe qui ab Epiſtolis praeſertim adſtarent Epiſcopo, ex Nicolai I. Epiſtola 27. certò colligimus. *Hanc autem Epiſtolam*, aït Pontifex, *idcò more ſolito ſcribi non fecimus, quia & legatus veſter ſuſtinere non poterat, & ob Feſta Paſchalia Scriniarios noſtros, eo quod debitis vacabant occupationibus, habere ut debuimus, non valuimus.* De quibus & Iſidorus lib. 20. Orig. cap. 9. *Apud Romanos illi qui libros ſacros ſervant, Scriniarii nuncupantur.*

XIV. Conſcribendarum verò publicarum Epiſtolarum munus pertinebat ad Lectores, inter quos Scriptores erant majores & minores: quemadmodum diſcimus ex Charta Ariberti Archiepiſcopi Mediolanenſis apud Puricellum in monument. Baſilicae Ambroſianae, in qua ſcilicet numerantur ſtipendia Clericis attributa, quorum aliqui Scriptores majores, minores alii dicuntur.

Digitized by Google

tur. Minores erant quicumque in officii hujus tyrociniis ſeſe exercebant. De quibus Severus Sulpicius in vita S. Martini cap. 7. *Ars ibi, exceptis Scriptoribus, nulla habebatur, cui tamen operi minor aetas deputabatur*. Iis Epiſcopi praeficiebant alios, qui ut nitidè atque emendatè ſcriberetur, ſolicitè advigilabant. In Aquiſgranenſi enim Concilio Can. 70. & lib. 1. Capitular. cap. 68. legitur. *Et pueros veſtros non ſinite eos vel legendo vel ſcribendo corrumpere*. Et Odericus Vitalis lib. 3. pag. 485. *Ipſe propriis manibus ſcriptoria pueris & indoctis fabricabat, modum .... ab eis quotidie exigebat*. De ſubnotatione propriorum nominum quam literis ſuorum Epiſcoporum Clerici hi Notarii adjungebant, in Pontificum Decretalibus aliorumque Praeſulum ſcriptis exempla occurrunt innumera. Iidem Encyclicas aliaſve id genus Epiſtolas ad publicam rem Eccleſiaſticam pertinentes plerumque in Provincias deferebant: ut propterea ſumma fides, diligentia, & integritas in Primiceriis requirerentur. De his appoſitè Gregorius M. lib. 2. Epiſt. 22. *De rebus verò vel ornamento ejuſdem Eccleſiae, fideliter rerum inventarium facito te praeſente conſcribi. Et ne de rebus ipſis poſſit aliquid deperire, Reſpectum Diaconum, atque Stephanum Primicerium Notariorum, ut ipſarum rerum omninò gerant cuſtodiam, admoneto: interminans eis, de propria eos ſatisfacturos eſſe ſubſtantia, ſi quidquam exinde eorum negligentia fuerit imminutum*. Lectores etiam Notarii adſtabant Pontifici, dicti iccircò à latere, quos & ipſis Dominicis Curſoribus adſociabant ſingula diligenter excepturos, quae illis mandabantur. Bonifacius Pontifex quum ad Rufum Theſſalonicenſem ſcribit, ut Apoſtolica decreta vulgaret per Provincias, *Tuae*, aït, *Caritatis eſt Severum Apoſtolicae Sedis Notarium animis acceptiſſimum noſtris, de noſtro proprio latere deſtinatum, peractis omnibus tota celebritate dimittere, ut geſtarum ordinem rerum eodem feſtiniùs revertente noſcamus*. Haud aliter Pelagius quum ad Anilianum Comitem dimitteret Petrum Preſbyterum, ut nonnulla prout res ferebant, emendaret, ad rem ſcribit. *Huic autem ut poſſint ea quae juſſa ſunt faciliùs Domino adjuvante compleri, Projectum Notarium Sedis noſtrae adjungendum eſſe credidimus, ut participa-*

to

Digitized by Google

to conſilio quae rationabilia ſunt, exequi non morentur. Utrumque locum habes in Collectione Romana Holſtenii pagg. 64. & 239.

XV. Porrò Lectores duo plerumque authentica Literarum exemplaria conficere debuerunt, alterum quod in Provincias mittebatur, quod in Eccleſiae Scrinio aſſervabatur, alterum. Sic Cyprianus, qui Encyclicas jam in Orbem emiſerat, eas tamen in Archivis Eccleſiae Carthaginenſis Saturo mandat aſſervare. Quam veterem conſuetudinem teſtatur Nicolaus I. in Epiſt. ad Michaëlem Imperatorem, Tom. V. Concilior. Hard. pag. 168. *Quum autem Legati veſtri venerint, mittite, quaeſumus, & Epiſtolas authenticas, quas per Rhodoaldum & Zachariam dudum Epiſcopos miſimus, veſtrae ſcilicet Eminentiae atque Synodo, quae tunc pro ſacris Imaginibus eſſe colligenda putabatur: quatenus ſi tales permaneant apud vos, inveſtigentur: ſicque de cetero falſo dicentium, alia nos ſcripſiſſe praeter quae miſimus, labia conticeſcant. Si verò quaedam in eis habentur incerta, quae nos ſcribi non juſſimus, nec mitti voluimus, diligenter ſcrutemur, & cujus culpa ſit actum, reperiamus. Eſt enim apud vos ſocia illarum duarum, quam apud nos . . . . retinuimus pro futuro ſcilicet teſtimonio, uno tenore cum ipſis duabus expoſita, & iiſdem ſyllabis contexta per omnia.* Publicorum quoque inſtrumentorum bina fiebant authentica exemplaria, ſicuti Anaſtaſius innuit in Hadriano I. ubi agit de donatione Spoletini Ducatus facta Romanae Eccleſiae à Carolo M. *Priùs ſuper Altare B. Petri, & poſtmodum intus in ejus Confeſſione poſuit: deinde apparem ipſius donationis per eundem Etherium adſcribi faciens, intus ſupra corpus B. Petri poſuit, aliaque ejus donationis exempla ſecum deportavit.*

XVI. Conciliorum quoque & Canonum duplicia erant autographa ſcripta à Lectoribus etiam ſubſcripta. Quod in fine Actorum Synodi VI. abunde perſpicitur. Cautum in conſuetudinibus Africanae Eccleſiae fuit, ut haec publica Eccleſiaſtica ſcripta tum apud Metropolitanum, tum apud Epiſcopum primae Sedis, qui ſcilicet ordinatione erat antiquior, aſſervarentur: velut in Canone vulgò Milevitano 86. praeſcriptum legimus. *De*

Archivo

Digitized by Google

Archivo & Matricula Numidiae. Dein placuit omnibus Epiſcopis, qui in hoc Concilio ſubſcripſerunt, ut Matricula & Archivus Numidiae & apud primam Sedem ſit, & in Metropoli, ideſt Conſtantina. Quo de Canone multa eruditè diſputat Samuël Petitus, Var. Lect. lib. 3. cap. 1. Metropolis haec Conſtantina appellabatur primum Citra: ſed poſteaquam Alexander qui tyrannidem in Africa ſumſerat, Cirtae obſeſſus victuſque eſt à Rufo Voluſiano Praetorii Praefecto ſub Maxentio, Urbs illa à Conſtantino nomen accepit, ut Aurelius Victor de Caeſarib. ſcribit cap. 39. *Tum per Africam Sacerdotium decretum Flaviae Genti: Cirtaeque oppido quod obſidione Alexandri ceciderat, repoſito exornatoque, nomen Conſtantina inditum.*

XVII. Archivum Romanae Eccleſiae, in quo Scriptorum penè omnium Eccleſiaſticorum exemplaria authentica ſervabantur, luculenter memorat Anaſtaſius, qui in vita Siricii notat, generalia omnia conſtituta in Orbem Chriſtianum emiſſa conſervari in eodem Archivo. Et S. Hieronymus Rufino aſſeveranti Epiſtolam Anaſtaſii Pontificis Origenem condemnantis eſſe confictam, haec opponit lib. 2. adv. Ruf. *Si à me fictam Epiſtolam ſuſpicaris, cur eam in Romanae Eccleſiae Chartario non requiris?* Ea de cauſſà conſtituti ſunt XII. Scriniarii ex Lectorum ordine qui varia ſcripta digererent, & ne quid paterentur detrimenti, ſolerter caverent ſub unius Bibliothecarii ductu. In Eccleſia pariter Orientali eodem munere perfungebatur Chartophylax, cujus dignitatem his verbis demonſtrat Anaſtaſius in not. ad Actionem II. Synodi VIII. *Chartophylax interpretatur Chartarum cuſtos. Fungitur autem officio Chartophylax apud Eccleſiam CPnam, quo Bibliothecarius apud Romanos, indutis videlicet infulis Eccleſiaſticorum miniſtrorum, & agens Eccleſiaſtica prorſus obſequia, exceptis illis ſolis quae ad Sacerdotale ſpecialiter ac propriè pertinere probantur officium. Sine illo praeterea nullus Praeſulum aut Clericorum à foris veniens in conſpectum Patriarchae intromittitur, nullius Epiſtola Patriarchae miſſa recipitur, niſi fortè à ceteris Patriarchis mittatur, nullus ad Praeſulatum vel alterius ordinis Clericorum, ſive ad Praepoſituram Monaſteriorum provehitur, niſi iſte*

hunc

Digitized by Google

hunc approbet & commendet, *atque de illo ipſi Patriarchae ſuggerat & ipſe praeſentet*. Atque iis in Eccleſia Romana Lectoribus, & Notariis velut Primicerius videtur praefuiſſe. Quod autem Chartophylax CPnus apud Patriarcham ſuum, id Lectores Notarii apud Epiſcopos praeſtiterunt. Certè in vita S. Caeſarii Arelatenſis Meſſianus Preſbyter ſcribit. *Cum ecce vir Dei Caeſarius per eadem loca ad aliam pergeret Eccleſiam*, *Clericus cujus erat cura baculi illius portare*, *quod Notariorum officium erat*, *oblitus eſt*. Et Anaſtaſius in vita Hadriani. *Eum Clericari feciſſet quem Notariorum Regionarium in Eccleſia conſtituens*, *poſtea eum Subdiaconum fecit*. Ii verò Epiſcoporum Literis ſubſcribebant, teſtante Gregorio M. lib. 4. Epiſt. 25. *Hanc autem Epiſtolam Paterio Notario Eccleſiae noſtrae ſubſcribendam dictavimus*. Iidem quoque ad exteras Eccleſias mittebantur, quatenus an diſciplina Eccleſiaſtica juxta Canonum praeſcripta ſervaretur, ſolerter advigilarent. Sic Notarius Eccleſiae Romanae commonuit Gregorium M. auſus Johannis Ravennatenſis, qui praeter conſuetudinem Pallium uſurpaverat: ut propterea ſcripſerit idem Pontifex ad Johannem lib. 2. Epiſt. 54. *Quaedam nobis de tua Fraternitate fuerunt nuntiata*, *de quibus nobis*, *veniente illuc Caſtorio Notario Sanctae cui Deo autore praeſidemus Eccleſiae*, *ſubtiliter nos indicaſſe meminimus*.

XVIII. In Synodis ubi verba omnia & geſta ab Exceptoribus tradenda erant monumentis Literarum, Lectores imprimis hoc munere defuncti ſunt. Unde Epiſcopi majorum Eccleſiarum ſuos habebant in eis Notarios Exceptoreſque, quemadmodum dicitur Act. 1. Concil. Chalcedonenſis pag. 94. ubi acta Latrocinalis Epheſinae Synodi ad examen revocata ſunt, & Dioſcorus à Judicibus interrogatus dixit. *Unuſquiſque per ſuos Notarios ſcripſit; mei mea; religioſiſſimi Epiſcopi Juvenalis ſua; religioſiſſimi Epiſcopi Thalaſii*, *ſui*. *Erant autem & aliorum reverentiſſimorum Epiſcoporum multi Notarii excipientes*. *Sic non eſt meorum Notariorum litera*, *quia unuſquiſque proprium habet*. Generatim hos Notarios fuiſſe Lectores, ex Act. III. Chalced. perſpicuè colligitur. Nam quando Dioſcorus citabatur ad accuſatio-

nes

Digitized by Google

nes ſibi factas audiendas diluendaſque, Lector Notarius & Epiſcopi ad eum miſſi, his verbis Synodum allocuti ſunt, pag. 314. *Secundum praeceptum veſtrae Sanctitatis pergentes ad Dioſcorum in ſcriptis ei quae nobis mandata ſunt, diximus; & poſtulamus ut Himerius Lector & Notarius qui pariter nobiſcum directus eſt & excepit, dicat quae ſunt, quae à nobis dicta ſunt, & quale nobis dedit reſponſum*. Jubente igitur Paſchaſino Apoſtolicae Sedis Legato, Himerius geſta quae exceperat, legit. De ſecunda citatione ſic. *Diogenes Epiſcopus Metropolitanus Cyzici dixit: Lector Hypatius quae à Dei amantiſſimo Epiſcopo Dioſcoro excepit, huic Sanctae & magnae & univerſali recenſeat Synodo. Hypatius Lector & Notarius relegit*. Similiter Agapetus Romanus Pontifex quum navigavit CPlim, Menam Lectorem & Notarium ſecum abduxit, cujus occurrit mentio in Synodo CPna, appellaturque Notariorum Secundicerius.

XIX. Geſtis exceptis ſubſcribebant Lectores, idque pro ipſis interdum Epiſcopis ſuis abſentibus. Quod Socrates annotavit, agens de Seleucienſi Iſauriae Synodo, Hiſt. lib. 2. cap. 3. *Poſtridiè*, inquit, *cum in Eccleſiam quae Seleuciae eſt, conveniſſent, occluſis foribus perlectam fidei formulam ſubſcriptione ſua confirmarunt. Pro Epiſcopis autem nonnullis qui aberant, ſubſcripſere Diaconi & Lectores*. Quod ſiquando Eccleſia particularis profeſſionem fidei ſuae ad Eccleſias alias dirigebat, Chartae primus Lector ſubſcribere tenebatur. Quocirca profeſſio quae ab Eccleſia Ancyrana tunc admodum erroris ſuſpecta, ad alias Orbis tranſmiſſa eſt, ad hunc modum ſubnotata legitur. *Ego Elpidius Lector ejuſdem Eccleſiae ita credo & ſentio, ut hic ſcriptum eſt*. Non igitur dubitandum eſt, quin Lectorum ejuſcemodi ſubſcriptiones velut publicum fidei, integritatis, & veritatis autoramentum haberentur.

XX. Atque ex iis quae hactenus diſputata ſunt, plura velut diſciplinae axiomata conſequuntur.. I. Mirum haudquaquam eſſe in tanto Lectorum Notariorum numero, ſi uſque adeò multas epiſtolas darent quotidie reciperentque Epiſcopi. II. Nullo hinc negotio intelligitur, quid de Arcani diſciplina ſtatuendum

dum

Digitized by Google

dum ſit, dum Sacri Codices non ab aliis quam à Clericis conſcribebantur, illorumque cuſtodia Primiceriis Lectorum mandabatur. III. Juvat animadvertiſſe, ex his Lectorum tyrociniis egregios & ſtrenuiſſimos fidei defenſores prodiiſſe, quum gradatim ad Epiſcopatum pervenirent, qui jam dudum zelo doctrinaque in Eccleſiis perfulſerant. Ii verò tametſi ad ſublimiores dignitates evecti eſſent, nequaquam à Librorum Sacrorum deſcriptione ceſſabant. Scribit Fortunatus de S. Hilario in ejus vita. *Dum ſuperſtes fuit in ſeculo, aut ſcripſit Eccleſiaſticae fidei documenta, aut pugnando calcavit haeretica crimina, aut petenti tribuit miraculorum ſuffragia.* Neque enim Sanctiſſimus perinde ac doctiſſimus Vir hunc manuum laborem uſquam neglexit: ſed quod illi ab Eccleſiaſticis curis ſupererat temporis, id omne in pingendis ſacris libris conſumſit, ut indicio eſt S. Perpetui Turonenſis Epiſcopi teſtamentum anno Chr. 474. confectum, quod in Spicilegio Dacherii legitur Tom. V. pag. 106. Relinquit autem Euphronio Epiſcopo Auguſtodunenſi librum Evangeliorum, *quem ſcripſit Hilarius Pictavienſis quondam Sacerdos.* Vetus etiamnum in Eccleſia S. Gaciani Turonenſis aſſervatur Evangeliorum Codex latinus, quem à S. Hilario exaratum documento traditionis aſſeverant. Similiter S. Rembertus in vita S. Anſcharii Archiepiſcopi Bremenſis cap. 15. ſcripſit. *Porrò . . . . . . quam ſtudioſus fuerit, teſtantur Codices magni apud nos, quos ipſe propria manu per notas conſcripſit.* De quo Gualdo Corbejenſis Monachus ſic cecinit.

Quam fervens in amore Dei fuit & ſtudioſus,
Indicio libros quos ipſe notavit, habemus:
In quibus Omnipotentis laus aeterna reſultat.

Et paullò infra.

Sedis Apoſtolicae fecit decreta notare
Pluribus in foliis.

XXI. Interim vel ex ampliſſima Chartophylacis & Primicerii Lectorum dignitate ſatis aeſtimare poſſumus, quo cenſu quove loco haberentur Notarii Eccleſiaſtici Scriptores, quorum aliqui erant Antiquarii, Librarii aliqui, Exceptores Scriptoreſque ſimpli-

Digitized by Google

ſimplices plurimi. De quibus Iſidorus lib. 6. Orig. cap. 14. advertit. *Librarii iidem qui & Antiquarii vocantur. Sed Librarii ſunt qui nova & vetera ſcripſerunt, Antiquarii qui tantummodò vetera, unde & nomen ſumſerunt*. Erant igitur Antiquarii qui obſoletos vetuſtate libros componerent, deſcriberent, cuſtodirent. Quorum mentio itidem fit in L. 2. Cod. Theodoſ. de Stud. liber. Urb. Rom., & Lib. 10. Cod. de Proximis Sacr. Scrin., necnon apud Caſſiodorum Divinar. Lection. capp. 15. & 30. Ii ſacros veteres Codices accuratè deſcribentes, curabant quam emendatiſſimè edi: atque iccircò obſervante Brovverio de Fuldenſ. Antiquit. lib. 1. cap. 11. conſilio Alcuini à Carolo M. reſtituti ſunt, quatenus Divinos Codices Veteris ac Novi Tti ſeu Librariorum vitio, ſeu temporum injuria multipliciter deformatos, & ab integritate ſua longè quidem abductos, ad veterum exemplarium fidem revocarent emendarentque. Porrò Librarii uſualis ſcriptionis periti libros exarabant: Exceptores autem per notas excipiebant omnia quae ab Epiſcopis ſuis ſive in Conventibus Synodalibus, ſive in Concionibus dicebantur. Unde S. Auguſtinus in epiſt. 108. *Si enim Notarius non mendoſè excepit, aut ſcripſit*. Et in epiſt. 110. *A Notariis Eccleſiae excipiuntur quae dicimus*. Quod ſaepè etiam occurrit in Collatione Carthaginenſi. Plerumque in tabulis cereis excipiebant, ac ſubinde in Chartis ex integro & cum notarum explicatione tranſcribebant.

XXII. Diu multumque perduravit officium hoc Lectorum in ſingulis Eccleſiis, quouſque Monachis in hanc ſcribendi atque exſcribendi artem, in qua mirificè inclaruerunt, intentis, paullatim in Clero miniſterii hujus neceſſitas deſiit. De hac Monachorum ſolicitudine exſtant hodieque vetuſtiſſimae illorum regulae: & ex multiplicibus praeceptis nitidae ac luculentae ſcriptionis ſat edocemur, eos in hoc officii genere egregiè verſatos eſſe, cauſſamque tribuiſſe, cur hoc antiquiſſimum Lectorum munus deſierit.

Digitized by Google

§. V.

De Archidiaconi miniſterio in Encyclicis aliiſque Chartis Eccleſiaſticis conficiundis.

S Y N O P S I S.

I. *Dignitas Archidiaconorum proponitur.* II. *Athanaſii Archidiaconi labores in Cauſſa Ariana.* III. *E Lectoribus Primiceriis doctrina praeſtantioribus Archidiaconi ſaepius adlecti.* IV. *Eorum ſolertia in refellendis Novatoribus exemplo Athanaſii commendatur.* V. *Epiſcopis ſuggerebant quid è re foret in literis ſuis complecti & pertractare.* VI. *Archidiaconorum munus plurimum ab Haereticis ipſis fuiſſe habitum exemplo Eunomii oſtenditur.* VII. *Itidem Aëtii exemplo.* VIII. *Aëtii Archidiaconi Arianorum labores quàm profecerint.* IX. *Idem publicè ex officio docere viſus eſt.* X. *Mirum in modum haereſim amplificavit, populoſque fuco illius muneris decepit.* XI. *Archidiaconi Epiſcopis ſuis ſive Diſputantibus, ſive Concionantibus adſtare conſueverunt.* XII. *Illuſtratur id exemplo Meletii Antiocheni.* XIII. *Inter diſputandum adeſſe Epiſcopo* à Secundis *dicebantur.* XIV. *Exemplum hac in re Athanaſii Archidiaconi.* XV. *Similiter exemplum Concilii CPni ſub Conſtantio.* XVI. *Quae fuerint in eo Concilio Aëtii partes.* XVII. *In eodem Baſilius Caeſarenſis adſuit velut Archidiaconus Baſilii Ancyrani.* XVIII. *Ipſi Archidiacono Aëtio erant* à Secundis *Epiſcopi.* XIX. *Quae fuerit Archidiaconorum in Conciliis Autoritas.* XX. *Eorumdem cetera in Conciliis munera & officia proponuntur.*

I. ARchidiaconi officium ac dignitas plurimi ſemper haberi conſuevit, quum & Epiſcopi adminiſter atque adjutor perpetuus eſſet, & in illum Clericorum omnium ac Fidelium oculi poſt Epiſcopum converſi eſſent. Quod quidem id lucrifacere ſolebat, ut prae Sacerdotibus ipſis ſuorum Epiſco-

porum

Digitized by Google

porum ſucceſſor eligeretur. Cujus rei in Pontificali, ceterarumque Eccleſiarum hiſtoria occurrunt exempla innumera. Uſque adeò ut Eulogius apud Photium Cod. 182. referat, Romae ex veteri quadam conſuetudine Archidiaconum defuncto Pontifice eligi Succeſſorem. Sed cum noſtri inſtituti non ſit, praerogativas Archidiaconorum omnes recenſere, ſat erit eorum officia perſequi in Encyclicis Literis & Eccleſiaſticis Chartis obeunda. Quae ad tria capita redigi poſſe videntur. I. Illorum partes ac munera exquirendo quoties publica ſcripta ab Epiſcopis edebantur. II. In Sacris Concionibus ac publicis fidei diſputationibus. III. In Conciliis & actorum illorum cuſtodia, quae ad fidem & Eccleſiam quomodocumque pertinerent.

II. Acta S. Athanaſii Archidiaconi Alexandrini, quae ſuperiori de Lectoribus Notariis diſputationi locum praebuerunt, eadem huic quam inſtituimus materiem ſuggerunt & documenta. Atque haec quidem Theodoritus Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 26. de Athanaſio ſcribit. *Cum admirabilis ille Epiſcopus Alexander, qui Arii blaſphemiam expugnavit, per quinque menſes à Synodo Nicaena vivendi finem feciſſet, Alexandrinae Eccleſiae Praeſulatum Athanaſius ſuſcepit: vir à puero divinis literis innutritus, & in ſingulis Eccleſiaſtici ordinis gradibus ſumma cum admiratione verſatus. Qui cum in magno illo Concilio Nicaeno pro Apoſtolicae doctrinae defenſione certamen ſubiiſſet, à propugnatoribus quidem veritatis laudem retulit: eorum verò qui veritati adverſabantur utpotè aemulus, hoſtis, ac inimicus exſtitit. Verſabatur autem in convictu eximii Alexandri, aetate juvenis ipſe quidem, ſed Princeps ordinis Diaconorum.* Quod Alexandro Epiſcopo in tuendis fidei dogmatis fuit Athanaſius, id aliis fuerunt Epiſcopis ſuis Archidiaconi. Quocirca Johannes Abbas de Reliquiarum S. Glodeſindis tranſlatione agens, ita ad rem ſcribit. *Hujus rei novitas dum ad notitiam ſupra memorati Pontificis perveniſſet, morarum impatiens, mox in craſtinum ad hoc inſpiciendum Sacrorum Miniſtros cum Archidiacono majore, quem cor Epiſcopi dicunt, direxit.* Tanta Epiſcopum inter & Archidiaconum neceſſitudo erat.

III. Hinc in Archidiaconis exquiſitioris doctrinae praeſtantia requirebatur. Quamobrem plerumque ex Primiceriis Notariorum qui ob ſcriptionem, emaculationemque Chartarum Eccleſiaſticarum non aſpernabili fulgebant dignitate, Diaconi eligebantur, & ex Diaconis deinde Archidiaconi. Jugis enim illa exercitatio in rebus ad fidem, ad diſciplinam & ad Eccleſias ſuas qualitercumque pertinentibus longè aptiſſimos atque inſtructiſſimos reddebat viros ad miniſterium Archidiaconatus eligendos. Athanaſius primum Lector fuit: itidem Notarii munus primum exercuit Paulus Martyr & CPnus Epiſcopus. Chryſoſtomum ſumma doctrina excelluiſſe quando à Meletio Epiſcopo è Lectore factus eſt Archidiaconus, eundemque graviſſima certamina ſubiiſſe cum pro Meletii defenſione, tum adverſùs haereſes quae Antiochenam Eccleſiam miſerrimè diſtrahebant, nemo ignorat. Itidem ſumma nominis celebritate fruebatur Evagrius Ponticus quum Archidiaconus CPnus à S. Gregorio Nazianzeno electus eſt. Et ille quidem Eccleſiae primum Caeſareenſis à S. Baſilio Lector ordinatus fuerat. De quo Palladius in Hiſt. Lauſiaca cap. 86., ſubjungens. *Poſt Baſilii obitum à Gregorio Nyſſeno Diaconus factus, & à Gregorio Nazianzeno, quum CPnum Epiſcopatum accepit, Archidiaconus Eccleſiae ejuſdem.* Concinit Sozomenus lib. 6. Hiſt. cap. 30. *Ortus hic fuit ex Urbe Iberis, quae ad Euxinum Pontum ſita eſt; Philoſophiam verò & ſacras literas didicit ſub Gregorio Epiſcopo Nazianzi. Qui dum CPnam Eccleſiam adminiſtraret, eum Archidiaconum habuit.* Addit Socrates lib. 4. cap. 23. eundem Gregorium, quum abdicato Epiſcopatu CPno, aliò divertit, ſecum abduxiſſe Evagrium, ſimulque plurimas Eccleſias reformaſſe. Temperamus ab aliis exemplis, quae priſcorum monumentorum obſervatoribus obvia ſunt & vulgò cognita.

IV. Cum itaque primis Seculis & doctrina & exercitatione plurimum poſſent Archidiaconi, ſiquae controverſia emergebat, quae remedium Encyclicarum & Tractatoriarum expoſceret, zelus & ſolertia Archidiaconi magno erat emolumento. Iccircò quum Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus Antencyclicis uteretur

Digitized by Google

retur adverſus Alexandri Alexandrini Encyclicas, & pro tuenda cauſſa Arii, quem fretus gratia Conſtantini Eccleſiae Alexandrinae reſtituere conabatur, & re & ſcriptis impavidè reſtitit Athanaſius, quemadmodum ejus vitae Anonymus autor his verbis memoriae prodidit. *Fortis miles Chriſti, & ſacrarum doctrinarum, & pietatis anteſignanus magnus ille ſtatim Athanaſius reſtitit. Et multum in eo erat, ut moneret Archiſacerdotum loco, & ad bellum contra ipſum excitans militum ducem, velut aliquis defenſor generoſiſſimus. Nam jam Archidiaconorum gradum & ordinem attigerat, in quo quum perturbaretur Aegyptus, tum verò univerſus, quantus circa Euſebium (* Nicomedienſem *) erat contentionum & aliter ſentientium numerus. Scribebat ad Regem, & clam decipiebant ejus ſimplicitatem. Athanaſio autem non erat quod quieſceret: ſed & lingua erat illi & manus promta, & cum Alexandro & ipſe coram Rege dicebat Regi, & Epiſtolis ſuis auſterioribus ſimplicitatem ejus in prave ſentientibus receptandis taxabat.* Quum ergò Aegyptus primum à Meletianis, tum ab Ario & Sequacibus ad ſchiſma atque haereſim adduci viſa eſt, Athanaſius, qui *jam Archidiaconorum gradum & ordinem attigerat*, fuit & *lingua* & *manus* Epiſcopo ſuo Alexandro, tum ſcilicet crebris adhortationibus compellens Sanctum Praeſulem ad reſiſtendum ſuborienti impietati, tum verò egregiam navans operam in ſcribendo adverſùs Euſebii Antencyclicas. Et ſive quum Alexander Principem Conſtantinum convenit, ſive quum ad eundem literas dedit, & in alloquendo ſocius, & in literis conſcribendis Evangelico vigore redundantibus invictiſſimus Orthodoxiae propugnator apparuit ſemper Athanaſius Archidiaconus. Quò pertinet & illud Metaphraſtis in Athanaſii vita ſcribentis. *Cum igitur (* Arius *) veniſſet Alexandriam, Alexander Alexandriae Epiſcopus eum non recepit, incitante eum & excitante ad hoc S. Athanaſio tunc temporis Archidiacono.* Atque id omne vi muneris ſui praeſtitiſſe Athanaſium, argumentari ex eo poſſumus, quòd nullus ei indebiti officii munera exprobrarit, quin potiùs apud Meletianos & Arianos in ſanctum juvenem exitiale conceptum ſit odium, quo integris XXX. annis graviſſimas inter perſecutiones agravit.

 V.

Digitized by Google

V. Pertinuit etiam ad Archidiaconos, relationum & epiſtolarum, quae ab Epiſcopis Orbis prodibant, ſuos Praeſules commonefacere. Sic Pontificem Sixtum Caeleſtini Succeſſorem electum, & cunctantem in die ſuae conſecrationis reſcripta ad Cyrillum & ad Orientales tranſmittere, qui de ſchiſmate fautorum Neſtorii, deque Synodo Epheſina literas dederant, Themiſon Archidiaconus providè commonuit, ne reſponſa differret. Quod ipſemet Sixtus teſtatur in epiſtola ad Cyrillum, Tom. 1. Concil. pag. 1710. *Inſiſtente igitur & ſalubriter cuncta ſuggerente Filio noſtro Themiſone Archidiacono, congruas dedimus literas ad Fratres & Coepiſcopos noſtros, ad quos poſtularunt praedicti Sacerdotes noſtri. Sufficiebant equidem & illae quas antea & per Eccleſiae CPnae Clericos, & poſtea per Diaconos tuae ſanctitatis plenas omnibus neceſſariis miſi. Sequens verò nunc tum patientiam Fraternitatis tuae, tum noſtram conſuetudinem, non dereliqui quae ſalubriter mihi ſuggeſta ſunt*. Hoc igitur ad Archidiaconos pertinuit, ſcriptionem earum Literarum Epiſcopis ſuis perſuadere, quae è publico Eccleſiae bono viderentur. Quin etiam Literis iiſdem ſubſcribebant, quemadmodum conſtat ex epiſtola Euſebii Vercellenſis ad Gregorium Baeticum, & ex Paulino Antiocheno, qui decretis in Synodo Alexandrina editis ſubſcripſit.

VI. Qui hactenus commemorati ſunt Archidiaconi ſumma & doctrinae & zeli commendatione excelluerunt, nominis non vulgaris celebritatem in ſtudiis adepti. Quod equidem in cauſſa fuit ut vel Ariani ipſi, apud quos integer Hierarchicus Ordo & Clericalium dignitatum cenſus permanſit, ad Archidiaconorum gradum viros ſuae Sectae eruditiſſimos evexerint. Euxodius poſt invaſum Patriarchatum Antiochenum ſecum ipſe reputans & perpendens adversùs Aëtium & puros Arianos validiſſimum Semiarianorum agmen pugnare, Eunomium deſignavit Archidiaconum, qui pro nativa & facili in dicendo diſputandoque facundia prolatandis Arianae Sectae finibus apprimè erat comparatus. Is nihilominus priuſquam gradum ſuſciperet, ſtudiis ſeſe omni contentione addixit. Unde ſcribit Philoſtor-

loſtorgius lib. 4. Hiſt. cap. 5. *Eudoxium, Eunomium ad Diaconatum promoviſſe: ipſum verò priuſquam accuratè ad doctrinam perveniſſet, miniſterium non ſuſcepiſſe.* Ordinem ſuſcepit quidem Eunomius, miniſterium verò Archidiaconi tandiu diſtulit, quouſque & ſemetipſum inſtructiorem doctioremque videret, & Epiſcopum ſuum magna ope indigentem. Quod tunc demum contigit, quum agente & nihil non attentante Baſilio Ancyrano, multis apud Conſtantium Imperatorem criminationibus Eudoxius vexabatur. Una cum gradu & miniſterio Archidiaconi, vices tunc & defenſoris & diſputatoris aſſumſit Eunomius, & legatione ad Imperatorem ſuſcepta, placita doctrinamque Epiſcopi ſui propugnare adgreſſus eſt. Subjungit iccircò Philoſtorgius ibid. cap. 8. *Non multo verò poſt tempore cum Eunomius fama accepiſſet ea, quae à Baſilio facta fuerant, Antiochiam profectus, ordinationem Diaconi ſuſcepit, Legatuſque ad Conſtantium miſſus quo decreta ſolveret, in itinere ab his qui à Baſilio erant, captus, Midaeumque Phrygiae Urbem pulſus eſt.*

VII. In Aëtio Archidiacono luculenter gradus omnes perſpiciuntur, per quos ad dignitatem Archidiaconi quis per ea tempora eveheretur. Suſceperat ille impietatis ſemina ab Arianis, atque ab Epiſcopo Anazarbi Lector inſtitutus, operam in deſcribendis Prophetarum libris, atque in audienda eorumdem ſub Preſbytero Doctore explanatione non indiligentem navaverat. Quae quum enarraſſet Philoſtorgius lib. 3. cap. 15. haec adjungit. *Quum Evangeliſtas legiſſet, & in ſingulis inſtitiſſet, Tarſum ad Antonium perrexit, qui & ipſe è Luciani (* Martyris *) familiaribus erat, à quo Apoſtoli epiſtolas edoctus, aliquantulum temporis ei convixit, Presbyteri munus implenti: Ubi verò Antonius Ephorus factus eſt, neque amplius vacare potuit doctrinae, Aëtium inſtruenti, Antiochiam rurſus rediit, Leontiumque audivit. Erat verò Leontius tum Presbyter, & ipſe Luciani diſcipulus, qui ipſi Prophetas explicavit, & potiſſimum Ezechielis.* Hinc habes ſtudiorum methodum eo tempore obſervatam, qua primum Lectores ordinati in legendis deſcribendiſque Evangeliis tyrocinium explebant ſuum: poſtea fiebant Antiquarii, & variis apprimè

 cognitis

Digitized by Google

cognitis characteribus, vetuſtos imprimis Prophetarum libros exſcribebant. Ad haec quum ex epiſtolis B. Pauli tunc penitior Theologia depromeretur, earum explicationem ſub aliquo Preſbyterorum Doctorum audiebant, notiſque omnia quae proferebantur, deſcribebant. Tandem verò ut myſteriorum ineffabilem divinitatem veritatemque aſſequerentur, ſub altero Preſbyterorum Doctorum merebantur, qui Prophetias reſque ceteras omnes excellentioris & profundioris argumenti explanaret. Hanc olim perfectiſſimam ſacrorum ſtudiorum methodum fuiſſe habitam, vel ex eo colligimus, quod hanc Philoſtorgius Aëtio ad ſummam doctrinae commendationem attribuat, aſſiduus videlicet magiſtri ſui Eunomii Encomiaſtes, & utriuſque Haereſiarchae admirator ineptus.

VIII. Aëtius itaque cujus tyrocinia ſtudiorum, indoles animi, & doctrinae praeſtantia mirificè ab Arianis commendabantur, iis magiſtris uſus qui Arianorum primipili habebantur, purum putumque Arianiſmum adversùs tum Catholicos, tum Semiarianos, Macedonianos ceteroſque Verbi Divini hoſtes renovavit. Leontius illius magiſter vix Sedem Antiochenam occupaverat, quum nequiſſimum diſcipulum & impietatis conſortem Diaconum Antiochenum ordinavit, ut ſcribit Socrates lib. 3. Hiſt. cap. 20. *Reverſus eſt* (Aëtius) *Antiochiam Syriae, ex qua Civitate erat oriundus. Illic à Leontio qui tum Antiochenae Urbis Epiſcopatum gerebat, Diaconus eſt ordinatus.* Atque hac mente à Leontio fuiſſe electum Aëtium Archidiaconum, ut docendo publicè & ſcribendo Arianam impietatem conſtabiliret, innuunt verba Philoſtorgii lib. 3. cap. 17. aïentis, *Leontium .. .... Antiochiae Epiſcopum ordinatum, diſcipulum* (Aëtium) *ad Diaconatum promoviſſe, eique ut Eccleſiae dogmata in Eccleſia doceret, mandaſſe.*

IX. Et ſanè id etiam ad Archidiaconos vi muneris dignitatiſque pertinuiſſe, ut publicè docerent, & pro Epiſcopis ſuis apud Populos de dogmatis diſſererent, ex his quae diſputat Athanaſius in epiſt. de Synodis Arimin. & Seleucien. abunde comprobari poteſt. Agens enim ille de Aëtio & Leontio, obſervat

Digitized by Google

ſervat hac mente Aëtium ad Antiochenum Archidiaconatum à Leontio fuiſſe evectum, quatenus impietatem ſua dicendi exercitatione Populis propinaret. Ita enim Acacianos tragoediae hujus actores praecipuos S. Doctor compellat. *Cur Aëtium Arianum ut haereticum ejeciſtis?* [quod videlicet in Synodo CPna evenerat, ubi illè & damnationis & exſilii ſententiam pertulit] *praeſertim cum eadem cum eo loquamini, idemque & tibi Acaci, amicus ſit, & Eudoxio magiſter ad hanc impietatem fuerit? Atque ideò eum Leontius Epiſcopus Diaconum conſtituerit, ut ſub veſtimento ovis, & tituli Diaconi miniſterio fungens, cum tranquillitate evomere poſſet blaſphemiae verba.*

X. Igitur creatus Antiochiae Archidiaconus Aëtius, uſque adeò impietatem latè propagavit, ut ejus potiſſimum cauſſa excitata ſint jurgia à Semiarianis omnia, quae occaſionem Conciliis Ancyrano, Ariminenſi, Seleucienſi, CPno, & Antiocheno dederunt. Nam quum & frequentiſſimum auditorium haberet, & Clericorum ſcholas ſtrenuè erudiret, in tantam celebritatem nominis venit, ut quum ſub Georgio Alexandrino munere Archidiaconi fungeretur, plurimos non tam in admirationem, quàm in haereſim ſuam abduxerit: imò, quod ſcribit Philoſtorgius lib. 3. cap. 20. *Eunomius ad Fanum ſapientiae Aëtii, Antiochiam è Cappadocia profectus, ſecundò ſeſe applicuerit: Is verò illum Aëtio Alexandriae tum agenti conciliaverit; ſicque ambo juncti fuerint; hic quidem docens, ille verò ſeſe ſacris diſciplinis exercens.* Quapropter quum Archidiaconis ſcribendi gratia inſervirent Lectores Notarii, Eunomius id officii apud Aëtium ſuſcepit, atteſtante Socrate lib. 2. cap. 35. *Eunomius enim qui Notarius ejus* [Aëtii] *fuerat, & inanem illam ac verboſam diſputandi rationem ab eo didicerat, Sectae illi poſtea praefuit.* Et fuiſſe quidem cum generatim, tum imprimis ſub Aëtio Notarios Lectores plurimos, colligi ex eo videtur quod aït Socrates ibidem. *Compoſuit autem epiſtolas tum ad Imperatorem Conſtantium, tum ad quoſdam alios: in quibus longas texit diſputationes, & argumenta ſophiſtica proponit.* Quod & apud Sozomenum lib. 4. cap. 12. legimus.

XI.

Digitized by Google

XI. In Concionibus & diſputationibus publicis, quae interdum ab Epiſcopis inſtituebantur, clariùs & miniſterium Archidiaconi, & majoris praeſtantioriſque doctrinae neceſſitas elucet. Et concionanti quidem Epiſcopo nunquam non adſtabat Archidiaconus velut monitoris officio functurus. De quo Anaſtaſius Biblioth. in vita Evariſti. *Evariſtus*, inquit, *ſeptem Diaconos ordinavit qui cuſtodirent Epiſcopum praedicantem*. Atque hinc in Evariſti pſeudodecretali res ab illius Architecto accuratiùs annotata eſt. *Diaconi qui quaſi oculi videntur eſſe Epiſcopi, in unaquaque Civitate, juxta Apoſtolorum conſtituta, ſeptem debent eſſe, qui cuſtodiant Epiſcopum praedicantem*. Rationem mox ſubjungit. *Ne aut ipſe ab inſidiatoribus quoquo modo infeſtetur, aut laedatur à ſuis: aut verba divina detrahendo aut inſidiando polluantur vel deſpiciantur. Sed veritas ſpiritali redoleat fervore, & pax praedicata animi cum voluntate concordet*. Equidem Apoſtolicum inſtitutum hoc eſt. Nam Stephanus Archidiaconus & Protomartyr pro ſuſcepto munere inter diſputandum concionandumque Apoſtolos juvabat. Et Cyprianus, de quo alibi, in epiſt. ad Martyres ſcripſit. *Ut Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis & Scripturarum praeceptis gubernarent*. Generatim etiam de hoc miniſterio aïebat Chryſoſtomus Homil. 17. ad Cap. 9. epiſt. ad Hebraeos. *Diaconus in altiori loco ſtans, magna voce, terribili clamore, veluti quidam praeco, manus ſuſtollens in altum, alios quidem vocat, alios autem prohibet, alios excludit, alios introducit*.

XII. Sed quoad miniſterium Archidiaconi erga Epiſcopum concionantem oppidò praeclara ſunt, atque hic omninò deſcribenda, quae de Meletio narrat Sozomenus lib. 4. cap. 28. *Jam enim fama percrebuerat, fidem Nicaeni Concilii ab illo comprobari: idque verum eſſe exitus rei declaravit. Nam initio quidem morales dumtaxat praeceptiones publicè expoſuit: tandem verò Filium ejuſdem cum Patre ſubſtantiae eſſe palam aſſeruit. Aïunt porrò Archidiaconum qui tunc in eo Clero erat, ſtatim accurriſſe, & injecta manu adhuc loquentis os obturaſſe. Illum verò manu ſua clariùs quam voce, ſententiam ſuam ſignificaſſe. Tres enim dumtaxat digitos initio*

tio

Digitized by Google

tio protendit: deinde eiſdem retractis & compreſſis, unum tantum porrexit, manus figura deſignans multitudini ea quae ipſe ſentiret, & quae dicere prohiberetur. Cumque aeſtuans Archidiaconus, dimiſſo ore, manum Meletii apprehendiſſet, ille liberam linguam nactus, elata voce ſententiam ſuam apertiùs quam antea declaravit, auditoreſque hortatus eſt, ut Nicaenae Synodi decretis adhaereſcerent, proteſtatus eos qui aliter ſentirent, à vero aberrare. Cum autem haec eadem dicere & manu ſignificare non deſineret, pro eo atque Archidiaconus ipſum impediebat, & contentio inter utroſque eſſet non diſſimilis Pancratio; Euſtathiani clamare, gratulari, ac prae gaudio exilire coeperunt: Ariani verò animos dimiſere.

XIII. In iis autem quae ab Epiſcopo ſuſcipiebantur pro fide contentiones, proprium Archidiaconi munus erat, ut diſputatori Epiſcopo à Secundis, quod vulgò dicitur, & adjutor eſſet. Eo munere in Synodo Nicaena functus eſt Athanaſius Archidiaconus, ubi Alexander Epiſcopus Alexandrinus gravem cum Arianis diſputationem inivit. Qua de re haec literis mandavit Apollinaris, in fragmento apud Sozomenum lib. 2. cap. 17. *Poſt haec verò impietas bellum inferre non ceſſat. Sed primum quidem contra beatum hujus viri (* Athanaſii *) rectorem (* ſcilicet Alexandrum Alexandriae Epiſcopum *) armatur. Et hic tanquam Filius Patri adjutor (* συνήγορος *) aderat. Deinde verò contra hunc ipſum tunc quum ad Epiſcopatus ſucceſſionem venit, fuga quidem diu multumque uſus: Dei autem auxilio repertus, quemadmodum à beato viro qui Epiſcopatum ei tradidit, divinis indiciis praemonſtratum fuerat, non alium quam hunc ſucceſſorem ipſius fore. Nam cum is ex hac vita vocaretur, & jam morti vicinus eſſet, Athanaſium abſentem nominatim vocare coepit. Et cum alter ejuſdem nominis qui illic aderat, vocanti reſpondiſſet, iſti quidem nihil dixit, quippè quem non vocabat. Rurſus verò vocare perſtitit: Cumque id ſaepiùs fieret, is quidem qui aderat, ſilentio tranſmittebatur, deſignabatur verò is qui aberat. Quin & prophetico ſpiritu Beatus Alexander ita locutus eſt: Effugiſſe te credis, Athanaſi: nec effugies: ſignificans ſcilicet eum ad certamen vocari.* Hactenus Apollinaris.

XIV. Munus idem Athanaſii Archidiaconi recolit Socrates lib.

Digitized by Google

lib. 1. cap. 15., ubi quum illius tyrocinia in ordine Clericali narraſſet, ad rem ſubjungit. *Quem quidem jam virilem ingreſſum aetatem, Diaconum conſtituit, & Nicaeam ſecum duxit, ut in Concilio quod ibi congregatum erat, adjumento illius uteretur*. Graecè eſt expreſſius συναγωνιζόμενον αὐτῷ ἔχει. Haud aliter Gregorius Nazianzenus in Encomio Athanaſii cum à multis, tum ab hoc praeclariſſimo munere eum commendat his verbis. *Atque iccircò primum in Sancto Concilio Nicaeae habito, atque illo trecentorum & duodeviginti lectiſſimorum Virorum numero, quos Spiritus Sanctus in unum congregarat, quantum in ipſo fuit, morbum compreſſit: nondum ille quidem in Epiſcoporum numerum allectus, verum primi inter eos qui ſimul cum ipſis eò perrexerant, ordinis. Nam iſtarum rerum ſtatus erat, ut non minùs virtute quam graduum dignitate honoris praeſtantia cenſerentur*. Id igitur ex ſententia Gregorii prae ceteris Alexandri comitibus ad Athanaſium, quod Archidiaconus eſſet, pertinuit Epiſcopo ſuo diſputanti à Secundis aſſidere: non aliter atque in aliis publicis actibus Monitores intererant, qui publicè aut recitantes aut diſſerentes, ne aeſtu abrepti & fervore dicendi in tranſverſum agerentur, commonebant.

XV. Veſtigia conſuetudinis hujus longè certiora occurrunt in Synodo CPna poſt Ariminenſem & Seleucienſem praeſente Imperatore Conſtantio celebrata. Acerrimè tunc inter ſeſe contendebant Aëtiani, Acaciani, & Eudoxiani Semiarianique ceteris ſive numero, ſive potentia ſuperiores: cauſſam etiam ὁμοούσιον nonnulli tuebantur. Quorum omnium placita audire voluit Imperator Conſtantius, ſibique judicium fidei in Synodo CPna aſſumens, partes & diſputatores conſtituit. Rem prodit Philoſtorgius in Excerptis Photianis, idque iis vocibus quae ad argumentum hocce illuſtrandum plurimùm faciunt. Et quidem lib. 4. cap. 10., qui aderant diſputatores, dicuntur οἱ προαγωνισταὶ, Anteſignani. Iis adſtabant qui & συνασπίζοντες, & δευτεραγωνισταὶ à ſuppetiis, & à ſecundis nuncupabatur. Aderat pro Anomoeis Aëtius Archidiaconus, eique à Secundis Eunomius. Pro Semiarianis erant Anteſignani Baſilius Ancyranus, & Euſtathius

Digitized by Google

ſtathius Sebaſtenus Epiſcopi, atque à Secundis Baſilius Magnus tunc Archidiaconus Caeſareenſis. Sed Philoſtorgium ipſum ſuis verbis audiamus, agentem ſimul Aëtii & Eunomii cauſſam. *Imperator verò cum haec didiciſſet, omnes CPlim occurrere juſſit. Et verò ibi congregati fuerant & ex Occidente & ex Oriente, & Lybia minore omnes. Anteſignani autem erant ex parte eorum, qui ſecundum ſubſtantiam ſimilem praedicabant Baſilius & Euſtathius, cum quibus alii aderant in ſuppetiis, tum & Baſilius alter Diaconi adhuc gradum obtinens, tum dicendi facultate multis ſuperior, tum autem fiducia ad certamina communia miſſus. A parte verò eorum, qui* ἑτερούσιον *praedicabant, Aëtius quidem & Eunomius erant, qui quoad vim & autoritatem ſummum gradum obtinebant, etſi Diaconi tantum gradum ambo obtinerent. Epiſcopi autem in ſecundis poſitorum chorum adimplebant Maris & Eudoxius tum Antiochiae Epiſcopus, poſtea verò ad CPnam Sedem ſubvectus, ſed & Acacius Caeſareae Palaeſtinae .... Cum ad conventum utrimque deventum fuiſſet, Baſilius quidem eorum qui* ὁμοούσιον *praedicabant, Orator erat: qui verò* ἑτερούσιον *praedicabant, Aëtium conſtituerunt qui pro omnibus diceret, in ſecundis poſitus cum eo Eunomius.*

XVI. Addit quidem Philoſtorgius, Catholicos ſub ipſum diſputationis initium veritos eſſe Aëtium. *Ubi autem viderunt hi qui à Baſilio erant, oppoſitum ſibi ad contradicendum Aëtium, vim ejus dicendi metuentes, dixerunt: Non debere Epiſcopos cum Diacono de dogmatibus oratione congredi: cum verò dicentibus adverſariis, quod non judicium, verum veritatis inquiſitio inſtitueretur, admiſerunt, etſi inviti.* Sed perquam inſulsè captat in his Philoſtorgius occaſionem commendandi magiſtros ſuos: ſiquidem difficile captu videtur, Baſilium Ancyranum id Aëtio objicere potuiſſe, dum ipſemet à Secundis conduxerat Baſilium Diaconum, & penè recenti exemplo in magna Nicaena Synodo nullo contradicente Athanaſius Archidiaconus diſputaverat. Non erat igitur ab Archidiaconi dignitate alienum, ut publicas cum Epiſcopis diſputationes iniret.

XVII. Quod ſi quaeras, quemadmodum Baſilius M. cum Epiſcopo Ancyrano venerit ad hunc conventum, id mihi videtur

Digitized by Google

tur ex eo contigiſſe, quod ille quamquam Diaconus Legationem pro Catholicis & defenſione fidei Nicaenae ſuſceperit. Agebat tum per ea loca exſul Hilarius Pictavienſis, iſque paullò antea ad Concilium Seleucienſe miſſus, Catholicos Epiſcopos Cappadociae admonere potuit, ut de ſupradicta Legatione maturiùs aliquid deliberarent: qui proinde Baſilium Caeſareenſem Archidiaconum elegerunt, quem poſtea Baſilius Ancyranus ſibi à Secundis & adjutorem habuerit. Philoſtorgio àutem vel invito eloquentiae ac facultatis in diſſerendo Baſilii Magni commendationem vis veritatis extorſit.

XVIII. Neque etiam mirum eſt, quod Aëtio Archidiacono à Secundis adeſſent Maris, Eudoxius, & Acacius Epiſcopi. Liberum quippè erat in diſputationibus anteſignanos deligere vel Epiſcopos, vel Archidiaconos. Sic in Ariminenſi Concilio Anteſignani erant Valens & Urſacius, atque à Secundis & in ſuppetiis aderant Germinius, Auxentius, Cajus ac Demophilus. De quò Socrates Hiſt. lib. 2. cap. 27. ubi de geſtis Ariminenſibus. *Eorum ſtudium atque inſtitutum omni ope adjuvabant Urſacius & Valens, qui initio quidem Arianum dogma defenderant, poſtea verò in conſubſtantialis fidem conſenſerant, dato, ſicut dictum eſt, libello Romanae Urbis Pontifici. Quippè iſti ſemper ad eorum partem tranſibant qui plus poſſe viderentur. Quibus ſeſe adjùnxerunt* [Graecè συνελαμβάνοντο, quod propriè eſt in adjutorium & ſuppetias] *Germinius, Auxentius, Demophilus, & Cajus.* Similiter loquitur Sozomenus lib. 4. cap. 17. *Cum autem quaeri coeptum eſſet de fide, prodeuntes in medium Valens & Urſacius, adjuvantibus eos Germinio, Auxentio, Cajo, atque Demophilo.* Id quod Epiſcopi ipſi Ariminenſes in epiſt. ad Conſtantium vocarunt aſſociationem. Concinit quoque Theodoritus Hiſt. lib. 2. cap. 27.

XIX. Sed magna imprimìs autoritas Archidiaconì in Conciliis fuit. Illorum erat per ſubjectos Diaconos evocare ad Concilium & ad Seſſiones Epìſcopos, atque iis quae primum, quae poſtea tractanda eſſent, proponere. De evocatione quidem Epiſcoporum ìnſigne eſt Chalcedonenſis Synodi Act. III. teſtimonium. Nam Patres quum abeſſe Dioſcorum animadverterent,

terent, interrogarunt Aëtium, an certiorem illum actionis celebrandae feciſſet. Quibus ſic repoſuit Archidiaconus, Tom. II. Concil. pag. 311. *Pergentibus hinc Domnino, & Cyriaco Diaconibus, quemadmodum ad alios Sanctiſſimos Epiſcopos, & ad Dioſcorum .... Epiſcopum, priuſquam conſeſſus fieret, & hortantibus eum ut conveniret & ipſe in hoc Concilio, nuntiavit ſe quidem velle venire*. Dum itaque Concilia celebrabantur, nonniſi ad Archidiaconos pertinuit, eos qui aberant, evocare. Interdum etiam actione una terminata, altera in craſtinum à Diacono indicebatur: velut in Synodo CPna ſub Mena Act. V. pag. 1335. legimus. *Praedicata fuit congregatio per Samuelem Diaconum ſic: Notificamus veſtrae Caritati, quod craſtina die perficiemus memoriam SS. Patrum noſtrorum Epiſcoporum*.

XX. Legatos etiam ſi qui erant ab aliis Eccleſiis ad Synodum dimiſſi, introducebant Archidiaconi. Hinc in Romana Synodo ſub Bonifacio anno DXXX. celebrata, conſidentibus Epiſcopis, *Tribunus Archidiaconus dixit: Theodoſius vir venerabilis Theſſaliae Provinciae Echinenſis Civitatis Epiſcopus adſtans prae foribus ingredi deſiderat*. Quod in aliis legationibus perſpicere haud eſt difficile, ſi res ipſa id poſtularet. Actione IV. Chalcedonenſi Aëtii Archidiaconi elucet autoritas, omnia Patribus prout ſibi videretur proponentis. Quocirca quum Eutychiani Monachi ſuperbiuſculè eum interpellarent, pag. 426. *Epiſcopi ſedent, & tu cur loqueris?* repoſuit pro ſua dignitate Archidiaconus. *Ad ea quae per me interrogatus es à Sancto Concilio, dic.* Et in Act. II. quum lecta fuiſſet Dogmatica S. Leonis, ac nonnulli dubitationes proponerent, Aëtius illicò Encyclicas Literas B. Cyrilli in medium protulit, verbaque eadem quae à Leone uſurpata fuerant, ex illis recitavit. Haud aliter in Synodo CPna ſub Mena anno DXXXVI. habita Act. 1. quum libelli accuſationis adversùs Severum & Anthimum, qui Agapito Romano Pontifici oblati fuerant, eſſent relegendi, à Mena Lectore Apoſtolicae Sedis recitati ſunt, ut Tom. II. Concil. pag. 1202. Idem Menas Acta Romanae Synodi ſub Bonifacio ſex antea annis celebratae relegit, diciturque & Lector & Secundicerius

Nota-

Digitized by Google

Notariorum. Quemadmodum & Act. V. pag. 1309. appellatus *Menas Lectorarius & Secundicerius Notariorum Apoſtolicae Sedis;* qui proinde Acta illa integra CPlim detulit. Occurrit in eadem Actione pag. 1315. Coſmas Diaconus, Notarius, & Cartophylax, qui Epiſtolas Chartaſque publicas ab ipſomet aſſervatas huic Synodo obtulit. Erant enim in poteſtate Archidiaconi Schedae omnes & ſcriptiones publicae ſive ad fidem, ſive ad diſciplinam pertinentes. Unde Aëtius Archidiaconus, ut exempla cetera quae in Actis Conciliorum obvia ſunt, praetermittamus, paſſim ex Archivo Patriarchali Codices, libros & epiſtolas profert, & recitat in ipſa Synodo Chalcedonenſi. Sed de his hactenus. Sat enim perſpici poteſt quantum praeſidii fuerit Alexandro Alexandrino Epiſcopo in Athanaſio ſuo Archidiacono, ceteriſque Lectoribus & Notariis pro ea, cujus gratia haec à nobis inſtituta diſputatio eſt, cauſſa Arianorum per Encyclicas & Tractatorias Literas ventilanda.

§. VI.

De Antencyclica Ariomanitarum, Autore Euſebio Nicomedienſi vulgata.

SYNOPSIS.

I. *Euſebii Nicomedienſis Antencyclicae plurimum Catholicis obfuerunt.* II. *Ejus ſuaſu Literas ad Alexandrum ſcribunt Arius & Aſſeclae.* III. *Autoritas Epiſcoporum in depellendis à propria Dioeceſi contumacibus.* IV. *Varii fucandae haereſeos colores ab Ario & Euſebio adhibiti.* V. *Concilium Nicomedienſe celebratur.* VI. *Antencyclicam cum Diaconibus & Presbyteris mittit in Aegyptum, quatenus hoc praetextu arcana Conſtantini Licinio clam annunciarent.* VII. *De hoc Euſebii proditione queritur Imperator Conſtantinus.* VIII. *In factionem pertrahitur etiam Euſebius*

Caeſa-

Caeſarcenſis. IX. *Apud Eccleſias Palaeſtinae & Phoeniciae recitatur Antencyclica.* X. *Arius & Aſſeclae jactant plurimorum Praeſulum ſubſcriptiones.* XI. *His argumentis latiſſimè error diſſeminatur.* XII. *Utriuſque partis Encyclicae in Synodo Nicaena recitatae.* XIII. *Conſtantia Licinii Uxor Arianis favet ipſo tempore Concilii Nicaeni.*

I. Doctrina & Apoſtolicus Alexandri zelus, necnon Athanaſii Archidiaconi labores in Eccleſiaſticis ſcriptionibus politi planè eradicaſſent Ariomanitarum impietatem, deque ea triumphum egiſſet Catholica Eccleſia, niſi Ario acceſſiſſet Nicomedienſis Euſebius, & apud Imperatorem per ea tempora coërcendorum Barbarorum gratia Nicomediae agentem plurimum gratiae & favoris adeptus, palam & publicè non reſtitiſſet Alexandro ſcriptis ſuis Antencyclicis, quibus feliciſſimis Catholici dogmatis progreſſibus & Orientalium Eccleſiarum paci interceſſit. Enimverò controverſia nulla eſt, in qua Encyclicarum atque Antencyclicarum uſus & autoritas luculentiùs eluceat, quam in hiſce invicem oppoſitis Epiſcoporum Literis apparuerit. Nam ſi ea non fuit perſuaſio vim maximam ineſſe ſcriptionibus hiſce ad dogmata ſtabilienda, ſi pro certiſſimo veritatis indice nequaquam habitae ſunt apud Eccleſias, quid demum cauſſae fuit, cur hinc Catholici, inde verò Ariani tantopere allaborarent, ut ſuis quiſque Encyclicis numeroſiorem ſubſcribentium turbam adjungerent? Sanè qui vel Arianorum Euſebianorumque jactantiam ſecum reputat, quibus penè unum praeſidium erat in ſubſcriptionibus Eccleſiarum quarumdam ſuis Antencyclicis aſſentientium, fateatur neceſſe eſt, per haec aurea Eccleſiae tempora Encyclicas ritè ſubſcriptas velut totidem magiſteria fuiſſe exiſtimatas. Operam igitur dabimus, ut hanc Euſebianorum juxta ac Catholicorum perſuaſionem elucidemus. Ex quo & illud manifeſtè ſumus oſtenſuri, cur ſcilicet Concilii Nicaeni celebratio ſecuta ſit, etiamſi potior pars Epiſcoporum Orbis dogmati Catholico & Alexandri Encyclicis ſuffragio ſuo acceſſiſſet.

II. Arius itaque Alexandria depulſus, ad Euſebium Nicome-

Digitized by Google

dienſem olim ſub Luciano condiſcipulum & amicitiae vinculis obſtrictum per Literas ſuas confugit. Duo in favorem Arii praeſtitit Euſebius. Paulinum Tyri Epiſcopum ſequeſtrem pacis Alexandrum inter & Arium elegit, data eidem epiſtola quae legitur apud Theodoritum cap. 6. Arium deinde monuit, ut per Libellum ſupplicem Alexandro reconciliari ſtuderet. Quid egerit hac in re Paulinus Tyrius, & an literas ad Alexandrum dederit, Scriptores non enarrant. Id certò novimus, Arium ipſum ſcripſiſſe ad Alexandrum Antiſtitem ſuum Literas quae apud Epiphanium haer. 69. n. 7. & 8. leguntur, & quarum haec eſt inſcriptio. *Beato Papae & Epiſcopo noſtro Alexandro Presbyteri & Diaconi ſalutem in Domino*. Summa eſt in hac epiſtola vafrities adhibita, ut ad eum quem ſibi illi conſtituerant ſcopum conduceret, & Euſebii Antencyclicae robur adjungeret. Suae igitur improbae fidei confeſſionem enarrantes, productis mutilis quibuſdam & detruncatis Alexandri propoſitionibus, ejus ſe doctrinam pedetentim ſecutos & ſecuturos pollicentur. Qua de cauſſa verbis illis exordiuntur. *Fides illa quam & à Majoribus accepimus, & à te didicimus, Beatiſſime Papa, ejuſmodi eſt*. Et mox de Filio Dei agentes ſcribunt. *Neque verò ejuſmodi ut cum prius fuiſſet, poſtea ſit genitus, ac denuò creatus in Filium. Quemadmodum tu ipſe, Beatiſſime Papa, media in Eccleſia & conſeſſu ſaepenumero qui haec aſſererent, refutaſti*. Et poſt alia ſic de Patre aïunt. *Quare etiam ipſo Chriſto prior eſt, ut à te didicimus cum in media Eccleſia praedicares*. Praeter Diaconos & Preſbyteros in hanc impietatem conſpirantes, annotata ſunt Epiſcoporum quorumdam nomina, inter quos, aït ibi Epiphanius, erant *Epiſcopi Secundus Pentapolis, Theônas Africanus, Piſtus qui Alexandriae ab Arianis collocatus eſt*. Hoc de apparatu Antencyclicae facto ſub ipſum ferè contentionis initium, ſcribit S. Athanaſius in Apol. 2. pag. 725. *Cum Arius unde Ariomanitarum haereſis conflata eſt, ab Eccleſia per B. Epiſcopum Alexandrum ejectus eſſet, Euſebiani diſcipuli pariter & ſocii impietatis, ſemetipſos ejectos eſſe arbitrantes, multis adhortationibus Alexandro ſcripſerant, ne Arium extra Eccleſiam relinqueret*.

III.

Digitized by Google

III. Quo loco obiter animadvertere ſubit ampliſſimam tunc Epiſcoporum poteſtatem, qua rebelles & contumaces quicumque eſſent, ab Eccleſiis ſuis depulſos, novas Sedes novumque ſolum quaerere adſtringebant. Quod autem cum Ario, & rebellibus Diaconis factitavit Alexander, idipſum ab aliis plurimis factum, multis adſtruere non refert. Unum ad rei hujus illuſtrationem ſat erit exemplum Johannis Hieroſolymitani Originiſtae pertinaciſſimi, qui Catholicos Monachos, quos eſſe Antropomorphitas calumniabatur, vertere ſolum coëgit. De quo S. Hieronymus in epiſt. 62. pag. 134. haec ad Theophilum Alexandrinum ſcribit. *Nuper nobis poſtulavit, & impetravit exſilium ...... Monachus, proh dolor, Monachis minatur, & impetrat exſilium. Et hoc Monachus Apoſtolicam Cathedram habere ſe jactans. Non novit terrori notio iſta ſuccumbere, & impendenti gladio magis cervices quam manus ſubjicit. Quis enim Monachorum exſul Patriae, non exſul eſt Mundi? Quid opus eſt autoritate publica & reſcripti impendiis, & toto Orbe diſcurſibus? Tangat ſaltem digitulo, & ultrò exibimus. Domini eſt terra, & plenitudo ejus. Chriſtus loco non tenetur incluſus.* Sed ad lineam.

IV. Arius & Socii ut profeſſionem colore aliquo veritatis linirent, indicant, ſe iccircò negare Filium ex Patris ſubſtantia eſſe, ne Conſubſtantialem dicerent, & à Patre diviſum. Fatentur enim ſe conditum quidem Verbum affirmare, non tamen velut unam è creatis rebus ſubſtantiam. *Nec quemadmodum Valentinus aſſeverabat, emiſſionem quandam illum eſſe Patris foetum: aut ut Manichaeus eundem illum foetum partem eſſe dixit Patri conſubſtantialem. Neque ut Sabellius qui unitatem diviſit, & Filium Patrem appellavit. Non item ut Hierarchas lucernam è lucerna, aut lampadem in duas partes diviſam.* Et ab earum quidem haereſeon temporibus contentio excitari coepit, & nunc ab Ario vehementiùs mota eſt circa vocis ὁμοούσιος ſignificationem: cujus componendae gratia poſteriores ab Alexandro Alexandrino Encyclicae ſuperiùs expenſae prodierunt. Eodem autem quo Arius ſenſu ſcribit Euſebius Nicomedienſis ad Paulinum Tyri. *Unum quidem ingenitum, alterum autem ab eo verè & non*

non ex ejus ſubſtantia factum, nec ullo modo particeps naturae illius, nec è ſubſtantia ejus exiſtens: ſed natura & virtute prorsùs eſt diverſum; ad perfectam tamen ſimilitudinem naturae virtutiſque Factoris ſui conditum. Ex qua multiplici intelligentia ortae ſunt quae de divina Verbi natura aut eadem cum Patre, aut ſimili exarſerunt poſtea diſputationes. Subjungit verò prope finem Euſebius alloquens Tyrium Praeſulem. *Quae tu cum acceperis & juxtà conceſſam tibi divinitùs gratiam limaveris, fac ut Domino meo Alexandro quamprimum ſcribas. Nam ſi ad illum ſcripſeris, te illi perſuaſurum confido.*

V. Interea Euſebius animadvertens Alexandrum novis Encyclicis ſententiam ſuam tueri, vocemque ὁμοούσιον Catholicorum ſenſu uſurpare, indixit Nicomedienſe Concilium. Quae quum enarraſſet Sozomenus lib. 1. cap. 15. ſubjungit quemadmodum Euſebius, ceterique fautores Arii, *tanquàm injuria affecti, indignari coeperunt, & ad opinionem Arii ſtabiliendam promtiùs extiterunt. Collecta igitur apud Bithyniam Synodo, ad omnes ubique Epiſcopos ſcripſere, ut cum Arii fautoribus tanquam rectè ſentientibus communicarent*. Ejuſdem Nicomedienſis Concilii meminit etiam Nicetas Choniates in Theſauro Orthodox. Fid. lib. 5. cap. 4. eidemque CCL. Epiſcopos affirmat interfuiſſe. Verùm quandoquidem ea Synodus poſt annum CCCXXI. celebrata eſt, quando Conſtantium inter & Licinium atrociſſimè bellum gerebatur, alterum profecto dicendum, aut Nicetam ceteroquin Scriptorem haud projectae fidei inſigniter mentitum eſſe, dum tam frequentem Epiſcoporum Synodum ea tempeſtate adunari potuiſſe ſcribit; aut mentem ad eos Epiſcopos intendiſſe, qui Antencyclicam ſubinde recipientes pro Ario & Euſebio ſteterunt. Enimverò Euſebius non ignarus Paulinum Tyrium & Euſebium Caeſareenſem Ario addictos eſſe, operam dedit, ut ii primum & Antencyclicam ſuſciperent, & Ario publicè communicarent. De quo pergit ibi Sozomenus. *Legatos miſit ad Paulinum Epiſcopum Tyri, & ad Euſebium Pamphili, qui Caeſareenſem in Palaeſtina regebat Eccleſiam, & ad Patrophilum Scytopolitanum Antiſtitem: petitque ut ſibi unà cum ſuis concederetur, plebem ipſi adhaerentem*

rentem

Digitized by Google

rentem in Eccleſia colligere, eundem quem priùs Presbyterorum obtinentibus gradum.

VI. Soluto Epiſcoporum conventiculo, editaque Antencyclica, Euſebius ut impietatem qua ſuaſionibus, qua diſputationibus apud Fideles diſſeminaret, unà cum Diaconis Curſoribus Dominicis miſit Preſbyteros, qui rei exitum promoverent. Erat enim in Encyclicarum diſciplina cautum, ut ſi contradictores doctrina pollerent, Diaconis Curſoribus jungerentur Preſbyteri, iique ubi Clerus & Populus avitae diſciplinae ac fidei tenax reluctaretur, Encyclicam aut explicando, aut vendicando ſuaderent. Sed ea etiam fuit Euſebii nequities, ut Diaconis ac Preſbyteris quos per Aegyptum ceteraſque Provincias Licinio ſubjectas dimiſit, clanculum mandarit, quatenus ſpecie Antencyclicae ad Epiſcopos & Eccleſias deferendae bellicum omnem Conſtantini apparatum ejuſque ſecretiora conſilia Licinio annunciarent. Diſcimus id ex epiſtola Conſtantini, quam poſt Synodum Nicaenam direxit ad Eccleſiam Nicomedienſem, & recitat Theodoritus Hiſt. lib. 1. cap. 20. In ea Euſebium velut reum Majeſtatis inſimulat ob clandeſtinam hanc rerum Licinii clientèlam, ad cujus evidentiam ſcribit. *Certiſſimum enim argumentum eſt, cum Diaconos & Preſbyteros Euſebium affectantes, manifeſto à me comprehenſos eſſe conſtat.* Ideſt Diaconos ac Preſbyteros Eccleſiarum Licinio ſubjectarum pervagantes Eccleſias Provinciarum Conſtantini, quos occulatiores ejus miniſtri ſuſpicantes quod erat, detinuerint: quique occulta proditionis conſilia, quae ſibi ab Euſebio mandata fuerant, aperuerint.

VII. De hac Euſebii machinatione in Conſtantinum, & conſpiratione cum Licinio ſic ibidem Imperator optimus loquitur. *Quiſnam verò adeò ſimplicem plebem iſta docuit? Euſebium nimirum tyrannicae crudelitatis conſentaneus. Nam quod Tyranni* (Licinii) *cliens perpetuo fuerit, ex multis perſpici poteſt. Id enim Epiſcoporum caedes teſtantur: ſed verorum ſanè Epiſcoporum. Id crudeliſſima Chriſtianorum perſecutio apertè clamat. Nihil enim de illatis mihi contumeliis dicam, per quas cum adverſarum partium concurſus plurimum*

 laborarent,

laborarent, hic etiam oculos exploratorum contra me emiſit, & propemodum armatum miniſterium Tyranno praebuit. Nec me quiſquam imparatum eſſe exiſtimet ad harum rerum perturbationem. Certiſſimum enim argumentum eſt, cum Diaconos & Presbyteros Euſebium affectantes manifeſte à me comprehenſos eſſe conſtet. Verum haec miſſa facio: quae quidem à me non indignationis meae teſtificandae cauſſa, ſed ad pudorem eis incutiendum nunc prolata ſunt. Ex quibus & illud liquidò apparet, Licinianam in Epiſcopos perſecutionem, de qua ſuperiùs actum eſt, Euſebio conſulente ſecutam eſſe, qui quotquot Epiſcopos Catholicos ſeu veros, ut loquitur Conſtantinus, obſiſtentes Arianae perfidiae deprehenderet, caedibus & exſiliis multari à Licinio curavit. Quapropter factum eſt, ut Epiſcopi complures Euſebio ad hunc modum in Orthodoxos debacchanti captivas dederint manus, & Antencyclicae licet inviti ſubſcripſerint.

VIII. Periit ſimul cum aliis ſive Euſebii, ſive Nicomedienſis Pſeudo-Synodi Literis haec haereticalis Antencyclica, cui plurimos conſenſum praebuiſſe, & velut ex ſcintilla formidandum Catholicis incendium per Orientales regiones omnes excitatum fuiſſe, eventus ipſe docuit. Et Paulino quidem hortatore Euſebius Pamphili Caeſareenſis Primas Arium & depoſitos ab Alexandro Preſbyteros ſua communione donavit, eiſque Eccleſias attribuit, in quibus Sacerdotalia munera exercerent. De hac Euſebii Apoſtaſia Athanaſius in lib. de Decret. Synod. Nicaen. ad hunc modum ſcribit. *Quodque majoris admirationis eſt, Euſebius ex Caeſarea Palaeſtinae cum pridiè abnegaſſet, in eandem ſententiam tamen poſtridiè ſubſcripſit, quam etiam Eccleſiae ſuae legendam miſit, dicens eam eſſe Eccleſiae fidem, & Patrum traditionem; omnibuſque apparuit eum unà cum gregalibus ſuis temerè prius erraſſe, & fruſtra contra veritatem pugnaſſe. Nam tametſi eum puduit ſcriptis errorem fateri, & ut potuit ſe excuſavit; in epiſtola tamen in qua Dei Filium conſubſtantialem & ex ſubſtantia Patris exiſtere non inficiatur, clarè ſe in errore fuiſſe demonſtrat; miſerque prorsùs in eo fuit, quod ut ſe purgaret, coactus ſit Arianos accuſare, quod illi ſcriptum reliquiſſent, non fuiſſe Filium, antequam gigneretur,*

Digitized by Google

gigneretur, indeque ratiocinari vellent, eum ne ante carnis quidem nativitatem exſtitiſſe.

IX. Et mira quidem ſolertia Euſebiani apud Phoeniciae & Palaeſtinae Eccleſias promoverunt Antencyclicae recitationem decretorumque executionem. Quod opera Curſorum apud ceteras Eccleſias tanta contentione perfecerunt, ut Epiſcopis nonnullis ſubſcribentibus, vehementiſſimi excitarentur tumultus, deque praecipuo Religionis dogmate diſſidia inteſtina Populorum. Quo de conatu Euſebii Nicomedienſis ſcripſit Alexander in ſuis ad univerſum Catholicum Orbem Encyclicis. *Quoniam Euſebius is qui nunc eſt Nicomediae res Eccleſiae nutu ſuo pendere exiſtimans ..... horum Apoſtatarum patrocinium ſuſcepit, & literas quaquaverſus auſus eſt ſcribere, commendans illos, ut imperitos homines ad peſſimam Chriſtoque infenſam haereſim traducat.*

X. Arius itaque & impietatis ejuſdem Sectatores quum decreto Antencyclicae ab Epiſcopis aliquibus Phoeniciae & Palaeſtinae fuiſſent communioni reſtituti, Encyclicam & Communicatorias Literas jactare ubique, magnifacere, & remotiſſimarum etiam Provinciarum Epiſcopis annunciare non deſtiterunt. Praeclara ſunt quae in altera Encyclica ad Alexandrum CPnum ſcribit Alexandrinus Antiſtes. *Ipſi verò contra nos huc & illuc diſcurrentes, ad Collegas noſtros idem nobiſcum ſentientes proficiſci inſtituerunt: ſpecie quidem pacem & concordiam expetere ſe ſimulantes: reipſa verò quoſdam eorum blandis ſermonibus in errorem ſuum traducere conantes. A quibus etiam verboſiores epiſtolas flagitant, ut eas legentes hominibus quos ipſi deceperunt, eos pertinaciter in errore perſeverare faciant abſque ullo poenitentiae ſenſu in impietate obduratos, quaſi qui Epiſcopos idem ſecum ſentientes ac ſibi ſuffragantes habeant.* Vides apprimè perſuaſos fuiſſe Populos, unanimem Epiſcoporum in docendo conſenſionem certiſſimum praeſeferre veritatis argumentum. Quamobrem paullò ante finem ſubjungit ibi Alexander. *Omnia enim mentiuntur praeſtigiatores, nec veritatem unquam loquuntur. Circumëunt ſiquidem Civitates, nihil aliud molientes quam ut amicitiae ſpecie & ſub nomine pacis per ſimulationem & blanditias dent literas atque accipiant: Quibus mu-*

mulierculas paucas ab ipſis deceptas & peccatis onuſtas in errorem inducant. Et opera quidem ſeptingentarum Virginum quas Haereſiarcha in errorem ſuum abduxerat, primam Alexandriae ſeditionem in Alexandrum molitum eſſe, innuunt verba haec Alexandri in Encyclica, apud Theodoritum pag. 10. *Cum igitur Gentilium ac Judaeorum impiam de Chriſto ſententiam confirment, laudem ab illis omni arte, ac ratione aucupantur: ea quidem quae illi in nobis deridere ſolent, omnia confingentes: ſeditiones autem ac perſecutiones adversùs nos quotidie excitantes. Et nunc quidem ad Judicum tribunalia nos trahunt per interpellationes mulierum diſciplinam non ſervantium, quas ipſi in errorem induxerunt: nunc Chriſtianae Religioni probrum atque infamiam adſpergunt, dum juvenculae ipſorum per omnes vicos & compita turpiter circumcurſant*.

XI. Artibus utriuſque Euſebii, ceterorumque Ariomanitarum improbis machinationibus, accedente Epiſcoporum quorumdam aſſentatione & mollitie, dum Liciniano bello diſtractae erant Orientis Provinciae annis ſcil. CCCXXIII. & CCCXXIV., id nullo negotio conſecutum eſt, ut haereſis impunè diſſeminaretur. Infauſtas ejuſcemodi rerum vices potiſſimum ab Antencyclicis Literis Catholico Orbi illatas graphicè pingit Theodoritus Hiſt. lib. 6. *Hujuſmodi Literas iſti* [Euſebiani Epiſcopi] *quoque ad ſe mutuo ſcribebant, ad oppugnandam veritatem ſeſe inſtruentes. Porrò cum per Aegypti & Orientis Eccleſias hunc in modum ſparſa eſſent blaſphemiae ſemina, in ſingulis Urbibus ac vicis rixae & concertationes de divinis dogmatibus extiterunt. Reliqua autem multitudo tum factorum ſpectatrix, tum eorum quae dicebantur Judex fuit. Et alii quidem his favebant, alii illis aſſentiebantur. Prorſuſque tragoedia & luctu digna erant quae gerebantur. Neque enim extranei & hoſtes, perinde ac olim, Eccleſias oppugnabant: ſed contribules ejuſdemque tecti ac menſae participes linguis tanquam telis inter ſe mutuo dimicabant. Imò verò cum alter alterius membra eſſent, & in unum corpus coaleſcerent, adversùs ſe invicem armabantur*.

XII. Utriuſque partis Encyclicae recitatae ſunt in Synodo Nicaena.

Digitized by Google

Nicaena. Et Euſebianae quidem Antencyclicae fragmentum hoc, ex quo cetera aeſtimare licet, reſervavit S. Ambroſius, de Fide lib. 3. cap. 7. *Si verum Dei Filium & Incarnatum dicimus, ὁμοούσιον, cum Patre incipimus confiteri*. Docemur hinc in Euſebii Antencyclica vocem ὁμοούσιον imprimis exagitatam fuiſſe: quae quum dogmatis Catholici velut index eſſet, ſymbolo à Nicaenis Patribus ea de cauſſa fuit adjuncta, ſcribente ibid. S. Ambroſio. *Nam quid eſt aliud, cur ὁμοούσιον Patri nolint Filium dicere, niſi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? Sicut autor ipſorum Euſebius Nicomedienſis epiſtola ſua prodidit, dicens: Si verum, inquit, Dei Filium & incarnatum dicimus, ὁμοούσιον cum Patre incipimus confiteri. Haec quum lecta eſt epiſtola in Concilio Nicaeno, hoc verbum in tractatu Fidei poſuerunt Patres, quod id viderunt adverſariis eſſe formidini, ut tanquam evaginato ab ipſis gladio, ipſorum nefariae caput haereſis amputarent*. Encyclicam verò Alexandri in eadem Synodo fuiſſe pariter recitatam, dubitandum non eſt, cum id matura totius contentionis diſcuſſio poſtularet.

XIII. Quod ſi roges qua demum ratione fieri potuerit, ut à Preſbytero ſacris abſtento Antencyclicae tam citò & libere deferrentur, & impune per Aegytum & per Orientis Eccleſias tot diſſidia excitarentur, non unà in promtu cauſſa eſt. Locum fecere & Licinianum bellum & Conſtantia tunc Imperatrix quae Ario impenſe favebat. Verſipellis ea mulier poſt Licinii mariti obitum degens CPli dum Nicaenum Concilium habebatur, Euſebio ceteriſque ſuaſit, quatenus ſimulatione utentes Nicaenis Patribus conſenſum praeberent ſuum. Quod ex Philoſtorgio lib. 1. cap. 9. ſcribit Photius in Excerptis. *Et ipſe Philoſtorgius fatetur, omnes fidei formulae Nicaenae conſenſiſſe, excepto Secundo Ptolemaïdis, quem & Theon Marmoricae ſecutus fuerit: reliquam verò Arianorum Ephororum catervam, Euſebium Nicomediae (quem hic magnum vocat) Theognidem Nicaeae, Marin Chalcedonis, reliquamque cohortem, ad Synodum traductos: & dolo quidem, quod etiam hic ait, nempe ὁμοιούσιον ſub voce ὁμοούσιος occultantes; & tamen praeſeferentes, quaſi Synodi decreto conſentirent, Conſtantina Conſtantini Magni Sorore conſilium ad id faciendum*

dum

dum iis praebente. Paria ſunt quae in hanc rem habet Nicetas in Theſauro lib. 5. Quapropter ſcripſerat Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem. *Arius ut Orbem deciperet, Sororem Principis decepit*.

§. VII.

De Tomis Encyclicarum atque Antencyclicarum ab utraque parte confectis, & aſſervatis.

SYNOPSIS.

I. *Diſquiſitionis hujus ratio redditur*. II. *Antencyclica Arii in Orbem miſſa*. III. *Suas pariter Encyclicas in Orbem vulgat Alexander*. IV. *Earum effectus ex Sozomeno & Socrate qui fuerit*. V. *Aliae adverſus Euſebium Encyclicae Alexandri*. VI. *Expenditur Tomus Encyclicus Catholicorum*. VII. *Ariani Tomos ſuos Encyclicos jactant, iiſque fidunt cauſſam ſuam*. VIII. *Tomum Catholicorum commendat S. Athanaſius*. IX. *Patrum traditio & fides in illis comprehenſa*. X. *Lectus idem cum in Alexandrina, tum in ceteris Eccleſiis*.

I. QUum diſputatio eò jam nos deduxerit, ut in ſucceſſum Encyclicae Alexandrinae, & Euſebianae Antencyclicae inquireremus, & quemadmodum opera Ariomanitarum ſive ortae ſint ſeditiones, ſive haereſis per univerſum Orientem graſſata ſit, aperiremus; operae pretium erit diligenter illud inveſtigare, an Encyclicae & Antencyclicae Literae ab utraque contendentium parte in Tomos redactae fuerint, ad alterutrius cauſſae praeſidium momenti plurimum habiturae. Quod eò nunc libentiùs examinandum ſuſcipimus, quum Viros & in Eccleſiaſtica eruditione ſua quidem opinione inclitos, & totius rei Theologicae Criticaeque paratiſſimos arbitros non

Digitized by Google

non ita pridem ſerio, niſi fallor, affirmantes audiverimus, ejuſcemodi Collectiones, quas in Diſſert. I. Veterum Scriptorum vocibus Tomos Encyclicos appellavimus, & fidei adſtruendae gratia plurimi olim ab Eccleſiis habitas diximus, vero ac ſolido fundamento deſtitui. Danda igitur opera eſt, ut cujus diſciplinae ſpecimen aliquod prout res ferebat, alibi dedimus, eandem ineluctabilibus monumentis adſtruamus.

II. Atque ut id ex ordine aſſequamur, accuratè ſecernendae ſunt Epiſtolae ab utraque parte vulgatae. Arius imprimis quum ab Alexandro Epiſcopo jactura ſuimet gradus fuiſſet multatus, Epiſtolam ad Euſebium Nicomedienſem alteram, alteram ad Alexandrum dedit, in qua confeſſionem illam perfidiae ſuae complectebatur, quam ſupra ex Epiphanio Haer. 69. num. 7. memoravimus. Eandem & ad alios Epiſcopos miſit, quibus nondum ſcripſerat Alexander. Qua de re verba faciens Sozomenus Hiſt. lib. 1. cap. 15. enarratis diſſidiis inteſtinis ac domeſticis Alexandrinae Eccleſiae, ita ſcribit. *Cum Alexandriae hic rerum ſtatus eſſet, qui cum Ario erant, neceſſarium ſibi eſſe arbitrati, ut cujuſque Civitatis Epiſcoporum benevolentiam praeriperent, legationem ad eos mittunt. Et conſcripta fidei ſuae formula ab eis contendunt, ut ſiquidem rectè ſe habere ipſis videretur iſtiuſmodi de Deo ſententia, ſcriberent Alexandro ne ipſis ſuccenſeret: ſin minus docerent ipſos, quemadmodum ſentire oporteret. Atqui hoc illorum ſtudium non parum ipſis profuit. Etenim in omnes ferè diſperſa hujuſmodi opinione, ab univerſis Epiſcopis eadem quaeſtio paſſim agitari coepit. Et alii quidem ſcripſerunt Alexandro, ne Arium ejuſque Sectatores in Eccleſia admitteret, niſi opinionem ſuam priùs abjeciſſent: Alii verò ne id faceret obſecrabant*. Itaque profeſſio illa eadem quae ad Alexandrum miſſa eſt, fuit ceteris quoque Epiſcopis ab Ario intimata.

III. Alexander perlectis ſive Arii profeſſione, ſive Epiſcoporum commonitoriis de ea Literis, ſuam fidei dedit confeſſionem quae legitur in ejuſdem Epiſtola ad Alexandrum CPnum, apud Theodoritum Hiſt. lib. 1. cap. 4. pag. 19. à verbis illis: *Patri quidem Ingenito*, uſque ad illa verba: *quibus adverſantes*

Arius

Arius. Tomum hunc in vicinas Provincias delatum eſſe, teſtatur ipſemet Alexander ibid. pag. 21. ſcribens. *Cariſſimi atque unanimes Fratres, ſuffragamini nobis adversùs furioſam illorum audaciam perinde ac Collegae noſtri qui indignati ſunt, & nobis Epiſtolas ſcripſerunt adversùs illos, & Tomo noſtro ſubſcripſerunt*. Nomine Tomi intelligebat Aetas illa profeſſionem & exegeſim fidei, ut in Commentariis ad Chalcedonenſem Adlocutionem data opera oſtendemus. Ad quos verò Alexander ſuam illam profeſſionem imprimis miſerit, & qui eidem ſubſcripſerint, ille idem innuit, dum ſcribit. *Quae etiam ad vos miſi per Filium meum Apionem Diaconum partim ex univerſa Aegypto & Thebaïde, partim ex Lybia & Pentapoli: item ex Syria, Lycia, Pamphylia, Aſia, Cappadocia aliiſque finitimis Provinciis*.

IV. Interea quum & ſeditiones in tractu Alexandrino, & quaeſtiones ab Epiſcopis aliarum Provinciarum curioſius paſſim inſtituerentur, Alexander priorem ſuam Encyclicam univerſis per Orbem Epiſcopis dedit, cujus ad hunc modum ibid. meminit Sozomenus. *Cum igitur Alexander multos ſanctioris vitae ſpecie venerabiles & dicendi arte pollentes Arianis favere animadverteret, ac praecipuè Euſebium qui tunc temporis Nicomedienſem Eccleſiam gubernabat, virum doctiſſimum magnaeque in Palatio autoritatis: cunctis ubique Epiſcopis ſcripſit, ne cum illis communicarent*. Hinc irae & furores Euſebii, qui animadvertens ſe velut caput Arianae factionis in priori illa Encyclica Alexandrina traduci, & Synodum in Bithynia celebravit, & Antencyclicam ſcripſit, qua per Aegyptum & Orientem ab Arianis vulgata, ſaeviſſimi tumultus conſecuti ſunt, ut ſaepiùs enarravimus. Unde Socrates lib. 1. cap. 6. ſcripſit. *Hujuſmodi Literis ad omnes Epiſcopos per ſingulas Urbes conſtitutos ab Alexandro datis, malum in deterius profecit, cum ii qui literas acceperant, contentiones excitarent. Et alii quidem literis conſentientes, iiſdem etiam ſubſcripſerunt: Alii verò contrarium fecere: Sed maximè omnium Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus ad diſſentiendum impulſus eſt, eo quod Alexander in ſuis literis nominatim ipſum perſtrinxiſſet. Porrò Euſebius tunc temporis plurimum poterat, propterea quod Imperator de-*

gebat

Digitized by Google

gebat Nicomediae. Illic enim paullò ante Diocletianus Palatium aedificaverat. Hanc igitur ob cauſſam multi Epiſcopi Euſebio obſequebantur.

V. Eccleſiarum pacem & unitatem peſſumdabat Nicomedienſis Antencyclica, quum Alexander alias exaravit literas ad majorum Sedium Antiſtites, easque ut res ferebant, Tractatorias & Dogmaticas, quarum una eſt quae ad Alexandrum CPnum inſcripta etiamnum legitur. Neque verò dubitandum eſt, quin praecipuarum Eccleſiarum Epiſcopi Alexandro reſcripſerint, quum & maxima controverſiae gravitas, & recepta Encyclicarum diſciplina id planè exigeret, quemadmodum paullò infra teſtimonio Socratis contigiſſe docebimus.

VI. Itaque Catholicorum Encyclicus Tomus has ferè literas complectebatur. I. Editam ab Alexandro profeſſionem fidei una cum literis & ſubſcriptionibus Epiſcoporum Aegypti totius, necnon Aſiae & confinitimarum Provinciarum. II. Encyclicam in Synodo Alexandrina conditam & ad Orbis Epiſcopos tranſmiſſam, cum eorumdem reſponſivis & ſuffragatoriis, ut loquebantur, epiſtolis. III. Encyclicam Tractatoriam quae ad Epiſcopos majorum Sedium data eſt, ſimul & illorum reſcripta conſentientia. Scripta haec omnia aetate Socratis aſſervabantur, qui ibid. ſcribit. *In hunc modum cum contrariae utrimque Literae ad Epiſcopum Alexandriae mitterentur, utriuſque partis Literae in unum corpus collectae ſunt.* Imò ut affirmat Hiſtoricus, pars utraque ſuum Tomum confecit. *Et Arius quidem eas quae cauſſae ſuae favebant: Alexander verò contrarias in unum volumen redegit.* Arius enim ut Orthodoxiam ſuae opinionis & teſtaretur & defenderet, Epiſcoporum Literas Antencyclicae Nicomedienſi reſponſivas conlegit, additis quoque Actis Pſeudo-Synodi Euſebianae. Eas equidem fuiſſe numero plurimas illud indicio eſt, quòd tumultus ac ſeditiones inde profluxiſſe dicantur, quia Ariani haſce Literas Epiſcoporum & ſolerter conquirerent, & imperitae plebi magnificè jactitarent.

VII. Hujuſcemodi collectiones Literarum magni fecerunt non primi ſolùm Ariomanitae, ſed Eunomiani deinceps, Aëtiani, &

Digitized by Google

& quae aliae ab hac lacuna prodierunt Religionis peſtes. Id acutè vidit Socrates, qui de aſſervato ab illis Tomo haec ibi ſubjungit. *Atque hinc Sectae illae quae noſtra aetate plurimum vigent, Arianorum ſcilicet, Eunomianorum, & eorum qui Macedoniani vocantur defenſionis ſuae anſam arripiunt. Singuli enim Sectae ſuae Epiſtolas tanquam teſtes idoneos laudant*. Haec poſtrema verba luculenter docent, quae Veterum fuerit de Encyclicarum autoritate perſuaſio. Nam ſi idoneum erat aut eſſe videbatur Sectis illis teſtimonium, quod ex Epiſtolis Praeſulum Ario adſtipulantium ſumebatur, quid ni idem fuerit Catholicae partis praeſidium, cui major & ſanior Antiſtitum numerus adhaereſcebat? Aut ſi nihili apud Catholicos fuit uſpiam expreſſa in Encyclicis Epiſcoporum conſenſio, qua demum bona fruge in illud tantopere incubuerunt Ariani, ut eandem conſenſionem ſuae Sectae praetexerent, & parem, aut majorem, ſi Diis placuiſſet, Catholicis & Alexandro opponerent?

VIII. S. Athanaſius in Orat. I. adv. Arianos pag. 291. Codicem hunc Encyclicum apud Catholicos religioſè aſſervatum non obſcurè, nec prorsùs ambiguè repraeſentat. Ipſe velut Archidiaconi officio per ea tempora functus, quemadmodum produnt Acta Metrophanis, Encyclicas ſubſignare debuerat, Lectoribus exemplaria deſcripturis praeeſſe, & ſive ab Alexandro emiſſas, ſive ab aliis Praeſulibus ad Alexandrum datas in Archivis cuſtodire. Harum itaque rerum non ignarus S. Doctor, in memorata Oratione Arianorum fraudes refert: fideles autem graviter commonet, ne illorum verbis ſcriptiſve fidem adhibeant; quippè qui id unum quotidie machinarentur, ut aliud corde, ore aliud profitentes, incautis & rudibus illuderent. Proponit iccircò veros fidei magiſtros quibus obaudiendum eſt, & quorum ſcripta perinde ac tutiſſima ſunt amplectenda. *Qualia ſunt*, inquit, *magni illius & Confeſſoris Hoſii, Maximini Galliae, aut ejus Succeſſoris, aut Philogonii, aut Euſtathii Orientis Epiſcoporum, aut Julii & Liberii Romanorum Epiſcoporum, aut Cyriaci Myſiae, aut Piſti & Ariſtaci Graeciae Epiſcoporum,*

porum, aut Sylveſtri & Protogenis Daciae, aut Leontii & Eupeſychii Cappadociae Epiſcoporum, aut Caeciliani Africae, vel Euſtorgii Italiae, aut Capitonis Siciliae, aut Macarii Hieruſalem, aut Alexandri Conſtantinopoleos, aut Pedrotis Heracleae, vel magni illius Meletii, Baſilii, & Longiani cum ceteris Ponti Armeniaeque Pontificibus; vel Lupi & Amphionis Confeſſoris Epiſcoporum Ciliciae, vel Jacobi & reliquorum Meſopotamiae Praeſulum, aut noſtri Beati Alexandri, ceterorumque qui cum eo ſunt ejuſdem ſententiae. Nihil eſſet quod in his Scripturis ſuſpicarere: ſincera enim & ſimplicia Apoſtolicorum virorum ingenia ſunt.

IX. In hoc nobiliſſimo Athanaſii teſtimonio methodum perſpicimus in adſtruendis ex SS. Patrum conſenſione dogmatis adhibendam. Accuratè enim inquiſitis & excuſſis Epiſcoporum ſcriptis, qui per ſingulas Mundi plagas rexerunt ſpectabiliores Eccleſias & in una totius Orbis communione perſtiterunt, illud ferè unum & certiſſimum Catholicae veritátis argumentum aſſequimur, quod ex Omnipotentis Dei virtute ac bonitate ſuam Eccleſiam indeſinenter moderantis hauddubiè proficiſcitur. Hanc ſanè methodum ſervatam eſſe ab Epheſina Generali Synodo quum dogma fidei contra Neſtorium declaratura erat, oſtendunt tum prima ejus Synodi Actio, tum Vincentius Lirinenſis in II. Commonitorio. Sed quod ad praeſentem diſputationem facit, verba illa Athanaſii ſunt annotanda. *Noſtri Beati Alexandri ceterorumque qui cum eo ſunt ejuſdem ſententiae*. Quae ut dictum eſt, Encyclicum hunc Tomum in cauſſa Ariana confectum indicare videntur. Neque enim ſcimus, Alexandrum lucubrationes alias edidiſſe, praeter LXX. Epiſtolas Tractatorias & Encyclicas, quae temporibus Epiphanii & Socratis collectae ſimul exſtabant cum reſponſivis literis ceterorum Epiſcopotum Alexandro conſentientium. Quamobrem quum Athanaſius laudat Alexandri, & conſpirantium Epiſcoporum ſcripta, non aliò mentem intendit quam ad eum quo de agimus, Tomum Encyclicum: atque adeò eundem opponit Arianis ſuos Tomos jactitantibus, ſuadetque Fidelibus, ut velut *idoneum teſtem* veritatis ſuſcipiant & amplectantur.

X.

Digitized by Google

X. Alterum quoque ad illuſtrandam Encyclicarum diſciplinam ex hoc Alexandrino Tomo argumentum nanciſcimur. Alexander enim quum reſponſivas Antiſtitum Literas collegiſſet, adunato utroque Clero Alexandrino & Mareötico rei totius exitum annunciavit. Id qua ratione peractum ſit, ex ipſis Alexandri verbis, quae Tom. I. Concil. Hard. pag. 310. leguntur, attentè perſpiciamus. *Alexander Presbyteris & Diaconis Alexandriae & Mareötae, praeſens praeſentibus, dilectis Fratribus, in Domino ſalutem. Tametſi jam ſubſcripſiſtis his, quae miſi ad Arium, adhortans eum ad abnegandam impietatem & ad aſſentiendum ſanae & Catholicae fidei, rectumque oſtenderitis propoſitum veſtrum & in dogmatibus conſenſum Eccleſiae Catholicae* [deſignat hoc loco Alexander Tomum, ſeu profeſſionem fidei quam ipſo contentionis initio per univerſam Aegyptum & Thebaïdem, ut obſervatum ſuo loco, miſerat] *tamen quoniam & ad omnes ubique Comminiſtros literas miſi de Ario, neceſſarium duxi, vos quidem Civitatis Clericos congregare, vos autem qui de Mareöte eſtis accerſere: praeſertim cum ex vobis Chares & Piſtus Presbyteri & Serapion & Parammon, & Soſimus & Irenaeus Diaconi ſecuti ſunt Arium, & voluerint cum illo deponi; ut & ea quae nunc ſcribuntur, noveritis, noſtrumque in his conſenſum oſtendatis, & depoſitioni Arii & Piſti adſtipulatores ſitis. Decet enimverò noſſe vos ea, quae à me praeſcribuntur, & unumquemque eadem tanquam à ſe perſcripta corde retinere.* Quibus poſtremis verbis perſpicuè innuit Alexander, ſe poſtmodum Clero eidem congregato legiſſe Encyclicas aut vulgatas aut propediem vulgandas, necnon eas quas ab Epiſcopis aliis receperat. Non aliter ac Liberius in ea quam ſupra laudavimus Epiſtola ad Conſtantium aſſeverat, ſe Literas omnes aut datas, aut receptas legiſſe Clero, legiſſe Eccleſiis & intimaſſe. Quod etiam feciſſe Ariomanitas Praeſules in altera ſua Encyclica Alexander teſtatus eſt, & eorum illaqueandae plebis ſolicitudo dubitare non ſinit. Sed de his Arianorum fraudibus & per Antencyclicas promotis diſputationibus iterato in commentationibus ad Adloqutionem Patrum Chalcedonen. cum de Antencyclica Sardicenſi Arianorum.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VIII.

De Synodo II. Alexandrina Praeſide Oſio Cordubenſi celebrata.

S Y N O P S I S.

I. *Studium Conſtantini M. pro Eccleſiae Aegyptiacae diſſidiis componendis.* II. *An Alexander Alex. poſt acceptas Conſtantini Literas ad Comitatum venerit.* III. *Oſius Alexandriam mittitur, ut Synodo praeſit.* IV. *Quid in ea ſit actum, & praeſertim quid de voce Hypoſtaſis conſtitutum.* V. *Sententia etiam dicta eſt in Colluthum.* VI. *De Iſchyra quid definitum.* VII. *Haereſis Ariana in eodem Concilio proſcribitur.*

I. AGebatur Chriſti annus CCCXXIV., quum expugnato Licinio ceteriſque hoſtibus debellatis Imperii Monarchiam ſolus obtinuit Magnus Conſtantinus. Truculentiſſimi ejuſce belli exitum deſcribit Zoſimus lib. 2. cap. 22. & ſeqq., necnon Euſebius lib. 2. de Vita Conſtantini. Ubi verò haec Licinii clades Aegyptum univerſam Conſtantino ſubjecit, cupidiſſimus Chriſtianae pacis Imperator, atque ob Religionis ſchiſmata uſque adeò gravi perculſus dolore, ut hanc Eccleſiae calamitatem reputaret ſuam, eò totus incubuit, ut res ad priſtinam tranquillitatem coërcitis ſeditionibus reſtituerentur. Statuerat equidem ſubjugatas Aegypti atque Orientis regiones ipſemet inviſere, quatenus ad componenda diſſidia inſtructior ab Eccleſiis vocaretur. Sed Licinium tametſi ad privatam conditionem redactum, hominem apprimè inquietum & turbulentum, ipſos etiam Aegyptios mobiles ſemper & ad ſeditiones pronos ac faciles verebatur. Hac de ſua profectione attendenda ſunt quae ipſemet ſcribit in Epiſtola ad Alexandrum atque ad Arium, apud Euſebium de V. C. lib. 2. cap. 69. *Atque ut doloris hac de re mei magnitudinem intelligatis, paulliſper attendite.*

dite. Nuper cum Nicomediam veniſſem, protinus in Orientem iter facere decreveram. Cumque profectionem urgerem, & majore jam ex parte vobiſcum eſſem, hujus rei nuntius conſilium noſtrum retro avertit, ne cogerer ea coram aſpicere, quae ne auditu quidem tenus tolerare me poſſe exiſtimabam. Poſthac igitur conſenſu veſtro viam mihi in Orientem aperite, quam mihi mutuis inter vos contentionibus obſtruxiſtis. Ex his tumultibus & factionibus intantum excreſcentibus per Orientis & Aegypti regiones, ut Imperator ſibi nequaquam integrum duxerit illuc proficiſci, firmius adſtruitur conjectura noſtra de Tomis Encyclicis jam tum ab utraque parte vulgatis, & apud maximam utrimque populorum partem receptis. Hinc etiam conſequitur, ut duo Alexandrina Concilia omninò ſecernenda ſint, quorum alterum anno CCCXIX. celebratum eſt, & Encyclicas contra Arianos condidit; alterum verò ſub annum CCCXXIV. praeſide Oſio Cordubênſi celebratum.

II. Si Philoſtorgio adhibenda fides eſt, Alexander acceptis Conſtantini Literis ad Comitatum profectus eſt. Sic enim referente Photio ſcribit ille lib. 1. cap. 7. *Ait* [Philoſtorgius] *ante Synodum quoque Nicaenam Alexandrum Alexandriae Epiſcopum cum Nicomediae verſaretur, & in Oſium Cordubae quique cum eo erant, Epiſcopos incidiſſet, Synodicis ſuffragiis conveniſſe de praedicando Filio Dei* ὁμοούσιῳ, *Arioque condemnando*. Nihil horum ab aliis Scriptoribus proditum eſt: Idque ſi ultrò demus non indiligenti & ſat idoneo teſti Philoſtorgio, conjectare juvabit, Alexandrum Epiſcopum poſt ſubactam à Conſtantino Nicomediam cum ceteris Licinii Provinciis illuc ubi laudes victoriae Imperatori canebantur, properare potuiſſe, ſive ut de recuperata Aegypto, ampliſſimaque conſtituta Monarchia gratularetur Imperatori, ſive ut coram reponeret Imperialibus Literis, & tum Arii improbitatem, tum Euſebii machinationes retegeret, cujus cauſſa tot in veros Epiſcopos ſub Licinio perſecutiones motae fuerant, cujuſque praeſidio & autoritate infandis erroribus & ſeditionibus univerſa Aegyptus, & integer penè Oriens urebantur. Verumtamen ſive Alexander Alexandrinus

ſuppetias

Digitized by Google

ſuppetias rogaturus Nicomediam properarit, ſive alius quiſpiam Imperatorem interpellarit, id certò novimus, delectum ab eo fuiſſe Oſium, qui & Synodum Alexandriae indiceret, & pacem unitatemque ſarciret.

III. Oſius itaque Concilio praefuturus, in quo ſi fieri potuiſſet, pars utraque diſſidentium componenda erat, & fidei unitas reſtituenda, Alexandriam profectus eſt. De quo Euſebius ibid. cap. 62. ſcripſit. *Imperator graviſſimo dolore perculſus, confeſtim ex Dei cultoribus quos circa ſe habebat, quemdam quem ob modeſtiam fidei ſpectatum, & ob Religionis confeſſionem ſuperiori tempore prae ceteris nobilitatum eſſe cognoverat, Alexandriam dirigit, ut inter eos, qui illic diſſidebant, pacem componeret.* Quis porrò fuerit Epiſcopus ille & virtutibus ſuis & confeſſione illuſtris, docet Socrates lib. 3. cap. 7. *Hoſius Cordubae in Hiſpania Epiſcopus cum ab Imperatore Conſtantino ad hoc miſſus fuiſſet, ut excitatum ab Ario tumultum extingueret.* Quae totidem penè verbis habet Sozomenus lib. 1. cap. 16. Et Acta Metrophanis apud Photium pag. 1410. *Conſtantinus mittit Alexandriam Hoſium nomine & re ſanctum, quem Hiſpaniae Civitas Corduba Epiſcopum habebat.*

IV. Alexandrinae hujus Synodi celebrationem plurimi quidem ex Veteribus memoriae prodiderunt, ſed Acta illius & decreta aetatem haudquaquam tulere. Novimus in ea de voce *Conſubſtantialis* actum eſſe, dataque occaſione uſum pariter atque intelligentiam vocis Hypoſtaſis in diſputationem veniſſe. Socrates lib. 3. cap. 5. verba faciens de Synodo Alexandrina, quae poſtmodum ſub S. Athanaſio & Euſebio Vercellenſi ſub annum CCCLXII. celebrata eſt ad graviſſimos tumultus componendos, qui ob rectam vocis hypoſtaſis intelligentiam in Oriente & potiſſimum Antiochiae fervebant, animadvertit laudatam à Patribus fuiſſe noſtri hujus Alexandrini Concilii ſententiam. Scribit enim. *Ceterum Epiſcopi qui in Alexandrino Concilio aderant, hanc praeterea quaeſtionem diligenter examinarunt, de ſubſtantia ſcilicet & hypoſtaſi. Etenim Hoſius Cordubae Hiſpaniarum Urbis Epiſcopus, cujus etiam antea mentionem fecimus, cum ab Im-*

Digitized by Google

peratore Conſtantino ad hoc miſſus eſſet, ut excitatum ab Ario tumultum extingueret: dum Sabellii Lybienſis dogma ſtudet evertere, de ſubſtantia atque hypoſtaſi quaeſtionem agitavit: quae quidem quaeſtio alteri contentioni materiam dedit. Ariani ſcilicet qui in ipſo contentionis exordio ann. CCCXVII. Sabellianiſmi incuſaverant Alexandrum Epiſcopum, calumniam eandem in hoc ſub Oſio conventu viro ſanctiſſimo & apprimè orthodoxo intentaverunt: cujus rei elucidandae gratia utraque memorata vocabula oportuit explicari. Et haec prima eſt contentionis origo circa vocem hypoſtaſis, quam ſubinde Athanaſius & Baſilius M. ſuis potiſſimum Encyclicis definiverunt, ut in Adlocutione Patrum Chalcedonenſium videbimus.

V. Actum eſt pariter de Collutho qui ſchiſma alterum Alexandriae excitaverat. Is enim tametſi Preſbyter dumtaxat eſſet, nihil tamen verebatur ſacras ordinationes exercere, & quod intolerabiliùs,auro illas & argento paciſci,quemadmodum atteſtantur Preſbyteri Mareötici in ſua epiſtola, quam recitat Athanaſius in Apologia I. pag. 732. ſubjungens. *Colluthum in gradu Presbyterii mortuum, omnemque ejus manuum impoſitionem reſciſſam, omneſque ab eo conſtitutos in Laïcorum ordinem redactos eſſe, & ſub nomine Laïcorum ad Synaxim admiſſos, adeò apud omnes conſtat, ut nemo ea de re dubitandum putet.* Siquidem verò alicujus momenti eſt ſubſcriptio, quam Gelaſius in Actis Nicaenis lib. 2. cap. 3. refert, cum eodem Collutho in hac Synodo diſpenſatum eſt, ut gradum Preſbyteratus, quum anathema Ario dixerit, retineret. Colluthi enim ſubſcriptio haec legitur. *Colluthus Presbyter conſentio praedictis, & damnationi Arii & eorum qui cum ipſo impiè ſentiunt.* Atque ad hoc Concilium eam ſubſcriptionem pertinere vel inde apparet, quod antea in Encyclicis velut Schiſmaticus ab Alexandro denunciatus ſit & habitus.

VI. De Iſchyra pariter actum eſt, qui ſemet jactitabat Preſbyterum, quum Laïcus eſſet: in quem proinde ordinem decreto Concilii hujus redactus fuit. Quod ſcribunt nuper laudati Mareötici Preſbyteri apud Athanaſium ibid. pag. 792. *Iſchyras*

nunquam

Digitized by Google

nunquam ex ſacris Eccleſiae comminiſtris fuit. Sed primum jactavit ſe Colluthi Presbyterum. Verum ita ut neminem haberet qui ipſi crederet, exceptis dumtaxat cognatis ſuis, ut qui nec unquam Eccleſiam obtinuerit, nec Clericus ab ullis, niſi qui longiùs ab illius pago habitarent, nunquam ſit creditus, ſolis dumtaxat ejus cognatis exceptis. Idemque cum talem ſibi titulum vendicaſſet, in Alexandrina Synodo in praeſentia Patris Oſii depoſitus eſt, & cum Laïcis in ordinem redactus, atque in eo ſtatu reliquum jam inde tempus permanſit.

VII. Vero quamſimillimum videtur, Patres hujuſce Concilii praeëunte Oſio poſt lectas Encyclicas & utriuſque partis momenta diſcuſſa, Arianam impietatem condemnaſſe. Nam Conſtantinus poſt hujus Synodi celebrationem Alexandrum ſummo in honore habuit, & animi adversùs Arium offenſi plurima edidit argumenta. Seditio interim autoritate & praeſentia Oſii compeſci nequaquam potuit, quum ſive ob favorem Conſtantiae, ſive ob tolerantiam Licinii nihil magis exoptantis quam ut Religio Chriſtiana aut Haereticorum incurſionibus quaſſata, aut domeſticis colliſa diſſenſionibus tandem corrueret, in animis Populorum altiſſimas jam radices egiſſet. Sed haec tempori erant permittenda. Satis fuit (quod ob monumèntorum defectum adſtruimus conjecturis) doctrinam & nomen Arii juxta Encyclicae praeſcriptam ſententiam fuiſſe anathemate petitum. Quod ſanè veritate nititur, ſi Colluthi ſubſcriptionem in hac Synodo factam eſſe arbitremur, prout diligens rei inſpectio ſuſpicari jubet. Neque enim Tomus Antencyclicus Euſebianorum in quo Epiſcopi plurimi obſecundaſſe Ario deprehendebantur, moram Oſio & Patribus dubietatem injicere poterat, cum major ſanctiorque pars Epiſcoporum Literas Alexandri velut orthodoxas ſuſcepiſſet quemadmodum Liberius Pontifex cauſſam agens Athanaſii, ſcripſit ad Imperatorem Conſtantium.

Rr 3 §. IX.

Digitized by Google

§. IX.

De Synodo Nicaena, Deque Encyclicis occaſione ejuſdem vulgatis.

SYNOPSIS.

I. *Quamobrem ſententia per Encyclicas in Arium lata potuerit à Nicaenis Patribus retractari*. II. *Encyclicarum Magiſterium velut indubium eſt habitum*. III. *Abſonum ab Apoſtolis non habetur, rem aliunde certam denuo confirmari*. IV. *Hac in re Julii Pontificis judicium*. V. *Judicium itidem Liberii Pontificis*. VI. *Cur Magiſterium Encyclicae Alexandrinae confirmandum duxerint Patres Nicaeni*. VII. *Rationes Civilis Politiae idipſum Conſtantino ſuadebant*. VIII. *Ipſe Alexander Patriarcha id cenſuit factu optimum*. IX. *Idipſum contra abnuebat Arius*. X. *Magiſterium ipſum ejuſque confirmatio pro uno eodemque habentur*.

I. AD celeberrimam omnium juxta ac utillimam aggredimur inquiſitionem de Oecumenici & Magni Nicaeni Concilii celebratione acturi, cauſſamque ſimul dicturi, cur poſt tot Synodos, poſt judicium Orbis in Catholico dogmate conſentientis, poſt magiſterium Encyclicae Alexandrinae ubique paſſim & approbatae & ſuſceptae, ampliſſimus Praeſulum conventus fuerit adhuc neceſſarius. Neque enim par eſſe videri poterat, ut quod jam firmum ratumque univerſus Orbis habuerat (ſi modo ut contendimus, habuit & definivit) iterum ad examen vocaretur, & perinde ac fluctuantibus ſententiis incerti quam in partem Antiſtites debuiſſent inflecti, ex omnibus propemodum terrae provinciis in unam Urbem commigrarent, ſuum de hac contentione judicium edituri. Gravis equidem atque in ſpeciem moleſta haec difficultas cenſeri à nonnullis poteſt: ſed quae reipſa nihili ſit apud eos qui ſecum reputent, actum id ſaepius ad plauſibiliorem clarioremque

que

que ſententiae ſemel editae confirmationem. Annon enim ſaepiſſimè contingit, ut poſteaquam dogma aliquod perſpicuis divinorum Bibliorum teſtimoniis adſtruxerimus, documenta nihiloſeciùs alia atque alia proferamus ex magiſterio Eccleſiae, aliiſque notiſſimis Theologiae praeſidiis? Sed rei hujuſcè momenta altiùs repetamus.

II. Nemo opinor inficias ierit, Encyclicae ſententiam quam Epiſcoporum Orbis ſubſcriptio, votum, & conſenſio firmarit, indubium magiſterium fidei continere. Namque ut alia ad hunc locum non revocemus, Encyclica Concilii Antiocheni, qua Paulus Samoſatenſis, ejuſque haereſis proſcripta fuit, ſimul ac judicio totius Orbis probata eſt, nullos habuit, ſi haereticos demas, oppugnatores: uſque adeò ut vel ipſum Nicaenum Concilium veſtigiis illius inhaerens fateatur ſe judicium Orbis confirmare; & qui poſtmodum ad fidem aut propugnandam aut confirmandam ſollenni ea declaratione uſi ſunt, nemine contradicente Encyclicae illius autoritatem ab ipſo judicio Catholici Orbis profluere aſſeverarint. Quod ab Euſebio Doryleenſi factum alibi animadvertimus. Haec igitur duo ſimul componi poſſunt, & judicium Orbis cuipiam Encyclicae datum eſſe, & ejus deinde confirmationem in generali aliquo Concilio promulgari. Quae Eccleſiaſtica Oeconomia multiplici etiam decreto firmata eſt.

III. Atque imprimis illud oppidò praeclarum eſt quod ex ipſis ſacris Literis edocemur. Petrus Apoſtolici Collegii Princeps divino Spiritu revelante (quod illi in viſione prophetica fuerat patefactum) praetermiſſis circumciſione & obſervatione Legalium baptizavit Cornelium ejuſque familiam integram. Factum Hieroſolymitanae Eccleſiae denunciavit, quae illud ſuffragio ſuo ac voto probavit. Actum id in Coetu Apoſtolico, in quo ut Petrus, ita ſinguli peculiari quadam largitione, infallibili divino Spiritu regebantur. Et tamen quum Hieroſolymitana Synodus celebrata eſt, perinde ac ſi res adhuc anceps ac dubia & non planè definita ageretur, iterum ad examen vocata eſt, & Synodali declaratione judicata, ut alibi latiùs diſputavimus. Oeco-

Digitized by Google

nomica haec fuit Apoſtòlorum agendi ratio, poſteros edocens, nihil repugnare quod orthodoxae veritates ſemel atque iterum declaratae ad frangendam haereticorum contumaciam iterum confirmentur.

IV. Julii Romani Pontificis ad hanc illuſtrandam ànimadverſionem accedit autoritas. Nuper obſervatum eſt, Tomos Encyclicos ab utraque parte in cauſſa Arii editos in Nicaeno Concilio fuiſſe recitatos cum Actis Conciliorum Alexandrinorum, & cum Euſebii Nicomedienſis Antencyclica, cujus lectio ſive ad cauſſae improbitatem, ſive ad proditiones ſeditioneſque Euſebii, ejuſque Presbyterorum & Diaconorum patefaciendas apprime opportuna erat. Julius itaque in epiſt. ad Orientales agens de Euſebianis qui Conventiculi ſui Antiocheni ſententiam nullatenus revocari poſſe ad examen, ſed ultrò ab Epiſcopis Occidentalibus firmandam eſſe contendebant, adducit Alexandrina Acta, eaque divino conſilio in Synodo Nicaena fuiſſe relecta affirmat. *Epiſcopi in Magna Synodo Nicaena congregati, non ſine Dei conſilio permiſerunt, prioris Synodi Acta in alia Synodo examinari*. Inquit *permiſiſſe*: quippe id neceſſe haudquaquam erat; Conſentaneum nihilominus arbitrati ſunt, ut quae olim definita fuerant, plauſibiliùs confirmarentur.

V. Eodem facit Liberii epiſtola in cauſſa Athanaſii per Legatos Luciferum Calaritanum, Pancratium Presbyterum, & Hilarium Diaconum ad Conſtantium Imperatorem miſſa, quae legitur in fragmentis Hiſtoricis S. Hilarii. Euſebianos inter & Catholicos Epiſcopos agebatur de S. Athanaſii condemnatione. Imperator Antencyclicae Conventiculi Sardicenſis impenſe favebat, dabatque operam, ut quae in illo promulgata ab Euſebianis fuerat Athanaſii depoſitio paſſim ab Epiſcopis reliquis ſubſcriberetur. Inter haec Liberius Concilium habet, & Legatos dimittit ſummopere exoptans ut generalis Synodus celebraretur, quae & Nicaenam fidem comprobaret,& examini Athanaſianam cauſſam ſubjiceret. Quapropter controverſiae rationibus enarratis, Conſtantium ſic alloquitur. *Unde iterum atque iterum manſuetudinem tuam, animum tuum Deo deditum rogo per ejus virtutem,*

qui

qui ſe in defenſione tua, quantus ſis, univerſis mortalibus approbavit, habens ante oculos ejus beneficia, qui imperium tuum in omnibus regit, haec in Coetu Epiſcoporum diligenter faciat omni cum conſideratione tractari, ut pacatis per te Deo favente temporibus, tranquillitate tua conſentiente, ſic omnia diſcutiantur, ut quae fuerint judicio Sacerdotum Dei confirmata, cum conſtiterit omnes in expoſitione fidei, quae inter tantos Epiſcopos apud Nicaeam praeſente ſanctae memoriae Patre tuo, confirmata eſt, univerſos conſenſiſſe, cum exemplo poſſint in poſterum cuſtodiri. Nullus dubitare mehercle poteſt, quin Liberius hoc loco retractari non poſtulet Nicaena decreta perinde ac ſi eorum veritas adhuc fluctuaret, ſed ut eadem plauſibiliùs & recentiùs conſtituta decretorum firmitate, pax inter Epiſcopos & Eccleſias ſarciretur. Imò ſi attentè perpendas, ipſum fidei decretum in Nicaena Synodo ſub Conſtantino aſſeverat fuiſſe confirmatum, quò non obſcurè doceat, eandem illam fidem univerſali Orbis judicio, quod in Tomo Encyclico apparebat, fuiſſe pridem conſtitutam. Sed id genus exempla dabimus plurima in ſequioribus Encyclicis enarrandis.

VI. Haec quum ita ſint, ſequitur ut cauſſam aperiamus propterquam Conſtantinus rei jam definitae tractatum in Nicaena Synodo inſtituendum, tot & aerarii ſui & Eccleſiarum impenſis promoverit. Quod quidem ſatiùs erit Priſcorum verbis elucidare, inter quos Socrates lib. 1. cap. 8, quum exitum Alexandrini Conventus ſub Oſio prodidiſſet, ſic ad rem ſcribit. *Sed malum adeò invaluerat, ut nec Imperatoris diligentia, nec autoritas illius qui Literas attulerat, quidquam profecerit. Nam neque Alexander, neque Arius his Literis molliti ſunt: & in ipſa plebe ingens tumultus & contentio graſſabatur.* Gemina ſunt quae ſcribit Sozomenus lib. 1. cap. 17. *Sed cum eventus ſpei non reſponderet, & contentio reconciliationem minimè admitteret, iſque qui ad componendam pacem miſſus fuerat, re infecta reverteretur, Imperator Synodum convocavit apud Nicaeam Urbem Bithyniae, & ad omnes ubique Eccleſiarum Antiſtites ſcripſit, ut praeſtituto die adeſſent.* In hanc quoque rem conferendus Theodoritus lib. 1. cap. 7. Eo autem temperamento uſus eſt hac in controverſia Conſtantinus,

Digitized by Google

tinus, quod in cauſſa Donatiſtarum adhibuerat. Quemadmodum enim nullatenus ambigebat de judicio Romanae Synodi, deque aliis Eccleſiaſticis Actis in cauſſa Schiſmaticorum, & nihilominus gliſcente improborum hominum factione, pacem *arbitro medio*, ut loquitur Auguſtinus in epiſt. 162., inſtauraturus, alterum Arelatenſe Concilium indulſit, non quod neceſſe eſſet, ſed quod fervorem contendentium leniri interim & deferveſcere poſſe arbitrabatur: ex quo conſecutum eſt, ut Arelatenſe Concilium & quod illi acceſſit judicium Orbis ratam ac firmam habuerit priorem Melchiadis ſententiam. Haud aliter & Arianis rebellibus ac ſeditioſis alterum poſt Alexandrinum Concilium indulſit, non quod ita res ipſa poſtularet, ſed ut moderatius tandem Arianorum impietatem compeſceret.

VII. Cauſſa fortaſſe altera ex ſuſcepti nuper imperii rationibus ad id impulit Conſtantinum. Licinius enim cui ab humaniſſimo Principe ad preces ſororis Conſtantiae ſedes conceſſa fuerat Theſſalonica, ubi privatam tranquillamque vitam ageret, uſque adeò illius clementia abuſus eſt, ut tumultus meditantem ac ſeditiones interfici oportuerit, teſte Socrate lib. 1. cap. 4. *Ad Chryſopolim Bithyniae, quod navale eſt Chalcedonenſium, devictus Licinius Conſtantino ſe dedidit. Porrò Conſtantinus captum tractavit humaniſſimè, nec ullo affectum ſupplicio, Theſſalonicae quietè & pacatè degere praecepit.* Et mox. *At ille cum aliquantiſper quievisset, collectis poſtea quibuſdam barbaris, cladem ſuam reſarcire, ac bellum reparare conatus eſt. Quo comperto, Conſtantinus eum necari mandavit: ejuſque juſſu Licinius eſt occiſus.* Anonymus Valeſianus alteram occiſionis Licinii cauſſam prodit ad Ann.cccxxv. Enarrata quippe obſidione Nicomedienſi, & victoria Conſtantini, ſic proſequitur. *Sequenti autem die Conſtantia ſoror Conſtantini uxor Licinii venit ad caſtra fratris, & marito vitam popoſcit, & impetravit. Ita Licinius privatus factus, & convivio Conſtantini adhibitus: & Martiniano vita conceſſa eſt. Sed Herculei Maximiani ſoceri ſui motus exemplo, ne iterum depoſitam purpuram in perniciem Reipublicae ſumeret, tumultu militari exigentibus in Theſſalonica juſſit occidi: Martinianum in Cappadocia.* Non ignarus itaque Conſtantinus per Aegy-

Digitized by Google

Aegyptum & Orientem, in quibus provinciis Licinius dominatus fuerat, plurimos ut aſſolet reperiri, qui illius dominatum expeterent: animadvertens etiam potentiſſimam eſſe factionem Arianorum, cui factioſiſſimae Aegypti mulieres ut ſuperiùs annotavimus, jungebantur; quaeque nullo negotio ſi acerbiùs compeſceretur, tumultus excitare ac Licinii aſſeclis in ſeditiones adjungi poterat, prudentius exiſtimavit ſumma animi moderatione hanc contentionem exigere. Non aliter atque actum eſt cum Schiſmaticis Africae poſt ſublatum Anno cccxii. Maxentium qui ibidem imperitaverat: quibus & Romanam & Arelatenſem Synodum conceſſit. In ea igitur temporum conditione cenſuit Imperator remedium Oecumenici Concilii eſſe adhibendum, quod ſcilicet neutra pars utpote Chriſtiana citra piaculum poterat detrectare. Neque hinc vel judiciorum colliſio, vel autoritatis jactura in alterutro conſequebatur. Namque unus eſt Eccleſiae ſive per Orbem diſperſae, ſive in generali Concilio adunatae magiſter & Rector Spiritus Sanctus, cujus praeſentiſſima virtute quocumque demum agat modo, in declarandis fidei dogmatis regitur ſemper & animatur.

VIII. Enimverò conducebat nemini magis quam Alexandro, illud Orbis judicium velut irretractabile tueri, quo ipſe penitùs fulciebatur. Et tamen qui remedio Encyclicarum velut praecipuo uſus eſt, is Oecumenicam Synodum celebrari conſiliis ſuis perſuaſit Conſtantino. Quapropter Epiphanius haereſi 68. num. 4. ſcripſit. *Verùm paullo poſt Alexandri Sanctiſſimi Alexandriae Epiſcopi ſtudio & hortatu Conſtantinus Synodum in Urbe Nicaena congregat*. Et de Oſii voluntate teſtatur Gelaſius lib. 2. cap. 12. *Sancta & Magna & generalis Synodus Sanctorum Patrum Nicaeae congregatorum per Beatum & Sanctum Oſium coacta eſt*. Aſſenſum praeſtitit etiam Sylveſter Pontifex, & indici Concilium voluit, qui ut ex laudata ſuperius Liberii epiſtola ad Conſtantium vidimus, decreta Alexandrinae Encyclicae laudaverat. Non haec ſecum invicem pugnant, ſed amice conſpirant, ut praeſentia Numinis in Eccleſiaſticis tractatibus appareat, qui à Praeſulibus ſua profeſſione agentibus, ſive ab iiſdem unanimi col-

Digitized by Google

collatione & diſputatione decernentibus concludantur, omnino perinde eſt. Ipſa Nicaena Synodus in ſua ad Alexandrinos Synodica apud Theodorit. lib. 1. cap. 9. magno illi Antiſtiti debere ſe aït controverſiae hujus diſcuſſionem, & ſubinde addit. *Siquid autem praeterea praeſente Domino & Cariſſimo Collega, ac Fratre noſtro Alexandro ſancitum ac definitum eſt, id ipſe vobis accuratiùs referet quippe qui geſtorum autor ac particeps exiſtat.* Itaque Alexander tametſi non ignoraret, Orbis judicium ſat firmum eſſe ac tutum, tametſi haereticos haberi noſſet Encyclicae ſuae obtrectatores, nihilominus ad ſpectabiliorem veritatis patefactionem remedium Oecumenici Concilii & probat & ſuadet, ipſeque in illo autor & praeſes cauſſam fidei inconcuſſam manere ſatagit, ipſarum Encyclicarum quae adverſus Arium prodierant, unanimi ac ſollenni confirmatione. Quae ſane omnia argumento ſunt, multiplicia quidem, ſed ejuſdem roboris ac dignitatis eſſe judicia, nec eorum alterum alteri derogare.

IX. Et hoc quidem judicium mordicus refugiebat Haereſiarcha Arius, ratus ſufficere ſibi multitudinem Eccleſiarum in Lybia praeſertim degentium. Cujus rei teſtis eſt Conſtantinus Imperator in epiſtola ad Arium & ad Arianos, cujus fragmentum recitat etiam Epiphanius haer. 69. num. 9. Integram autem legimus apud Gelaſium lib. 3. cap. 1. Porro ad improbi hominis & Sectatorum verecundiam haec ſcribit. *Cogit omnino & convehit graves & iniquas impietates, nunc quidem linguas criſpans, nunc verò iterùm miſerorum ſtudiis elata, quos ipſa praeſentes pro ſecuritate decipit ſimul & corrumpit . . . . . Quid enim ait? Aut teneamus, inquit, cujus jam compotes facti ſumus, aut fiat ſicut ipſi volumus.* Memorat Imperator & illud Arianorum dictum: *Multitudinem habemus.* Quod quidem non de plebe tantummodo jactabat Arius, ſed potiſſimùm de Praeſulibus, à quibus Sectam ſuam conflari, eam liberè agere, nec alterius judicio ſubjacere gloriabatur. Quae pronunciata multifariè velut ſuperba, rebellia, ac ſeditioſa redarguit Conſtantinus & oppugnat. Phariſaïca eadem licentia in libello profeſſionis ſuae illud edixerant: *Sic credimus.* De quo ibid. proſequitur: *Audite quae nuper mihi in-*

Digitized by Google

indicavit, calamo virus inſtillante ſcribens: Sic, inquit, credimus. Quibus verbis id Haereſiarcha docere volebat, ſe ſuoſque judicium proprium, quo perfidiam invexerant, modis omnibus tueri, idemque unum obtinere debere. Ita enim Conſtantinus ex eo Arianorum ſcripto. *Deinde addens neſcio quae inſolenter & valde accuratè elaborata, progreſſus ulterius nihil acerbitatis omiſit, ſed omnem, ut ita dicam, dementiae theſaurum aperuit. Expellimur, inquit, & receptionis noſtrae ſecuritas omnis tollitur. Sed haec parum ad rem: quae ſequuntur, attendite: ipſius enim verbis utar: Rogamus, inquit, ſi in eadem ſententia maneat Alexandriae Epiſcopus, facultatem nobis poſthac dari ex Legis praeſcripto, legitimos & neceſſarios cultus Deo tribuendi. O inſignem impudentiam, quam veritatis ſtudio reprehendi oportelat!* E re itaque Catholicorum erat, ut Nicaenum Generale Concilium celebraretur, ex quo Populi ſaltem & Plebes addiſcerent, catholicum dogma non Alexandri eſſe ſed Ecclesiae, & Chriſti, & Dei; atque una ſimul vanitatem Arianorum dignoſcerent, nunc Encyelicos Tomos ſuos, nunc aſſeclarum multitudinem vulgo jactantium.

X. Quoties igitur vel praecedit in controverſia dirimenda judicium Catholici Orbis ut evenit ſub Conſtantino, vel idem Concilio Oecumenico ſubſequitur, ut ſub Leone Imperatore per Encyclicum Tomum Chalcedonenſis Concilii confirmandi gratia emiſſum, de quo alibi prolixe, haberi perinde debet, judiciumque unum idemque exiſtimari, quia ab uno divino Spiritu movente ac dirigente proficiſcitur, & ſit licet aliquid varietatis in modo, re ipſa tamen & quoad ſubſtantiam, ut aïunt, plane non differt. Quod Imperator Conſtantinus in ea quam expendimus, atque in aliis Encyclicis plurimis inculcat, de quibus ſic Euſebius lib. 3. de V.C. cap. 24, *Sed & alia plurima ejuſmodi ſcripſit, ac pene innumerabiles exaravit epiſtolas: nunc Epiſcopis praeſcribens ea quae ad Eccleſiarum Dei utilitatem ſpectabant: nunc ipſas Plebes per literas compellans, Fratreſque & conſervos ſuos nominans Eccleſiae populos, vir beatiſſimus. Verum haec ſeparato volumine colligere, aliàs fortaſſe otium fuerit.*

§. X.

§. X.

De Encyclica Conſtantini Magni, & de Subſcriptionibus Epiſcoporum, qui Concilio abfuerunt.

S Y N O P S I S.

I. *Proponuntur Encyclicae Conſtantini adversùs Arium.* II. *Poſterioris ejuſdem Encyclicae argumentum recenſetur.* III. *Per Magiſtrianos vulgatur in Orbem.* IV. *Decretorum Nicaenae Synodi promulgatio quemadmodum inſtituta.* V. *In rebus graviſſimis ipſi Epiſcopi delecti ad Encyclicas deferendas.* VI. *Effectus inde conſecutus inquiritur.*

I. INter ceteras quas Imperator Conſtantinus Encyclicas Literas pro decretis Nicaeni Concilii firmandis in Orbem vulgavit, illuſtris illa eſt, quam adversùs Arium & Arianos editam paullò ſupra memoravimus, & de qua appoſitè Epiphanius haer. 69. num. 9. ſcripſit. *Sed nihilominus Imperator divinae fidei ardore commotus epiſtolam benè lungam & Encyclicam ad omnes Imperio Romano Subditos adversùs Arium ejuſque dogma ſcripſit omni ſapientia & veritate refertam, quae in hodiernum uſque diem eruditorum manibus teritur. Hujus initium eſt. Conſtantinus Auguſtus, Maximus . . . . Arius cum Arianis malus interpres ipſiſſima eſt imago & ſimulacrum Diaboli.* Integra autem ut advertimus, legitur apud Gelaſium. Sed & ejuſdem Principis Encyclica altera exſtat, ad Epiſcopos illos omnes inſcripta qui Nicaenae Synodo nequaquam intereſſe potuerunt. Hujus autem argumentum, & quae illi factae ſint ſubſcriptiones, juvat hoc loco inveſtigare. Et eam quidem ad Eccleſias fuiſſe tranſmiſſam nitidè certoque atteſtatur Sozomenus in fine lib. 1. ubi & Nicaenae Synodi, & Conſtantini Epiſtolas quum recenſuiſſet, de hac ſubjungit. *Porrò, ut illos etiam qui abfuerant*

tant, de rebus in Synodo feliciter confectis certiores faceret, literas ſcripſit ad omnium Civitatum Eccleſias.

II. Argumentum quod attinet, in eo ferè verſatur ut edoceat quid in Concilio actum ſit, ac potiſſimum de Verbi Divini conſubſtantialitate, deque Paſchatis celebrandi die ab univerſis ſeligendo tenendoque. Qua in re quanti faceret Eccleſiarum conſenſionem, innuit his verbis, apud Euſebium ibid. & apud Socratem lib. 1. cap. 9. *Cumque hic ordo decentiſſimus ſit, quem omnes tam Occidentalium, quàm Meridionarum, ac Septentrionarum Orbis partium Eccleſiae, & nonnullae quoque Orientalium ſervant.* Enumerat hoc loco pleraſque conſentientes Eccleſias, & ut fidei diſciplinaeque unitatem pro ipſa ſacroſanctae Religionis incolumitate ſervent, vehementer adhortatur. Praeclara ſunt quae ipſo initio in hanc rem ſcribit. *Cum ex florenti Reipublicae ſtatu compertum haberem quanta fuiſſet erga nos Omnipotentis benignitas, in hoc praecipuè mihi eſſe elaborandum exiſtimavi, ut à Sanctiſſimis Eccleſiae Catholicae Populis unà fides, ſincera caritas, & conſona ergà Omnipotentem Deum Religio ſervaretur. Sed quoniam fieri non poterat, ut ea res firmiter & ſtabiliter conſtitueretur, niſi omnibus Epiſcopis, vel certè pluribus eorum in unum congregatis, ſingula quae ad Sacratiſſimam Religionem pertinent, diſceptata prius fuiſſent: hanc ob cauſſam coactis quam fieri potuit plurimis Sacerdotibus . . . . . cuncta competenti examine eouſque diſcuſſa ſunt, donec inſpectori omnium Deo accepta ſententia ad unitatis concentum proferretur in lucem: itaut nullus diſſenſioni, nullus controverſiae de fide locus amplius relinqueretur.* Hic enim proprius erat Encyclicarum ſcopus, hoc commune Eccleſiaſticum judicium perficiebat. Unde Athanaſius in lib. de Decret. Synodi Nicaenae pag. 254. ſcripſit. *Eſt enim ibi ut Patres tradiderunt, verae diſciplinae & magiſterii argumentum, ubi eandem confitentur, nec à ſe invicem nec à majoribus diſſentiunt.*

III. Imperator has Epiſtolas vulgare per Magiſtrianos conſuevit. Prior enim illius Encyclica Epiſtola de Ario deque Arianis, quam ex Epiphanio memoravimus, & quam integram Hiſtoriae ſuae Concilii Nicaeni lib. 3. cap. 1. inſeruit

Gela-

Digitized by Google

Gelaſius, ad finem his verbis ſubnotata legitur. *Per Syncletium & Gaudentium Magiſtrianos perlata ſunt haec, quum Paterius Praefectus eſſet Aegypti: & lecta ſunt in Palatio.* Has literas Imperiales quum accepiſſent Praefecti, ad ſingulos Provinciarum Praeſules cum mandato ſuo dirigebant, quatenus recitari illas in Urbibus atque Eccleſiis curarent. Alteram quoque Encyclicam ab ipſa Synodo ad Eccleſias eodem tempore exaratam Magiſtriani Epiſcopis exhibebant, quorum ſolicitudo erat, publicè eam Clericis ac Fidelibus recitare. Haud ſecus egit Leo Imperator, quum Epiſcopos Orbis conſulturus quid de Concilio Chalcedonenſi ſentirent, Magiſtrianos quaquaverſum miſit, qui reſponſivas Epiſcoporum Literas undique ad Imperatorem retulerunt, ut ſuo loco prolixiùs diſſeremus. Hinc crebra in Eccleſiaſticis monumentis Magiſtrianorum mentio ubicumque de Scriptorum evulgatione tractatur.

IV. Nicaena pariter Synodus & fidei formulam, & cetera cum Canonibus ſuis decreta per Dominicos Curſores in Orbem vulgavit. Imò nonnullos delegit Epiſcopos, quibus id muneris tradidit, ut Provincias perluſtrarent omnes, & unitatem fidei, decretorumque obſervantiam curarent. De quibus in fine libri 2. ita ſcripſit Gelaſius. *Oſio attributae ſunt Italia, Hiſpania, & reliquae Provinciae Septentrionales ad Oceanum uſque; cui ſocios dedere duos Legatos Sylveſtri, Vincentium & Vitonem.* De Alexandro autem haec annotat. *Alexander Alexandriae cum Athanaſio tunc Archidiacono, Eccleſias per totam Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim, & Regiones finitimas, uſque ad Indiae Provincias*, Paullò aliter Acta Metrophanis CPni apud Photium Cod. 256. pag. 1411. *Hoſius quidem Cordubae Epiſcopus cum ſociis, quae in Concilio geſta erant ferens, Occidentalibus pacem & quietem attulit: Athanaſius zelo ardens Aegyptiis & Afris: Alexander verò* (CPnus) *quamvis ſenex (ſeptuagenarius enim erat) Thracibus ſimul & Illyricis Communionis paciſque Eccleſiarum nuncium, ut praeſcriptum erat, tulit, ſocium habens Beatiſſimum Paulum.* Macario tres Palaeſtinae, totidemque Arabiae cum Phoe

nicia

nicia ſunt attributae: Euſtathio Epiſcopo Antiocheno, ipſemet ampliſſimus tractus Antiochenus: Perſarum Provinciae Johanni in Perſide Epiſcopo: Leontio Caeſareenſi in Cappadocia Exarchae tota Pontica Diaeceſis. Theonae Cyziceno Epiſcopo tractus Helleſponti cum Provinciis finitimis: Alexandro Primati Theſſalonicenſi Macedonia, Illyricus, Theſſalia & Achaïa: Nunechio Laodiceae Metropolitano ambae Phrygiae: Protogenes Sardicae Epiſcopus Dardaniam, Daciam & vicinas Provincias ſuſcepit perluſtrandas: Caecilianus Carthaginenſis univerſam Africam: Piſtus Marcianopolitanus Epiſcopus Myſiam & quae circum ſunt Provincias reliquas. De hoc accuratiſſimo praecipuorum Antiſtitum delectu ſic ibi Gelaſius. *Illud ſolùm hic addere neceſſarium exiſtimavi (non extra rem eſſe arbitratus, ſed valdè accommodatum) eorum ſcilicet Epiſcoporum nomina, qui ex communi omnium Epiſcoporum conſenſu in Provincias ubique terrarum miſſi ſunt: per quos quae à Synodo fuerant judicata per Synodicas Epiſtolas, & laudatiſſimi Regis Literas, ad omnes Sanctas ſub Coelo Dei Eccleſias ſunt tranſmiſſa.*

V. Hinc mirè elucet vetus diſciplina Eccleſiae in Encyclicis promulgandis. Quoties enim aut controverſiae gravitas, aut ventilata fidei cauſſa exigebat, ſi praeſertim multitudine Sectatorum haereſis niteretur, munus illud ipſis Epiſcopis, iiſque ſeu doctrina, ſeu pietate praeſtantioribus mandabatur. Quod in cauſſis & Montaniſtarum, & Pauli Samoſateni, & Donatianorum factum eſſe, ſuis locis animadvertimus. Indidem quoque profluxit, ut ad Oecumenicas Orientalium Synodos aliquis Occidentis Epiſcopus mitteretur, qui cum Encyclica Latinarum & Occidentalium Eccleſiarum ſententiam Coëpiſcoporum ſuorum ſi res ita ferrent propugnaturus Conciliis intererat. Eo magis id ſibi agendum eſſe cenſuit Conſtantinus, qui cum totius Imperii Monarchiam adeptus eſſet, unitatem quoque Religionis & ſacrorum conſenſionem, quae magnum eſt Politici regiminis compendium, firmare conſultiſſimè ſatagebat. Quo circa pridem expertus, quum Licinianum bellum ferveret, Euſebianorum proditiones & fraudes, ſimul

Digitized by Google

cum Magiſtrianis Epiſcopos per Orbem miſit, qui Synodalia decreta Eccleſiis ſingulis annunciantes, & cum Synodicas, tum Imperiales Encyclicas recitantes, uno eodemque Religionis vinculo Populorum animos colligarent.

VI. Atque Epiſcopos hoc munere naviter defunctos eſſe, uſque adeo ut Eccleſiae omnes decretis Nicaenis magna ſuffragiorum conſenſione ſubſcripſerint, plurima ſunt quae ſuadeant. Id vel ex eo aeſtimare licet, quod Athanaſius ceterique deinceps Conſubſtantialis Trinitatis Aſſertores ſaepiſſimè ad hoc Catholici Orbis judicium appellent. Iccircò nulla vel barbarorum natio veritatem, ſanctitatem & doctrinam Concilii hujus revocavit unquam in dubium. Eadem de cauſſa praeter CCCXVIII. Epiſcoporum, ſubſcriptiones aliorum tam multiplices à Veteribus laudantur, de quibus Eutychius in Originibus apud Seldenum pag. 71. Porrò eorum omnium Epiſcoporum qui ſubſcripſerunt, nomina à Magiſtrianis, & ab Epiſcopis delata Imperatori Conſtantino fuiſſe, tam pronum exiſtimare eſt, ut opus documentis non ſit.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
AUTORUM, ET CONCILIORUM CHRONOLOGICUS.

Anni Chriſti	A
170.	*Achillarum Synodus* 102.
860.	*Ado Viennenſis* 135. 520.
125.	*AelianusClaudius* 181.
780.	*Alcuinus Flaccus* 593.
313.	*Alexander Alexandriae Eiſcopus* 526. 552. & ſeqq. 619. 624.
340.	*Alexander Theſſal.* 570.
258.	*Alexandrina Synodus ſub Dionyſio* 390.
319.	*I. ſub Alexandro* 556. & ſeqq.
324.	*Secunda ſub eodem* 625. & ſeqq.
374.	*Ambroſius Mediolan.* 335. 616.
380.	*Ammianus Marcellinus* 306.
870.	*Anaſtaſius Bibliothec.* 211. 250. 339. 351. 361. 602.
270.	*Anatolius Alex.* 444.
828.	*Anſegiſus Lobienſis* 91.
270.	*Antiochena contra Paulum Samoſ.* 430. 432.
274.	*Antiochena Heleni* 232.
341.	*Antiochena altera Orientalium* 243.
175.	*Apollinaris Claudius* 154.
372.	*Apollinaris Haereſiarcha* 603.
270.	*Apollinarius Hierapolitanus* 201.
190.	*Apollonius* 122. 125. 127. & ſeqq. 137. 156. 157.
170.	*Apollonius Epheſinus* 203. & ſeqq. 211.
177.	*Apollonius Senator* 141. 153.
123.	*Appianus Alexand.* 4. 103.

Digitized by Google

Anni
Chriſti
120. *Apullejus Lucius* 421.
Ant.Chriſt.
40. *Aquila Libertus* 578.
799. *Aquiſgranenſis Synodus* 101.
Ant.Chriſt.
270. *Ariſteas* 60.
315. *Arius* 551.
314. *Arelatenſe Plenarium ſub Sylveſtro* 177. 250. 513. & ſeqq.
123. *Ariſtides Chriſtianus Apologiſta* 133. 134.
120. *Ariſtides Sophiſta, & Orator* 104. 133.
198. *Aſiatica Synodus* 232.
188. *Aſterius Urbanus* 125. 128. 143. 144. 149. 201. 213.
326. *Athanaſius Alexand.* 60. 115. 374. 382. 390. 393. 398. 399. 414. 427. 435. 551. & ſeqq. 564. 600. 610. 614. 622.
177. *Athenagoras* 156.
196. *Athenogenes* 80. 90.
396. *Auguſtinus Aurelius* 31. 75. 115. 118. 120. 123. 184. 186. 413. 425. 461. 467. 469. 477. 480. 487. 493. 495. & ſeqq. 501. & ſeqq. 515. 520. & ſeqq. 541. & ſeqq. 546. & ſeqq. 593.
490. *Avitus Vienen.* 259. 260.
541. *Aurelianenſe C. IV.* 249. 252. 257.
380. *Auſonius Decimus M.* 516.

B

599. *Barcinonenſis Synodus* 100.
370. *Baſilius M.* 49. 80. 182. 277. 385. 426.
428. *Baſilius Monachus* 178. 259.
170. *Blaſtus* 209.

Anni
Chriſti
700. *Beda venerabilis Presbyter* 225. 234.
418. *Bonifacius PP.* 587.
563. *Braccarenſis Syn.* I. 255.
572. II. 257.
610. *Altera* 97.

C

592. *Caeſaraugustana Synodus* 256.
198. *Caeſarienſis ſub Theophilo* 226.
210. *Cajus Theologus Presbyter* 415. 425.
451. *Chalcedonenſe Oecum.* 607.
768. *Carolus M.* 97.
414. *Carthaginenſis Collatio* 81. 472. 473. 477. 556.
251. *Carthaginenſis Synodus pro Fiduciario Encyclico Decreto edendo coacta* 312. & *ſeqq.*
252. *Alia pro Decreto Encyclico Peremtorio* 312. & *ſeqq.*
254. *Carthaginenſis alia ſub Cypriano pro cauſſa Baſilidis* 327. 329. 354. 404.
330. *Carthaginenſis Donatiſtarum* 538.
358. *Carthaginenſis ſub Grato* 554. & *ſeqq.*
399. *Carthaginenſis IV. Synodus ſub Aurelio* 73. 74. 518. 519.
404. *Carthaginenſis alia* 533.
525. *Carthaginenſis poſt Vandalos ejectos* 73.
1057. *Cedrenus Georgius* 308.
816. *Celchytenſis Syn.* 101.
451. *Chalcedonenſe Oecumenicum C.* 25, 221.
Ant. Chriſt.
78. *Cicero M. T.* 3. 5. 58. 119. 263. 391.
305. *Cirtenſis Synodus* 467. 478.
192. *Clemens Alexandrinus* 64. 145. 280.
65. *Clemens PP.* 42.

Digitized by Google

Anni Chriſti

747. *Cloveshovienſis Synodus* II. 100.
800. III. 102.
536. *Conſtantinopolitana Syn.* 607. & ſeqq.
306. *Conſtantinus M.* 235. 306. 421. 505. 519. 523. 524. 613.
198. *Corinthiaca Synodus* 232.
Cumianus Hibernus 520.
248. *Cyprianus Carthaginenſis* 40. 66. 72. 75. 85. 114. 140. 171. & ſeqq. 185. & ſeqq. 191. & ſeqq. 264. & ſeqq. 208. & ſeqq. 221. & ſeqq. 233. & ſeqq. 391. 395. 401. 422. 452. 455. 490. 494.
412. *Cyrillus Alex.* 61.
350. *Cyrillus Hieroſolym.* 123.

D

Ant.Chriſt.
356. *Demoſthenes* 58.
230. *Dio Caſſius* 10. 422.
110. *Dio Chryſoſtomus* 58.
60. *Diodorus Siculus* 203.
170. *Dionyſius Corinthius* 207.
254. *Dionyſius Alex.* 44. 195. 250. 262. 358. 359. 361. 363. 377. & ſeqq. 433.
26. *Dionyſius Halicarn.* 182.
259. *Dionyſius PP.* 393.
250. *Doſitheus Seleuc.* 395.
1286. *Durandus Guil.* 74.

E

177. *Eleutherus PP.* 198. 224. & ſeqq.
305. *Elliberitana Syn.* 177.
Ant.Chriſt.
230. *Ennius* 578.

Digitized by Google

Anni Chriſti	
511.	*Ennodius Ticinen.* 586.
517.	*Epaonenſis Synodus* 268.
431.	*Epheſina Syn. Oecum.* 178. 245. 454. 458.
194.	*Epheſina Polycratis* 227. & *ſeqq.*
368.	*Epiphanius* 29. 64. 66. 118. 120. 123. 129. 136. 144. 217. 235. 239. 283. 285. 288. 428. 550. 561.
342.	*Orientalium Epiſt. ad Julium PP.* 360.
581.	*Eulogius Alex.* 422. 595.
380.	*Eunapius* 423.
315.	*Euſebius Caeſarien.* 25. 31. 42. 47. 53. 56. 60. 68. 70. 83. 103. 117. 130. 133. 141. 145. 153. 155. 165. 170. 199. & *ſeqq.* 209. & *ſeqq.* 227. 230. 235. 239. 246. 267. 339. 345. 354. & *ſeqq.* 371. & *ſeqq.* 389. 393. 417. 419. & *ſeqq.* 449. 451. 457. 464. 489. 498. 560. 613.
428.	*Euſebius Dorylen.* 443. 465. 527.
318.	*Euſebius Nicomedien.* 610. & *ſeqq.*
600.	*Euſebius Theſſalon.* 134.
367.	*Eutropius* 502.

F

540.	*FAcundus Hermian.* 446.
257.	*Fauſtinus Lugdunen.* 404.
270.	*Felix Pontifex* 454.
483.	*Felix III.* 398.
553.	*Ferreolus* 74.
254.	*Firmilianus Caeſarien. in Cappadocia Primas* 430. & *ſeqq.*
170.	*Florinus* 209.
791.	*Forojulienſe Concil.* 101.
250.	*Fortunatus* 592.

Digitized by Google

Anni Chriſti

G

143. *G Alenus Claudius* 148.
170. *Gallicana Martyrum Synodus* 170.
475. *Gelaſius. Cyzicenus* 513. 573.
590. *Gregorius M.* 74. 94.
370. *Gregorius Nazian.* 95. 520. 604.
375. *Gregorius Nyſſenus* 458.
254. *Gregorius Neocaeſarien.* 386.
573. *Gregorius Turonenſis* 74.
1070. *Gualdo Corbejenſis* 592.

H

772. *H Adrianus* I. 74.
65. *Hermas* 250.
1040. *Hermannus Contractus* 557.
Ant.Chriſt.
444. *Herodotus* 30. 103.
673. *Herudfordienſe Concil.* 100.
378. *Hieronymus* 21. 27. 80. 120. 133. 145. 182. 212. 219. 230. 257. 276. 387. 447. 451. 491. 527. 565. 611. 618.
198. *Hieroſolymitana ſub Narciſo* 231.
354. *Hilarius Pictavienſis* 42. 96. 566.
358. *Hilliel, & Hillelianus Cyclus* 248.
845. *Hincmarus Remenſis* 513.
220. *Hippolytus Portuenſis* 251.
400. *Honorius Imperator* 533.

I

100. *I Gnatius Martyr* 48. 249.
305. *Illiberitana Synod.* 177.
402. *Innocentius* PP. I. 254.

Digitized by Google

Anni Chriſti	
430.	*Johannes Antiochenus* 216.
390.	*Johannes Chryſoſtomus* 13. 16. 22. 75. 245.
551.	*Jornandes* 306.
67.	*Joſephus Flavius Hebraeus* 6.
167.	*Irenaeus* 31. 54. & *ſeqq.* 61. 64. 67. 71. 118. 209. 218. 229. 240. 244.
595.	*Iſidorus* 99.
170.	*Julianus Apamenſis* 210.
298.	*Julius Capitolinus* 147. 148. 421.
340.	*Julius Firmicius* 59.
342.	*Julius* PP. 398. 566.
240.	*Juſtinus Martyr* 140. 216.

L

303.	*LActantius Firmianus* 261. 263. 457. 464. 498. 502.
440.	*Leo M.* 248. 251. & *ſeqq.*
352.	*Liberius* PP. 567.
12.	*Livius Titus* 263. 464.
250.	*Lucianus Confeſſor* 287.
170.	*Lucianus Samoſaten.* 129. & *ſeqq.*
567.	*Lucenſis Synod.* 98.
177.	*Lugdunenſis Eccl. Encyclica* 155. 158. & *ſeqq.* 262. 279.
176.	*Lugdunenſis Synodus* 232.

M

267.	*MAlchion Presb. Antioch.* 429. & *ſeqq.* 451. & *ſeqq.*
306.	*Manſurius Carthag.* 81.
534.	*Marcellinus Comes* 585.
156.	*Marcus Antonius Imperator* 103.

448.

Digitized by Google

Anni Chriſti	
448.	*Marius Mercator* 41. 386.
560.	*Martinus Braccarenſis* 99.
170.	*Melito Sarden.* 137. 138. 141. 145. 152. 194.
180.	*Menander Rhetor* 306.
198.	*Meſopotamica Synodus* 232.
900.	*Metaphraſtes Simeon* 597.
176.	*Miltiades* 144. 145. 161.
220.	*Minutius Felix* 136.
1071.	*Moguntina Synod.* 102.
251.	*Moyſes Confeſſor* 340.

N

325.	*Nicænum Oecumen.* I. 235. 530.
1333.	*Nicephorus Caliſtus* 134. 373.
1204.	*Nicetas Choniates* 572. 612. 618.
858.	*Nicolaus PP.* I. 242.
321.	*Nicomedienſe Concil.* 612.
250.	*Novatianus* 406. & *ſeqq.*
251.	*Novatus* 309. & *ſeqq.* 333. & *ſeqq.*

O

1140.	*Odericus Vitalis* 587.
990.	*Oecumenius* 22.
590.	*Offa Rex Merciorum* 91.
368.	*Optatus Milevitanus* 56. 455. 475. 482. & *ſeqq.* 502. & *ſeqq.* 514. 540. & *ſeqq.*
230.	*Origenes Adamantius* 43. 49. 61. 62. 276. 387.
416.	*Oroſius* 134. 152.
198.	*Oſrenica Synodus* 232.
Ant. Chriſt.	
7.	*Ovidius P. Naſo* 181.

P

Digitized by Google

Anni Chriſti	P
370.	*Acianus* 219. 309. 339. 340. 343. 350.
400.	*Palladius* 596.
448.	*Paſchaſinus Lilybitanus* 258.
I. Aet.	*Patritius Araraſius* 553.
250.	*Paulus Confeſſor* 263.
226.	*Paulus Julius J. C.* 263.
555.	*Pelagius* PP. 587.
1140.	*Petrus Diaconus* 577. 578.
380.	*Philaſtrius* 31. 69. 118. 386. 427.
418.	*Philippus Sideta* 154.
425.	*Philoſtorgius* 598. *& ſeqq.* 601. 604. 617.
204.	*Philoſtratus* 6. 58. 182.
858.	*Photius CPnus* 415.
156.	*Pius* PP. I. 72. 250.
75.	*Plinius* 30.
104.	*Plutarchus* 464.
108.	*Polycarpus Smyrnen.* 108. 183.
196.	*Polycrates Epheſinus* 227.
251.	*Pontius Diaconus* 114. 173.
550.	*Primaſius* 145.
350.	*Parmenianus* 537. *& ſeqq.*
451.	*Proterius Alexand.* 253. *& ſeqq.*
405.	*Prudentius* 261. 465.

Q

123.	*Quadratus Athenien.* 134.

R

865.	*Rembertus* 592.
198.	*Romana Synodus ſub Victore* 227.
251.	. . . . *ſub. Cornelio* 354. 252.

Anni Chriſti	
252.	*Alia ſub eodem* 252.
258.	*Sub Dionyſio PP.* 396.
213.	*Sub Melchiade* 507.
530.	*Sub Bonifacio* 607.
595.	*Sub Gregorio M.* ·74.

S

347.	*Sardicenſis Orientalium* 456.
20.	*Seneca L. Annaeus* 468.
190.	*Serapion Antiochenus* 166. 206.
404.	*Severus Sulpicius* 587.
432.	*Sixtus PP. III.* 598.
110.	*Smyrnenſis Eccl. Encyclica* 78. & *ſeqq.*
440.	*Socrates Scholaſticus* 339. 345. 350. 355. 480. 550. 557. & *ſeqq.* 600. & *ſeqq.* 606. 620.
170.	*Sota Achillarum Epiſcop.* 202.
164.	*Soter PP.* 145.
442.	*Sozomenus Hermias* 217. 241. 596. 602. 612. 619.
15.	*Strabo* 9. 203. 210.
853.	*Sueſſonienſis Synod.* 11. 102.
100.	*Svetonius* 10. 273. 421. 516.
316.	*Sylveſter PP.* 522.

T

100.	*Tacitus Cornelius* 468.
196.	*Tertullianus Septimius Florens* 29. & *ſeqq.* 64. & *ſeqq.* 120. 122. 126. 136. 139. 142. 146. 151. 157. 161. 173. 191. 193. 199. 205. 218. 263. 272. 279. 382.
837.	*Theoganus* 91.
423.	*Theodoritus Cyrenſis* 30. 96. 122. 259. 277. 350. 382.

Anni Chriſti

382. 427. 549. & ſeqq. 561. 595. 616.
1077. *Theophilactus* 22.
385. *Theophilus Alexand.* 460.
192. *Theophilus Caeſarien.* 226.
531. *Toletana Synodus III.* 99. 256.
305. *Trebellius Pollio* 293. 304. 431. 436. 437. 442.
878. *Tricaſſina II. Synod.* 102.
342. *Tyrconius Donatiſta* 539.

Ant.Chriſt.

70. *Tyro Libertus* 577.

V

65. *Valerius Probus* 577.
27. *Vellejus Paterculus* 3.
396. *Victor Aurelius* 304.
192. *Victor* PP. 225. & *ſeqq.*
555. *Victor Tunenſis* 171.
457. *Victorius Aquitan.* 248. 251.
540. *Vigilius* PP. 176. 255.
855. *Vitmenſis Synod.* 102.
490. *Viventiolus Lugd.* 260.
220. *Ulpianus* 3.
306. *Vopiſcus Flavius* 8. 16. 304. 424. 453. 457.
876. *Uſuardus* 131.

X

Ant.Chriſt.

390. *Xenophon* 38. 203.

Z

741. *Zacharias* PP. 101.
202. *Zepherinus* PP. 415.
425. *Zoſimus* 305. 307. 453. 479.
170. *Zoticus Comanen. Epiſc.* 204. 210.

INDEX

INDEX II.

RERUM, ET VERBORUM.

A

Acclamationes Populares 262. adverſùs Chriſtianos factae 136. 151. 152. adverſùs Zenobiam 437.
Achaja Provincia 4.
Achillarum Synod. adver. Montaniſtas 202.
Acta Eccleſiaſtica, ac eorumdem in cuſtodiendis diligentia 57. 58. Martyrum, & eorumdem collectio 78. 79. aeſtimium 128. cenſus eorumdem 87. & ſeqq. Saturnini 178. & ſeqq. Savini 151.
Adjurationes adverſùs Scriptorũ adulteratores 59. 60.
Aegyptiaca in Chriſtianos ſeditio 262.
Aeſchines haereſiarcha 126.
Aetii haereſiarchae in Archidiaconatu acta 599.
Aetolia Provincia 4.
Africa domita 4.
Africanae Eccleſiae conditio ſub Decii perſecutione 289. Schiſma Novati & aliorum 265. 322. & ſeqq. Donatiſtarum 462. & ſeqq.
Agoniſtica exercitatio 181. Orationes Agoniſticae 182. & ſeqq.
Agonothetae apud Gentes ac Chriſtianos 180. & ſeqq.
Alcibiades Montaniſta 126.
Alexander Alexandrinus Encyclicam direxit Orbis Eccleſiis 555. & ſeqq.
Alexander CPnus 569. & ſeqq.
Alexander Montaniſta 127. ejus impoſturae ibid. putatus idem cum Alexandro Lucianeo 128. & ſeqq. Vaticiniorum falſitas detecta 148.
Alexandrina Syn. contra Sabellium 380. Prior contra Arium 556.& ſeqq. Secunda ſub eodem pag. 625. & ſeqq.
Alexandrini Antiſtitis cura pro Paſchae indictione 246. quando ceſſaverit 248. Paſchales ejuſdem epiſtolae 250. 257.
Altaria Orthodoxorum à Donatiſtis abraſa 512.
Amaſtris Paphlagoniae Urbs 207.
Anatolius Presbyter Alexan. 444.
Ancialis Aſiae Urbs 403.
Aniceti PP. Encyclica adver. Marcionem 67. & ſeqq. alia adver. Montaniſtas 146. & ſeqq. ejus cum Polycarpo contentio pro die Paſchae 219.
Angeli Rectores Mundi ex Judaïzantium ſyſtemate 30. & ſeqq. 34. & ſeqq.
Antecyclicae ab Haereticis vulgatae. Montaniſtarum 155. Themiſionis 157. Polycratis Epheſini 229. inde Eccleſiarum diſcidium 236. & ſeqq. Montaniſtarum 126. & ſeqq. 170. Novati & Schiſmaticorum 320. 324. & ſeqq. Novatiani 344. & ſeqq. ei Epiſtolae Martyrum adjunctae 346. à S. Cypriano oppugnata 348. & ſeqq. Majorini ac fraus in miſſitanda 481. & ſeqq. Parmeniani pro rebaptizatione & contra Eccleſiae dotes 537. Ab Optato oppugnata 542. Altera ejuſdem contra Tyconium 543. Euſebii Nicomedienſis contra Alexandrum Alexand. Epiſcopum 608. & ſeqq.
Antiochia Syriae Metropolis 11. 12. 17. ejuſdem epocha 420.
Antiochena Syn. adver. Montanum 206. Alia ſub Demetrio pro Cornelio 358. ſub Paulo Samoſatenſi Prior. 426. 432. Secunda adverſùs ipſum cum comminatione 438. & ſeqq. Tertia in qua Encyclica publicatur contra eumdem 441. & ſeqq. Heleni Tarſenſis cur in eadem praeſederit 446.
Antiquarii Lectores 592.

Apamea

Digitized by Google

Apamea Syriae 15.
Apologia prior pro Chriſtianis edita 135. editae mittebantur ad modum ſcripti Encyclici 140. & ſeqq. Apologia Cypriani pro Encyclicis ad Eccleſias miſſiata 325.
Apologiſtarum aevi ejuſdem cenſus 132. & ſeqq.
Apollinaris Montaniſtarum oppugnator 205. & ſeqq.
Apollonius Epheſinus ejus zelus & libri adversùs Montanum 183. 203.
Apollonius Senator ejuſque pro Chriſtianis apologia 141. 153.
Apoſtata & crimen qua poena mulctata 272.
Appellatio Donatiſtarum, & in ea promovenda contumacia 500. & ſeqq.
Apoſtolici haeretici 118.
Apoſtolicus ſcopus in politiae Provinciarum diviſione 10. & ſeqq. Apoſtolorum Encyclicae 19. & ſeqq. 39.
Aquilejenſis lues ſub M. Aurelio 146.
Archidiaconi munera circa Eccleſiaſtica ſcripta 176. 309. 594. & ſeqq. circa Euchariſtiam ſumentes 480. Athanaſi, in eo officio munera 576. ex Primiceriis Lectorum Archidiaconi eligebantur 596.
Archivia Eccleſiarum 374. 479. Romanum 589.
Ardabau Phrygiae Vicus 119.
Areopagiticum Tribunal 423.
Ariſtidis apologia 134.
Arius ejuſque haereſis 549. & ſeqq. Antencyclica adver. Alex. 608. & ſeqq.
Artemae haereſis per Encyclicam Zepherini & Caii Theologi damnatur 414. à Paulo Samoſat. renovatur 424.
Artoritae haeretici 124.
Aſia domita & in Provincias diſtributa 4. Aſiae Commune & Aſiarcharum munera 103. 104.
Aſiana Syn. adver. Quartodecimanos 232.
Aſianorum quorumdam cum Polycrate conamina pro ſtabiliendo Paſcha Judaïco 220. & ſeqq.
Aſſertorum Trinitatis epocha à Dionyſio Alexandrino 392.
Aſſuris Africae proconſularis Urbs 328.
Aſterius Urbanus Montani oppugnator 125. 204.
Athenagorae Apologia 154.
Athanaſii prima tyrocinia 581. labores adver. Arianos 595. 605.
Aurelianus Zenobiam devincit 443. Antiochenis Patribus favet 449. Mores 453. 557. Reſcripta contra Chriſtianos 291. 292.
Autonomiae jura 263. 420.

B

BAcchylides & Elpiſtus haereſis Montani denunciatores 207.
Barnabas functus Curſoris Dominici munere 11. 17.
Baſilidis Epiſc. apoſtoſia in Synod. diſcuſſa 329.
Bibliothecarius Romanus 589.
Baſilii M. Archidiaconi in diſputationibus officium 605.
Blaſtus Montaniſta 209. Judaïci Paſchatis aſſertor 219. Lapſis poenitentiam denegat 220.
Borani Socii Gothorum 307.

C

CAecilianus Archidiac. Carthagin. & ejuſdem in eo officio munera 479. & ſeqq. Eligitur Primas Carthagin. 480. Lucilla eidem offenſa ſchiſma adversùs eumdem excitat. ibid. In Syn. Rom. ejus electio confirmatur 508. & ſeqq. Et in Synodo Arelaten. 514. Nicaeno Concilio adeſt 513. ejuſdem Encyclicae executor delectus 641. innocentiſſimus a Conſtantino M. declaratur 531.
Caeſareenſis Palaeſtinae Synodi Encyclica pro Paſcha Chriſtianorum 226. & ſeqq.
Caeſaris genium vendicatum in juram. 273.
Cajanitarum haereſis per Encyclicam damnatur 63. 64.

Digitized by Google

Cajus Theologus ejuſque opuſculum conjunctum cum Zephirini Encyclica 414.
Calaenis Phygiae Urbs 78.
Canonum ſummi remiſſique juris limites 278.
Carcerum aditus Clericis interdictus horum munera erga Martyres incluſos 195.
Carpi Barbari 306.
Carthaginenſis Plenarii Concilii nomen quid denotaret 518. Carthaginenſes Synodi in cauſſa Lapſorum 310. & ſeqq. & pro Cornelio agnoſcendo ac Novatiano damnando 315. Alia adver. Feliciſſimum Schiſmaticum 316. & ſeqq. Pro cauſſa Baſilidis 329. Donatiſtarum ſub Majorino 481. & ſeqq. 518. Catholicorum ſub Grato 556. Schiſmaticorum ſub Parmeniano 537. & ſeqq. Alia Catholicorum ſub Aurelio 73. 74. 518. 519. 533. & poſt Vandalos ejectos habita 73.
Carthago domita 4.
Caſennigrenſis Urbs Numidiae 510.
Cataphrygae Haeretici 123.
Cathari Haeretici, cur Novatiani nomen vendicarent 339.
Catholica Eccleſia ab Epiſcopis Syn. Rom. declaratur 510. Dotes oppugnantur à Parmeniano 537. Optati pro eiſdem defenſio ibid. Univerſalitas à Tyconio propugnata adversùs Antencyclicam Parmeniani 543.
Cenſurarum Theologicarum uſus in Encyclicis 393. 394.
Cerdonis haereſis Marcion aſſertor 65.
Cerinthus à Johanne Evang. oppugnatur 41. & ſeqq.
Chartophilax qui & Bibliothecarius 589.
Chriſtianum eſſe & dici capitale in edictis pronunciatur 139. Chriſtianorum proditionis criminis gravitas 467. Chriſtianorum character chronologicus in publicis actis erat *Regnante Chriſto* 86. & ſeqq.
Chriſtus Deus dicitur in Ariſtidis apologia publicè dicta 134. Mediator à S. Paulo, & qua occaſione in epiſtolis aſſertus eſt 33. & ſeqq. 44. 50. Paſtor Eccleſiae 94. Rex & Regnum perpetuum inde character chronologicus Chriſtianus abſque annuali nota erat: *Regnante Chriſto* 86. & ſeqq. 93. 95. Paulus Samoſatenus temporalis Regni initium Chriſto tribuit 417. Divinitas cum Patre coeſſentialis ab Alexandro Alexandrino aſſerta in Encyclicis 555.
Cteſiphon ad Euphratem Urbs 431.
Cirta Numidiae Urbs 476. Cirtenſe Traditorum Concilium 474. & ſeqq.
Claudii Apollinaris appologia 154. adnexa Encyclicae Lugdunenſi 166.
Claudii Imperatoris Encyclica qua Provinciis Aureolum denunciat Tyrannum 293.
Cleomenes Sabellii praecurſor 383.
Clerici peregrinantes abſq dimiſſoriis ad ſynaxim non admiſſi niſi poſt fidei profeſſionem editam 66.
Collectarum Apoſtolicus uſus 11.
Coloſſos Phrygiae Urbs 30. 38. Pauli ad Coloſſen. epiſtola Encyclicarum norma, & mutuarum literarum 25. & ſeqq.
Colluthi cauſſa in Syn. Alex. 628.
Comana Cappadociae Secundae Urbs 210.
Communicatoriarum epiſtol. uſus & aeſtimium apud Fideles 490. & ſeqq.
Communio Eccleſiae triumphantis & militantis in Encyclica Smyrnenſi aſſerita 81. 82.
Conciones Agoniſticae Chriſtianorum pro Martyribus decertaturis dictae vel miſſitatae 192. Tertulliani 193. Cypriani & aliorum 154. & ſeqq.
Conciliorum Praeſidis jura 16. 17. Decreta pro executione miſſa vel per Epiſcopos, vel Presbyteros 208. & ſeqq. Concilii & Orbis decreti diſcrimen 525. & ſeqq.
Conſenſus Eccleſiarum per Encyclicas 55. inde veritatis argumenta 62. 288. V. Orbis judicium.
Conſtantia Licinii Uxor favens Ario 617.
Corinthus Domita 4. Achaicae Societatis

Digitized by Google

tatis Commune 21. 41. Synodus pro Paſcha Chriſtiano firmando 232.
Cornelii electio, & Novatiani ſchiſma 308. hujus Antencyclica cum libello famoſo adjuncto 341. Encyclicas Eccleſiae Africanae confirmat Cornelius 319. Ejuſdem Encyclica adversùs Novatianum 340. 352. & ſeqq. 356. & ſeqq. Formularium ejurandi ſchiſma perſcribit 367. Orbis judicium ad Encyclicam, & inde autoritas deſumitur adver. Schiſmaticos 367. & ſeqq. Ex mutuarum Epiſtol. datarum ac receptarum Reus Majeſtatis inſimulatur 361.
Creta inſula domita 4.
Cultus Sanctorum, & modus in Encyclica Smyrnenſi 75. 81. & ſeqq.
Curſoris Dominici apoſtolica inſtitutio, pro qua fidelitas requirebatur 18. 37. Miniſteria 102. & ſeqq. In tradendis Encyclicis acta conficiebant 366. 367. Diaconorum erat ordinarium munus 50. Recitationi Encyclicae invigilabant 342. 347. 349.
Cycli & Paſchales faſti 247. Hippolythi Portuenſis 251. Victorii Aquitani 248. 251. Montaniſtarum 217.
Cypriani Encyclicae pro lapſis, ac Fiduciarium in iis vulgatum decretum 289. & ſeqq. & Peremptorium 312. & ſeqq. Opuſculum de Lapſis huic jungit 314. Encyclica pro Cornelio cum votis annexis 348. Apologiam condit pro Encyclicis quam Eccleſiis dirigit 402. Explanatio pro ijſdem 399. & ſeqq. Confirmat Encyclicam contra Sabellianos factam 395.
Cyprus domita 4.

D

DEcennovalis Lunaris Cyclus 248.
Decianae perſecutionis initia 261. & ſeqq. ejuſdem exitus 304. & ſeqq.
Demetrii Antiocheni ad Cornelii Encyclicam conſenſus promptus 359.
Denunciativa Epiſtola, ejuſque ſcopus & uſus 32. 64 Montani deliria denunciantur Epheſino Antiſtiti 203. & Dionyſio Alexandrino 207. Preſbyterorum Pentapolit. ad Dionyſium PP. 396. & ſeqq. Sabellii ad Dion. Alexan. 389. 390. Alexandri Alexandr. ad Eccleſias praecipuas de incipiente Arianiſmo 555.
Depoſiti cuſtodia per Encyclicas 54. 55. 57. 60. & ſeqq.
Diaconica epiſt. Irenaeo data 166.
Diaconorum munus in miſſitandis Encyclicis 50. Eorum munus circa Martyres 72. 138.
Diocletianea perſecutio 463. & ſeqq.
Dionyſii Corinthi Epiſcopi adver. Montanum labores 207.
Dionyſii Praeſul. Alex. pro Cornelio Epiſtolae 356. 360. 361. Apologia adversùs accuſatores & denunciatores Pentapolitan. 399. & ſeqq. Epiſtolae contra Paulum Samoſ. 432. 433. 452. Contra Sabellium 388. Paſchales 250. Ejuſdem Encyclicarum cenſus 377. & ſeqq. Argumenta ex his deſumpta 390. 392.
Dionyſii PP. adversùs Sabellianos reſponſio 393. 394.
Diſciplinae Eccleſiaſticae capita mutabilia, & pro ea regulae 221. & ſeqq.
Diſputationis Ecclaſiaſt. primum monum. poſt Apoſtolorum tempora 66. 68. 69. Montaniſtae poſt Encyclicam ad diſputationem vocantur reſponſuri 204. & ſeqq. Aſterii cum iiſdem diſputatio 213. Malchionis cum Paulo Samoſat. 447. & ſeqq. Haec cum Encyclica Antiochena adjuncta 452. In diſputationibus qui à Secundis 602. & ſeqq.
Doctorum Presbyterorum Collegium 180. 229. Polycarpus in Smyrn. Encyclica Doctor Propheticus dicitur 112. Horum conſilio Cyprianus utitur 334. 335. Delecti ad Encyclicarum executionem & defenſionem 37. In Haereticis recipiendis cura, & eorumdem diligentia 189.
Domini Dei titulus Chriſto tribuitur

tur in Actis Martyrum 88.

Donati duo in Schiſmate Donatiſt. diſcriminandi 504. Donatus à Caſis Nigris Schiſmatis fax 510. & ſeqq. Alter à quo Donatiſtae dicti 504. obitus ejuſdem 538.

Donatiſtae Libellaticorum & Novatianorum errores reſtaurant. 474. & ſeqq. Schiſma in Lucillae domo concluſum 483. 484. Damnatum in Syn. Rom. 510. & ſeqq. Improbiſſimi à Conſtantino dicuntur 531. Rebaptizationem tuentur, & puram inde Eccleſiam apud ſe eſſe hariolantur 537. & ſeqq. legibus coerciti Imperatorum 523. 531. & ſeqq. Calumniae in Roman. Pontifices 546.

Doſitheus Seleucienſis inter primos Sabellii oppugnatores 395.

Doxologiae Antiquitas & uſus 420. & ſeqq.

Ducenarii officium & Magiſtratus 420. & ſeqq.

E

EBionis haereſis per Johannis Encyclicam oppugnatur 41. & ſeqq.

Eccleſiae in regimine politia 11. Autoritas in coetu Epiſcoporum repraeſentatur 121. Ejuſdem oſores fidei hoſtes habentur 322. & ſeqq. 329. & ſeqq. 331. In Montano hanc reſidere putabant Montaniſtae 120. Dotes à Parmeniano oppugnantur per Antencyclicam 537. & ſeqq. Novatiani in ſuo coetu eſſe puram aïebant 339. Univerſalitas à Tyconio propugnata 542. & ſeqq. Defeciſſe per Orbem hariolabantur Donatiſtae 512. Eccleſiis & Epiſcopis Encyclicae inſcribebantur 454. 455. Theocraticum ejuſdem Regimen 94. 95.

Ectеſis & Parectеſis diſcrimen 141.

Edeſſena Synodus pro Chriſtiano Paſchate 232.

Edicta Principum Metropoli miſſitata 7. Eccleſiaſtica ad Sedes primarias 102. & ſeqq.

Eleuſinia quando decrevere 133.

Eleutheri confirmatio facta Encyclicae editae adversùs Montan. 198. In Paſchali controverſia ejus & Victoris PP. judicium 224 & ſeqq.

Encratitae Haeretici 118.

Encyclica quae & circularis pro ſcopo fidei unitatiſque ſpectat cuſtodiam 1. Loco Conciliorum erat in primitiva Eccleſia 54. Per has Haereſiarchae prioris aevi damnati denunciati 55. 56. 62. In controverſiis ab Eccleſiis poſtulabantur 53. Forma fidei dicebantur 39. 40. 293. Inter Tractatum, Tractatoriam & Encyclicam differentia 413. & ſeqq. Encyclicae characteres 39. 130. 165. 198. 229. & ſeqq. Miſſitationis ordo 23. 200. Condebantur ſub multorum praeſentia 85. 334. 335. Executio plerumque demandata vel Epiſcopis vel Presbyteris 208. & ſeqq. Primas aut Metropolita ſuffraganeorum nomine ſubſcribebat 73. Aeſtimium ſucceſſivum & earumdem autoritas 53. 198. & ſeqq. 207. 232. & ſeqq. 299. & ſeqq. 367. & ſeqq. 457. & ſeqq. 523. & ſeqq. 574. & ſeqq.

Cyprianus vocat Encyclicam *Domini praeceptum* 328. Eccleſiarum erga Encyclicas obſequia 330.

Recitatio publica Encyclicarum 17. Diligentia in cuſtodiendis 62. Haereticorum conamina in adulterandis 60. Editores proprium addebant nomen 85.

Ex Encyclicis teſtimonia mutuata 50. 80. 113. 167. 454. 458. & ſeqq. 525. & ſeqq. Dubia circa Encyclicam ſuborta autori renunciabantur 327. 329. & ſeqq. 396. & ſeqq. 401. & ſeqq.

Encyclicis addita ad argumentum explanandum opuſcula 125. 166. 346. 411. & ſeqq. 417.

Encyclicarum cenſus in tribus primis Seculis. Hieroſolymitana reliquarum norma 14. & ſeqq. 18. S. Petri 20. S. Pauli 19. & ſeqq. 24. & ſeqq. Timotheus ſubſcriptor 35. S. Johan-

Johannis Evangeliſtae 41. & ſeqq. Ignatii Martyris 46. & ſeqq. Polycarpi 53. Irenaei 56. Alia adv. Cajanitas 63. 64. In Artemam 414. & ſeqq. 424. 425. In Marcionem 67. 68. 69. Smyrnenſis Eccleſiae 76. Orbis judicium pro eadem 113. & ſeqq. Lugdunenſis Eccleſiae adver. Montaniſtas 150. & ſeqq. 167. Ab Eleuthero firmata 198. Martyrum Epiſtolae ei adſutae 199. Ordo in promulgatione 200. Antiochena adver. Montaniſt. cum votis annexis 206. Alia pro Paſcha Chriſtiano firmando 227. & ſeqq. in ejus oſores poenae cominantur 232. 235. 236. Cypriani pro Fiduciario Decreto in Lapſorum cauſſa 289. ad Occidentales dirigitur 290. & ſeqq. Forma vocata 296. Orbis ſecutum judicium 296. 302. Alia Cypriani pro cauſſa eadem cum Peremptorio Decreto 312., cum opuſculo de lapſis 314. ad Occidentales miſſa 318. Orbis de eadem judicium 320. Oſores Schiſmatici declarantur 322. Novatianus Schiſmaticus has oppugnat 332. Cornelii Encyclicae 319. & ſeqq. Mutuae Epiſtolae ad eundem miſſitatae 360. Cypriani pro editis Encyclicis apologia 402. Encyclica adver. Novatianum 352. & ſeqq. Adversùs Sabellium 388. Sixto PP. miſſa 392. & ſeqq. Hieroſolymitana prior in Paulum Samoſat. 438. & ſeqq. Antiochena altera 441. & ſeqq. 450. & ſeqq. Inſcripta & Epiſcopis & Eccleſiis 454. 455. Argumenta inde ſaepius ſumta 458. Caeciliani & ejus autoramentum 495. 497. Arelatenſis adver. Montaniſtas & Rebaptizantes 517. & ſeqq. ejuſdem aeſtimium 523. & ſeqq. Alexandri Alex. Epiſcopi prior adver. Arium 555. & ſeqq. ejus characteres 563. Alia Tractatoria ad Sedes majores 568. Encyclicae Conſtantini M. 638. & ſeqq.
V. Tomus Encyclicus. Orbis judicium.
Epaphra denuntiator Simonianae haereſis 32.
Epheſina Oecumenica 178. 245. 454. 458.
Epheſinum Conc. adver. Montaniſtas 203.
Epheſus Aſiae Metropolis 6. 22. certat pro eo jure cum Smyrnenſi 3. Eccleſiaſtici exarchatus primordia 25. Dignitas Sedis 221.
Epigonius Sabellii praecurſor 382.
Epiſcopi electi Synodicam ad alios mittebant 22. 488. 489. Indiculum electorum Primas aliis mittebat pro dandis recipiendiſque communicatoriis 257. 258. 317. In Clericos Epiſcopi autoritas 321. & ſeqq. Jura in Lapſos 278. & ſeqq. 286. & ſeqq. Encyclicarum executores 509. 640. & ſeqq.
Epiſtolae communicatoriae & uſus earumdem 490. & ſeqq. Feſtivae & Paſchales 258. Martyrum ac earumdem aeſtimium 72. 83. 84. 163. & ſeqq. in tomos collectae 170. Hortatoriae 395. & ſeqq. Mutuae 22. 52. harum origo Apoſtolica 38. uſus 230. 258. Encyclicae recitabantur etiam Epiſcopo reluctante 321. Collectio & cuſtodia 373. Inſcribebantur Sede vacante Eccleſiis 432. 433.
Epocha Aſſertorum Trinitatis à Sabellianiſmo profligato 380.
Evangelii S. Johan. cum ejus epiſtolis concentus 45.
Evangelium ſecundum Aegyptios ab Haereticis adhibitum 387.
Eumolpidae dicti Patres in Eleuſiniis Initiationibus 333.
Eunomii in Archidiaconatu acta 598.
Euſebii hiſtoria ex Epiſtolis concinnata 373.
Euſebii Nicomedienſis pro Ario Antencyclica 608. & ſeqq. Cum Licinio adversùs Conſtantinum machinamenta 613. & ſeqq.
Exceptores Eccleſiaſtici 577.
Execrationes libris additae ne corrumperentur 58. 59. 65.
Exorciſmorum uſus inſectatus à Montaniſtis 128. & ſeqq. 204. 206. 211.

F

FAbius Antiochenus monitus à Dionyſio recedit à Novatiano 356. 358.
Fanum Urbium ſociarum conventus ad publica ſocietatis negotia agenda 103.
Felicis Aptungitani, Caeciliani ordinatoris cauſſa diſcuſſa 514. & ſeqq.
Feliciſſimus Schiſmaticus cum Novato Encyclicis Cypriani reſiſtit 301. 309. & ſeqq. Calumnias in Cyprianum ſtruit 321. & ſeqq.
Felix PP. Antiochenam Encyclicam confirmat 454.
Feſtivarum Epiſt. & Paſchalium diſcrimen 258.
Fiduciarium Encyclicum Decretum 289. & ſeqq. Oſores ut rebelles notati 302. 303. Feliciſſimus reſiſtit 301. Orbis pro eo judicium 300.
Firmilianus in Cappadocia Caeſareenſis Primas adversùs Paulum Samoſat. certat 432. 434. 437. 438.
Florinus Schiſmaticus & Montaniſta 209.
Forojulienſis Syn. Encyclica 101.
Fortunatus Schiſm., duce Novato, Sedem Carthaginenſem occupat 310. 311. Encyclicis Cypriani obſiſtit 333. Cypriani de ejus Schiſmate Epiſt. 334.
Fuga in Perſecutione à Smyrnenſi Encycl. probata 106. illicitam dicebant Montaniſtae 122.

G

GAllicana Eccl. à Traditionis crimine immunis 500. à Parmeniano traducitur 544.
Gallus & Voluſianus Impp. 307.
Gnoſticorum perverſitas Chriſtianis omnibus à Gentibus impoſita 135.
Gothorum in Imperium Roman. priores incurſiones 304. & ſeqq.
Gratus Carthag. Decretum Arelatenſe Encyclicum in Concil. confirmat 537. & ſeqq.

H

HAeretici, aut Suſpecti ad Synaxim haud admiſſi ſine fidei praevia profeſſione 65. 66. Pravitas eorumdem ſaepe cauſſa perſecutionis 70. 150. & ſeqq.
Helena Simonis Magi ſcortum 31.
Helenus Tarſen. uti Protothronus Antiochenae Sedis praefuit Antiochenae Synodo contra Paulum Samoſat. 446.
Hellanodicae qui in re agoniſtica dicebantur 159. Hellanodicum inde ſacrum 181.
Hermes ſeu Paſtor ejuſque liber 250.
Hermogenes & Praxeas Haeretici in Africa 384.
Hierarchia Eccleſiae ab Ignatio Martyre aſſerta 43.
Hieroſolyma Apoſtolico aevo Eccleſiarum Mater. 11. Colonia efficitur, unde nova ejuſdem epocha 226.
Hieroſolymitanae Synodi, prior ceterarum norma, prodiit Encyclica 14. Alia ſub Narciſo pro Paſcha Chriſtiano 231. Altera contra Paulum Samoſatenum 438. & ſeqq.
Hieroſolymitanus Epiſtolaris codex, ejuſq. pretium 373. 377. & ſeqq.
Hippolythi Portuenſis Cyclus 251.
Hiſpaniae Stipendiariae nova epocha 4.
Honorii in Donatatiſtas edicta 532. inſimulata ab iis veluti à Stilicone extorta 533.
Hymenaei Hieroſol. Epiſcopi Synodus adver. Paulum Samoſat. 438. & ſeqq.
Hypoſtaſis vocabuli prior diſquiſitio 627.

I

JAcobus, quia Hieroſolym. Epiſcop. poſt Petrum in Synodo Hieroſolym. interloquitur 17.
Ignatii Martyris Encyclicae 46. & ſeqq.
Infans à Montaniſtis excruciatur 123.

Johan-

Johannes Evang. Epheſinus Primas 125. Evangelium ac Epiſtolas qua occaſione data edidit 41.
Irenaeus Curſor Dominicus cum denunciativa errorum Montani ad Occidentalem Eccl. miſſus 158. 166. 209. cum Diaconica eorumdem regreſſus ibid. Encyclicae ejuſdem 56. P'..um & Florinum oppugnat 210. Diſcidium inter eum & Victorem in Paſchatis controverſia 240. & ſeqq.
Iris fluvius 210.
Iſchyrae in Syn. Alexand. diſquiſitio 628.
Judaïca Synagoga per Epiſtolas feſta denunciabat 247.
Judaizantes 14. Paſcha Judaïcum & pro eodẽ Polycratis conamina 215. & ſeqq.
Judas cognomento Barſabas Dominicus Curſor 17.
Judicium Orbis in conſenſu praeſtito ad Encyclicas quomodo accipiendum 198. & ſeqq. 371. 526. & ſeqq. 545.
Julianus Apamenus Montaniſt. Oppugnator 126. & ſeqq. Encyclicam in Montanum cum Zotico Cumano promover 210.
Juramentum per Caeſaris Genium 273. Novatiani juramentum, quod ab affeclis exigebat 345.
Juris ſummi & remiſſi limites 281. & ſeqq.
Juſtini Martyris apologiae pro Chriſt. 139. & ſeqq.

L

Laodicea Aſiae 15. Epiſtola Paulina ad Laodicen. qualis 38. & ſeqq.
Lapſorum recipiendorum prior diſciplina 264. 265. & ſeqq. 272. 278. Quando remiſſior 161. & ſeqq. Poenitentiae locus quibuſdam denegatur, ejuſque opinionis Aſſertores 220. Quae crimina immedicabilia juxta Montaniſtas 121. Laxior erga Lapſos quorumdam diſciplina 267. Montaniſtarum occaſione erga Lapſos univerſim mitior introducitur diſciplina 280. Pro controverſia eadem ſcripta Cypriani Encyclica 289. 312. Pro editis Decretis Eccleſ. variae conſultationes 314. & ſeqq. 327. Sevérior Montaniſtarum erga Lapſos diſciplina à Novatiano reſtauratur 345.
Lectores & Notarii 578. Primicerius Lectorum & ejuſdem dignitas 579. Lectorum diſtinctio in officiis 585. 586. Archidiaconi ex eorum collegio delecti 581. In ſcribendo quae ſervarent 582. & ſeqq. Iidem & Notarii 585. Majores & Minores 586. Epiſcopis adſtabant in Conciliis 591. Antiquarii alii, Librarii & Exceptores alii 592. Monachorum in eo munere ſucceſſio 593. Athanaſii prior inſtitutio Eccleſ. Lectoris 581. Paulus CPnus Lector 584. & Chryſoſtomus 585. Publicarum chartarum duo ſimillima exemplaria conficiebant 588.
Legationis Eccleſiaſticae prior memoria 14. Epiſcopi, & Presbyteri ad eam obeundam adlecti 50. Novatiani ab Eccleſiis rejecta 345.
Leonis M. labores pro Cyclo Paſchali 254. & ſeqq.
Leovigildus Rex Gothorum 95.
Libellatici, eorumque varia conditio 273. & ſeqq.
Librarii Lectores 592.
Librorum Sacrorum Traditores, ac in tradendis crimen 463. & ſeqq.
Licinii Imp. in Chriſtianos perſecutio 560.
Lucianus & Paulus pacis dandae indiſcriminatim autores 287.
Lucilla Donatiſtarum ſchiſmatis fax exitialis 420. & ſeqq.
Lucius Priſcus Imper. 304.
Lugdunenſis Eccleſiae Encyclica 150. Ejus characteres 165.
Lugdunenſis Synodus pro Paſcha Chriſtiano 231.
Lycus fluvius 50.

Digitized by Google

M

Macedonia domita 4.
Magiſterium Eccleſiae in Syn. Oecumenicis ac in Encyclicis 62. In Encyclicis quomodo ſpectandum 360. & ſeqq. 369. & ſeqq. & in tomis Encyclicarum 371. & ſeqq. Polycratis quo motivo exſufflare Encyclicam de Paſcha Chriſtianorum conabatur 240. Encyclicarum magiſterium pro debellandis Haereticis *remedium* ad Alexandro Alex. Antiſtites vocatur 546.
Magiſtri Memoriae 179. varia horum conditio 269.
Magneſia Aſiae Urbs 50.
Majorinus Lucillae domeſticus pſeudoprimas Carthaginenſis Donatiſtarum, ejuſq. Antencyclica & in publicanda fraudes 481. & ſeqq.
Malchion Antiochenus publicam cum Paulo Samoſat. diſputationem habet 429. & ſeqq.
Manlius Sardiniam ſubjecit 4.
Marcellus Syracuſas capit 4.
Marcellus Albericius diſtinguendus ab altero Hierapolitano 213.
Marcianus Arelatenſis ſchiſm. damnatur autoritate Encyclicae 330. 367. 368.
Marcionis haereſis, & cum profeſſione fidei ad communionem admiſſus 64. relapſus ei oblatio Eccleſiae data reſtitura 66. In eumdem Encyclica 67. & ſeqq.
Marcus Smyrnenſis Encyclicae Dominicus Curſor 86.
Marcus Presbyter cum Melchiade delectus ad cauſſam Caeciliani expendendam 505. 506.
Mariae Virginis partus Daemoni incognitus 49.
Martyrum praerogativae 71. Martynes veri 105. & ſeqq. Conſummati 77. Exercitati & inexercitati 155. & ſeqq. Stantes, Floridi, Coronati 270. Obitus Eccleſiis renunciatus 166. & ſeqq., & acta Martyris 82. 83. Cultus modus 82. Lapſus Eccleſiae periculoſior 173. Epiſtola ante obitum condebant 167. & ſeqq. Earumdem varietas 167. & ſeqq. 177. A Novatiano fraudulenter extortae 340. 346. reſipiſcentes iidem contrarias condunt 364. Cypriani cura ut Encyclicis ſubſcriberent Martyres 297. In Traditores epiſtolas faciunt 469. & ſeqq.
Martyrum praerogativa erga Lapſos ac indulgens commiſeratio 265. & ſeqq. 283. & ſeqq. in ea concedenda excuſſus 287. A Cypriano notatus 278. 300.
Martyres Haereticorum 84. 149. 158. Notati 101. & ſeqq.
Martyrium verum ac Evangelicum ex Smyrn. Encyclica 105. & ſeqq. Ejuſdem conditiones expendendae 106. 162. & ſeqq. examinandae à Martyrum Presbyteris 191. & ſeqq.
Matrimonii oſores Montaniſtae 122.
Maxentius Imp. 480.
Maximilla Montani ſocia 119.
Meander fluvius 50.
Mediator Chriſtus. V. Chriſtus. Angeli mediatores. V. Angeli.
Melitonis Apologia 137. & ſeqq. Encyclica ad Oneſimum 141.
Menſurius Carthaginen. Primas, ejuſq. acta ante Schiſma Donatiſtarum 479. & ſeqq.
Mileti Afianum Concilium Paulus celebrat 26.
Miltiadis liber de Prophetia adver. Pareſteſim Montaniſtarum 144. 161.
Miracula Martyris pro Evangelico Martyrio adducuntur à Smyrn. Encyclica 108.
Moecenatis conſilia pro Monarchia 3.
Montani haereſis 117. Semivir. 119. Paracletum habere ſpeciali modo inhabitantem gloriabatur 120. Periodi variae in haereſi diſſeminanda. Prior Schiſmatica 144. Secunda cum haereſi propagata 145. & ſeqq. Deliria in praedicatione 159. & ſeqq. Encyclicis praeſocata 200. & ſeqq. De eodem ſecutum Orbis judicium 207. Cyclus Lunaris Montaniſticus 217. Haereſis per Novatianos inſtauratur 350. Synodi ad-

verſus

verſus Montan. poſt Encyclicam 198. & ſeqq. Haeretici in iis renunciati 200. 207.
Moyſes Martyr à Novatiano traductus 340. Cypriano monente correctus 366. & ſeqq.
Mumius Achajae domitor. 4.
Myſia Aſiatica Phrygiae contermina, ab Europea, dicta etiam Moeſia 119.

N

Natalis Martyrum Eccleſiiis renunciatus 74. 82. 85.
Nicaena I. generalis quo ſine Paſchae controverſiam retractat 234. 235. Quomodo poſt Encyclicas retractavit cauſſam Arii 630. & ſeqq.
Noetus Cleomenis diſcipulus, Sabellii praecurſor 383.
Notae Lectorum & Exceptorum in ſcribendo 577. in Cod. additae pro integritate 582.
Notarii Eccleſiaſtici 578. 585. 590.
Novatianus approbat Encyclicum Cypriani Fiduciarium Decretum, & Epiſt. Martyrum jungit 297. pecunia à perſecutione ſeſe eximit 422. Schiſma contra Cornelium 308. 336. & ſeqq. Mores 337. Haereſis 339. Antencyclica & pro ea delecti curſores 340. & ſeqq. additus libellus adver. Cornelium famoſus 345. & Martyrum Epiſtolas 346. Epiſcopos ubique creat 351. Oppugnatur per Encyclicas 360. 361. Ejuſdem de Trinitate liber permodum ſcripti Encyclici vulgatus 406. & ſeqq. Sabellianiſmum oppugnat 408. aliae ejus epiſtolae 411.
Novatus Schiſma facit contra Cyprianum 309. & ſeqq. reſiſtit Fiduciario Decreto 310. Fortunatum facit PſeudoEpiſc. Carthagi 311. Mores 333. Novatianum impellit ad Schiſma 339.
Numidiae Primas eiuſque munus in electione Carthagin. Primatis 482. & ſeqq.

O

Occidentalium Epiſcoporum conſenſus nomine Pontificis Romani edebatur 198.
Odenati Imper. acta 429. 431. 436.
Oeconomiae Eccleſiaſticae jura à Victore vendicantur in Paſchali controverſia 241. & ſeqq.
Oedipi inceſtus impoſiti Chriſtianis 152.
Oneſimus Curſor Dominicus 37.
Orbis judicium. V. Judicium Orbis.
Oſii in Alex. Synodo acta 626. & ſeqq. de hypoſtaſis voce ſententia 627.

P

Palmyra Aſiae Urbs 426. Palmyronum Zenobiae bellum adv. Aegyptios 443. & ſeqq.
Paracletus à Sectariis dicebatur Montanus 122.
Paractſis Montaniſtarum 144. & ſeqq.
Parmeniani Donatiſt. Pſeudoprimas Carthaginen. Antencyclica contra Arelatenſem Encyclicam 537. & ſeqq., in qua ſtatuit contra Encyclicam Arelatenſem rebaptizationem, & dotes Eccleſiae oppugnat 540.
Parthicum bellum 152.
Paſcha Chriſtianum 210. & ſeqq. à Judaïco diſcrimen 246. & ſeqq. Eccleſiis dies per Epiſtolas denunciabatur 252. denunciationis tempus 256. Diei controverſiae ſubortae periodus duplex 219. & ſeqq. Encyclicae pro ea componenda 227. & ſeqq. Victoris & Irenaei adverſus ſe ortes conſilia diverſa 240. 241.
Paſchales Epiſtolae 230. 246. & ſeqq. mutuae inter Epiſcopos ea in feſtivitate editae 257. 258. à Feſtivis differentes ibid.
Paſſio quid 73. Paſſionum Martyrum lectio & uſus in Eccleſiis 74.
Patres & Doctores Paulus Samoſat. inſectatur 424.
Patropaſſianorum haereſis 381.

Paulus

Paulus Apoſtolus Eccleſiarum legatus & Curſor Dominicus 12. 14. 15. Encyclicae ejuſdem 19. & ſeqq. Expenſus locus 1. Corinth. cap. 15. pag. 91. & ſeqq.
Pauli Samoſat. haereſis 413 & ſeqq. Zenobiae Ducenarius 420. Pſalmos & Hymnos Eccleſiae inhibet, alios in ſui laudem ſubſtituit 426. Encyclicae adverſùs eumdem 428. & ſeqq. 438. 442. Sententiam depoſitionis Aurelianus Imp. exequendam permittit 456. & ſeqq.
Pax à Martyribus concedebatur Lapſis: ex abuſu concertationes 278. modus componendi eaſdem 286. & ſeqq.
Peccata irremiſſibilia aliqua hariolabantur Montaniſtae, & Novatiani 268. 269. circa modum condonandorum variae conſultationes 278. & ſeqq.
Pentapolitanorum denuciativa 396.
Pepuza Phrygiae vicus, & de eo Montaniſticum commentum 119. 122. oppugnatur 205.
Peremptorium pro Lapſis Encyclicum Decretum 312. & ſeqq. pro Lapſis diſcriminandis in eodem cautio 314. Orbis ſubſcribens judicium 344. & ſeqq.
Perſecutionis tempore ultro ſe tradere vetitum in Encyclicis 114. 115.
Peſtis immanis ſub Gallo & Voluſiano 308.
Petri in Synodo primae relationis praerogativa 15.
Philomelio, quae Phrygiae Urbs eſt, cur inſcripta Smyrnen. Encyclica 74.
Philomeni cur Paulus ſcribit 36.
Phrygia Montaniſticae perfidiae locus 143. & ſeqq. prima inter ejuſdem Eccleſias diffidia 144. Haec & Paphlagonia Novatiano adhaerent 350.
Poenitentium reconciliandorum varia conſuetudo 161. 279. & ſeqq. Poenitentia una Novatiani 338. laxitas indiſcriminata à Novato 334.
Politia Romanae dominationis 9.
Polycarpi Encyclica 53. cum Aniceto PP. diffidium 219. ejus profeſſio 108. Viſiones 107. Acta martyrii 76. & ſeqq. Dictus Doctor Propheticus 112.
Polycratis Epheſini Antencyclica pro Paſcha Judaïco 221. 226. 227. 236. error in eo tuendo 238.
Pothinus Lugdun. monet. Eleutherum de Montaniſtarum haereſi 166.
Praeſidum Provinciarum autoritas 3. Saeviant in Chriſtianos ad corrogandas pecunias 137.
Praxeas Montaniſtarum denunciator, & Aniceto per profeſſionem ſubdolam imponit 146.
Presbyter Martyrum 179. & ſeqq. Epiſcoporum etiam munus 185. ex opera benè navata ad aliorem gradum promovebatur 191. In Encyclicis publicandis ſaepè adhibetur 208. & ſeqq.
Presbyterorum Schiſmaticorum conamina adv. S. Cypriani Encyclicas 265. & ſeqq.
Priſca, ſeu Priſcilla Montani aſſecla 119.
Primatum in Paſchalibus Epiſt. munus 253. 256. 257. 317. & ſeqq. in Natali Martyrum die indicendo 73. in Encyclicis nomine ſuffraganeorum ſubſcribendis 73. 98. 99.
Primianus Donatiſta 541.
Primitivus Encyclicam in Novatianum ad Cyprianum defert 373.
Privatus Lambeſitanus Cypriani Encyclicis reſiſtit 320. & ſeqq.
Proclus, ſeu Patroclus Montaniſta 126.
Profeſſio Fidei Polycarpi 108. Martyrum in actis eorumdem diligenter inſerta 79. 80. 83. per hanc Peregrini admiſſi ad Synaxim 65. 66. 146. 365. 366.
Prophetiae ſupernaturalis characteres 164. & ſeqq. Montani paréctaſis 143. 147.
Provinciarum Aſiae diviſionis ratio 4.
Pſalmi & Hymni Chriſti divinitatem enunciabant 425. 426.

Q

QUadrageſimae Montaniſtarum 122. Quadrati apologia 133. 134. Quartodecimanorum haereſis 217. Encyclica in eoſdem 140.

R

REbaptizationis Dogma damnatur per Arelatenſem Encyclicam 525. & ſeqq. impugnatur haec ab Antencyclica Parmeniani 540.
Reconciliationis Lapſorum diſciplina varia 279. & ſeqq.
Regnante Chriſto. In actis Chriſtianorum nota chronologica 86. & ſeqq.
Regnum Chriſti 86. 93. 100.
Relationis primae praerogativa 16.
Reliquiarum cultus 82. 83.
Romanus Clerus Cypriani Encyclicam, Sede vacante, approbat 295. 299.
Romanus Pontifex diem Paſchalem Eccleſiis renunciabat 247. 250. 254. & ſeqq. Epiſtolis ſubdebat preces publicas 255. & ſeqq.
Romanum Concilium pro controverſia Paſchatis 227. 231. Pro examinanda denunciativa in Dionyſium Alexan. 396. & ſeqq. Alia ſub Cornelio contra Schiſmaticos 354: & contra Donatiſtas ſub Melchiade 505. & ſeqq.

S

SAbellii haereſis 382. 384. Fraudes ejuſdem & Encyclicae adver. eamdem 388.
Sacerdotes Gentium autores perſecutionum in Chriſtianos 261. & ſeqq. Matris Deum eunuchi 119.
Sacrificati inter Lapſos 273.
Sanctorum interceſſio 87.
Sanctus Martyrum Diaconus 180.
Sardinia domita 4.
Scipio Aemilianus Carthaginem incendit 4.
Scipiones primi Hiſpaniam exercitibus penetrant 4.
Secundus Numidiae Primas traditor, & Schiſmatis fautor 477.
Severiani haeretici 118.
Sicilia facta Provincia 3.
Simonis Magi errores 30. & ſeqq.
Silas Dominicus Curſor 17.
Silvanus Traditor Epiſcopus renunciatus in Cirtenſi Concil. 477.
Simulatio in Religione damnata 275. & ſeqq.
Smyrna Metropoli 6. Eccleſiae ejuſdem Encyclica 113. & ſeqq.
Societatis exempla 4. 6. 7. 8. Locus publicus, in quo ſororum Urbium deputati conveniebant 103. 104.
Societatis Chriſtianae expreſſio in Encyclicis 1. ejuſdem centrum 495. & ſeqq.
Soteris PP. adverſ. Paroeceſim libri 145. 147. Encyclica 149. 155. & ſeqq.
Stantes Martyres & Fideles 270. 271
Stilicio à Donatiſtis traducitur 533.
Succeſſio & Depoſiti cuſtodia veritatis argumentum 54. 56. 61.
Svevorum in Hiſpania Regnum 95.
Sylveſter PP. Arelatenſem Encyclicam Provinciis dirigit 522.
Syracuſae domitae 4.
Syria Provincia 4.

T

TAbulae publicae in Templis cuſtodiebantur 7. 8.
Tabularia Proſcriptorum 127.
Tarſis Metropolis 11:
Taſcodrugitae, ſeu Aſcodrugitae haeretici 123.
Tatiani haereſis 118.
Tertullus Diaconus Martyrum 72.
Themiſionis epiſtola ab ipſo Catholica inſcripta 125. pugnat contra Soteri Encyclicam 135. & ſeqq.
Theocraticum Eccleſiae Regnum 94. 95.
Theodomirus Hiſpaniarum Rex 95.
Theophili Caeſareae Palaeſtinae Encyclica pro Paſcha Chriſtiano 226. 22[illegible]
Thurificati Lapſi 273.

Timothei nomen cur ſimul cum Pauli Epiſtolis 35.

Tomus Encyclicus cum Encyclica complectebatur mutuas conſentientes Epiſcoporum Epiſtolas, vota, ſubſcriptiones & opuſcula argumenti ejuſdemque dogmatica 125. 166. 346. 412. & ſeqq. 417. vel Encyclicas plures 53. Smyrnenſis erat cum Martyrum Epiſtolis 84. Martyrum Epiſtolarum collectio 178. Apoſtolica eſt inſtitutio 373. In controverſia Paſchatis iſtiuſmodi tomus conflatur 235. collectionis ſcopus 372. ſervabantur tomi Encyclici in Eccleſiis praecipuè originalibus 374. & ſeqq. Encyclicus tomus in Montanum 206. Alius pro Fiduciario Decreto 290. & ſeqq. miſſus ad Eccleſias 299. & ſeqq. Alter in cauſſa Cornelii & Novatiani 357. & ſeqq. 374. & ſeqq. 377. Alexandri Alexandrini Epiſcopi 619. & ſeqq. Euſebii Nicomed. ex Antencyclica & Epiſtolis Epiſcoporum ſuae partis 618. & ſeqq. Tomus Alexandri miſſus ad Eccleſias 622.

Tractatoriae & Tractatus diſcrimen 391. 415. Epiſtola Tractatoria 391. & ſeqq. Tractatoria adversùs Parmenianum 415. Alia Alexandri Alex. ad majores Sedes directa 568.

Traditionis & dogmatum veritas ex Encyclicis 57.

Traditores dicti, qui Sacros Codices Gentibus tradebant, ejuſq. criminis poena 463. & ſeqq. in tradendo varietas expenſa 467. & ſeqq. Lapſorum multitudo 502. Parmenianus eo crimine Eccleſiam univerſam commaculatam ſcribit 540. 545.

Tribunal Pauli Samoſat. 423.

Trophimus lapſus, & cur Epiſcopatus retentio tolerata 331.

Tychicus Dominicus Pauli curſor 28.

Tyconius notam univerſalitatis contra Parmenianum tuetur 543.

Tymium Phrygiae oppidulum 123.

V

VAlens Licinianus Imp. 304.

Valentinus Patropaſſianorum parens 282.

Vaticinia Alexandri Impoſtoris 129. & ſeqq.

Vela ante Tribunalia poſita 423.

Verbi divinitas 43. & ſeqq. 82. 425. 426. Ab Ario oppugnata. Pro eadem Alexandri Alexan. Encyclicae 555.

Veſtium, manus, & Orarii elevatio Populi adſtantis in publicis judiciis 423. 424.

Victor Aquitan. Paſchalis novi cycli autor 249.

Victoris PP. pro Paſcha Chriſtiano tuendo zelus 224. 226. pro eodem ſtatuendo Encyclica 227. Comminatio in Oſores 231. Eleutheri acta tuetur 236. & ſeqq. Tempeſtivus agendi modus 239. & ſeqq. 244.

Victor Presbyter lapſus ad Encyclicae normam correctus 332.

Viennenſis Eccl. Encyclica 150.

Viſiones ſupernaturales 107. conſictae per Montaniſtas 112.

Unitas fidei & dogmatum Encyclicarum ſcopus 1. 86.

Unitas animorum & mebrorum neceſſaria in myſtico Eccleſiae corpore ex Cypriano, qui & librum de unitate Eccleſiis mittit 396.

Urbanus Aſterius Montaniſtarum oppugnator 311. & ſeqq.

Z

ZAchariae PP. Encyclicae 101.

Zenobia Palmyrenorum Regina, ejuſque geſta 425. Paulo Samoſat., & Judaeis favet 435. Contra eamdem Populi exclamationes 437. Victa à Romanis 441. & ſeqq.

Zepherini PP. Encyclica, cui conjunctum Caij opuſc. adver. Artemam 414. & ſeqq.

Zoticus Cumanus Encyclicas adver. Montaniſtas defert, ac cum eiſdem diſputationes inſtituit 126. 104.

FINIS.

ANT 1.316.148

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google